






Prę ceteris magni fit hęc collectio Vitarum clarissi=
morum Jurisconsultorum Friderici Jacobi Lei=
cKheri. Hujus deinde operis utilissimi continua=
tionem suscepit Christianus Gottlieb Buder, Vitis
clarissimorum Jurisconsultorum, Jenę editis in 8°. 1722.
et 17...

VITÆ
CLARISSIMORUM
JCTORUM

N. BOERII.	G. BUDÆI.
A. AUGUSTINI.	A. GOVEANI.
F. HOTTOMANNI.	J. CUJACII.
B. BRISSONII.	J. BERTRANDI.
P. PITHOEI.	G. PANCIROLI.

Ex
Recensione & cum Notis
FRIDER. JAC. LEICKHERI,
U. J. D.

LIPSIÆ,
Sumtib. MICHAELIS GUNTHERI.
Bibliopol. Dresd.
TYPIS CHRISTOPH. FLEISCHERI.
M. DC. LXXXVI.



LECTORI.

CUm maxima Pars hominum, AMICE LECTOR, exemplis non regulis vivat, uſus Jac. Lectio in Vita Papiniani major eſſe videtur illuſtrium ingeniorum faciem ob oculos ponere, qvam ſeriem præceptorum recenſere. Ad Reipublicæ utilitatem inſuper & commodum pertinere oſtendit Joh. Aleſmius in Vita Nic. Boerii p. 1. doctiſſimorum hominum Vitas literis committere, & velut per manus tradere poſteritati, qvod hac ratione multorum animi erigantur ad capeſſenda literarum ſtudia,

fulcianturq; ingenia adolescentũ, qvos tenella ætas, & varius ille ac indefessus labor, qvem oportet devorare eum, qvi velit vel tantillum in studiis gravioribus promovere, interdum dejiciunt, deterrent, & à Studiorum tramite deturbant. Cognoscitur enim inde ex mente Ludov. Regii in vita Budæi p. 33. qvæ subsidia qvis habuerit ad eruditionem, qvibus initiis ac fundamentis tantæ summis in rebus laudes excitatæ fuerint, qvæ contra impedimenta obstiterint, & qva industria superarit. Qvare cum Terentianus Senex in Vitas omnium, tanqvam in speculum inspicere, atqve ex aliis sumere exemplum jubeat, summi qviqve viri non tantum excellentium hominum memoriam, qvi aut belli virtute, aut pacis artibus, aut ingenii & doctrinæ gloria immortale nomen assecuti sunt, magni æstimarunt, sed & doctissimi mortalium labora-

borarunt ſedulo, ut ſui ſimilium egregiam vitæ peractæ rationem nobis commendarent, & ad paria præſtanda poſteram ætatem accenderent. Nolo hic referre auctores qvi literatorum hominum laudes & monumenta deſcripſerunt, præſertim cum & Præfationis modum longe excedat, & magna ex parte præſtitum jam ſit à doctiſſ. Labbeo in Bibliotheca Bibliothecarum, qvæ ſtudio Anton. Teſſierii auctior hoc anno Genevæ prodiit. De illis ſaltem qvi illuſtrium JCtorum à primis Romanæ Iprudentiæ incunabulis memoriam nobis conſervarunt, pauca, qvando plura præfari graviora negotia & urgens Nundinarum Lipſienſium tempus non patiuntur, dicenda ſunt. Occupat in his primum locum Sext. Pomponius, qvi lege ſecunda ff. de Origine Juris, ex Enchiridio ſuo deſumta & eruditis Cl. Ruperti animadverſionibus

præcipue illuſtrata, de primoribus JCtorum agit, qvi ab urbe condita ad Adrianum Imperat. usqve Jus civile profeſſi ſunt; non certa qvidem ubiqve fide, idqve ideo fortaſſe, qvod, ex ſententia Charondæ & Menagii, hæc lex ex variis Juris Auctoribus à Triboniano ſub Pomponii nomine magna ex parte concinnata ſit. Sed cum nec plene ſatis, nec omnes JCti antiqvi in dicta lege enumerentur, idem argumentum ſuperiori & hoc ſeculo Bernardus Rutilius, Aymarus Rivallius, Fr. Hottomannus, Catellianus Cotta, Gvid. Pancirolus, Joh. Bertrandus, Nic. Henelius latius proſecuti ſunt; qvippe ex qvibus de omnibus & ſingulis JCtis, qvorum in indice Pandectarum Florentinarum mentio fit, & ex qvorum ſcriptis optimus Romanæ Iprudentiæ fundus, Pandectæ, coaluere, perfectior cognitio hauriri poteſt. Græcorum Interpretum

tum nomina, de qvorum usu in not. ad A. Augustinum p. 167. dictũ, aliqvatenꝰ Broeus in Histor. Jur. Chronolog. recenset, accuratior tamen eorum forsan notitia haberi posset, si Thomæ Diplovatacii, Patricii Constantinopol. libri Duodecim de Præstantia Doctorum & Clarissimis JCtis, in qvibus vir ille, teste Baptista Egnatio, & Juris civilis dignitatem explicavit, & auctores ejus omnes Interpretesqve à Phoroneo ducta serie ad sua usqve tempora deduxit, adhuc extarent, qvos Michael Neander in doctiss. Præfatione ad Erotemata Græcæ lingvæ, qva de omnis generis omnisqve ævi scriptoribus egregie disserit, aut periisse, aut ne in manus multorum veniant, alicubi supprimi credit. Irnerius qvoqve & qvi ipsi, restituto in Italia Jure civili, qvod Barbarorum irruptionibus obliteratum diu jacuerat, successere Glossographi & Accursiani

Juris Interpretes, ac his etiam recentiores JCti, ſuos habent prædicatores, præſtantqve ex illis M. Mantua, Joh. Fichardus, Gvid. Pancirolus. Qvos tamen, paucisſimis duntaxat exceptis, ſolis Italis celebrandis operam impendiſſe, recte obſervat Voglerus in Introduct. Univerſal. in Notit. Scriptor. cap. 7. Nec defuere qvi ſigillatim Clarisſimorum JCtorum, qvi renaſcentibus humaniorum literarum ſtudiis, è latericia auream Iprudentiam noſtram fecere, vitas exponerent: qvæ cum aut difficulter reperiantur, aut Operibus ipſorum, non ubivis obviis, præmittantur, operæ pretium me facturum arbitratus ſum, ſi ex his qvasdam hinc inde diſperſas, in una qvaſi tabella cupidæ legum juventuti ſpectandas exhiberem, ut & eam præmii, uti Doſchius in vita Hottomanni loqvitur, poſt prælium, ſpes foveat, & habeat, qvod cum fru-

ctu æmuletur, atqve intelligat, qva recta solidaqve via eundum sit, si JCti nomen qvis adseqvi & tueri cupiat. Qvid autem in editione hac præstitum sit, tuo, AMICE LECTOR, relinqvo judicio, satius ducens id modeste reticere, qvam perverso qvorundam genio, jactare elatius; præsertim cum judicio Illustriss. Galliæ Cancellarii Michael. Hospitalii, nulla virtus in ætate nostra magis eluceat qvam modestia, nullum contra vitium turpius sit aut odiosius qvam arrogantia. Illud saltem monuisse sufficiat, evolvisse me Opera scriptaqve JCtorum, qvorum vitas congessi, sedulo, & annotasse diligenter qvæ eo pertinere videbantur, curasse præterea studiose ut variæ scriptorum editiones ad calcem cujusvis JCti legerentur. Qva in parte magnum mihi & insigne adjumentum attulit Vir Summus, & in expediendis gerendisqve arduis Reip. ne-

gotiis verſatisſimus, omnisqve elegantioris literaturæ, Juris & Eccleſiaſticæ Prudentiæ peritisſimus, Magnificus DN. ADAM. CHRISTOPH. JACOBI, JCtus conſummatisſimus, Sereniſſ. Elector. Saxon. in Supremo Appellationum Judicio & Proto-Synedrio Conſiliarius gravisſimus, Patronus meus Parentis inſtar æternum venerandus. Ex ejus enim cum eruditisſimo Convictu, qvo ultra annum mihi frui licuit, plurima me didiciſſe, tum uberrima ſelectisſimorum rariorumqve librorum penu, qvæ omnigena ingeniis doctrinæ avidis alimenta, eaqve exqviſita & rara ſuppeditat, ſingularia qvævis depromiſiſſe, lubentisſime confiteor. Ne autem mireris, cur in

in exterorum & Gallorum inprimis JCtorum elogiis ab interitu vindicandis occupatus ſim, cum fertilis bonorum ingeniorum Patria noſtra Germania præſtanisſimos & omni ævo memorandos JCtos aluerit? partim enim actum agere nolui, cum & initio hujus ſeculi Melchior. Adami, & proximis annis Joh. Wittenium in Germanorum JCtorum vitis colligendis, licet diſpari inſtituto & ſucceſſu, jam laboraſſe ſciam; partim negari vix poterit Gallos JCtos in elegantiori Iprudentia excolenda aliis nationibus palmam præripuiſſe, teſte vel ipſo JCto Italo, M. Aurel. Galvano, qvi in Præf. ad Diſſertationes de Uſufructu ita de illis judicat: Ego qvamvis neminem deſpiciam, & omnes, ut debeo, venerer; Gallos ta-

tamen maxime omnium in theoricis ſtudiis ſuſpicio atq; commendo: qvorum opera factum eſt, ut civilis Veterum Romanorum ſapientia tandem in ſuas ſedes poſt multa ſecula, qvaſi poſtliminio remigraverit. Non dubito qvidem fore plerosqve, qvi innato calumniandi ſtudio, operam in hac re meam omnibus modis reprehenſuri ſunt, ſed illis dictum velim, qvod Ant. Auguſtinus in Præfat. ad Juliani Novellarū epito-

epitomen ſcribit: Cum duo lectorum genera ſint, qvorum alteri diſcendi cauſa legant, alteri ſolum ut reprehendẽdi captent occaſionem, illorũ mihi habendam eſſe rationem, horum contemnendam eſſe calumniandi cupiditatem ſemper exiſtimavi. Sive enim ſcribas, ſive nihil ſcribas, ſive hoc aut illo modo ſcribas:

ſemper hi habent, qvod reprehendant. At ſtudioſo viro nullus liber eſt inutilis. Ab aliis enim dicendi, ab aliis vivendi rationem, ab aliis artes, diſciplinas, ab aliis hiſtoriam temporum, ab aliis alia, atqve alia diſcit. Illi ſe omnia ſcire jactant, habereqve ſe, in qvo Platones, Ariſtoteles, Demoſthenes, Cicerones,


rones, Papinianos, Julianos, Ulpianos, & cæteros qvoscunq; magnos viros ſæpius erraſſe facile oſtendant. His igitur, qvi nihil ignorant, nihil ſcribendum eſſe cenſemus, qvando ad eos, qvi vitam Epicureorum Deorum in terris degunt, nulla beatitatis acceſſio fiet, medicis hos tantum committendos eſſe putamus. Qvod ſupereſt, AMI-

CE LECTOR, Valeas, & si Deus vitam otiumqve concesserit, alteram JCtorum illustrium decadem, & in ea Æmyl. Ferreti, Hug. Donelli, Gvil. Marani, Jani à Costa, Franc. Florentis &c. vitas expectes, studiisqve meis faveas.



VITA NICOLAI BOERII, JC.

Auctore
Johanne Alesmio,
Regio Consiliario in ampliss. Senatu Burdegalensi,
ad
Candidum Lectorem.



Emper existimavi ad Reipublic. utilitatem & commodum pertinere, *Lector candidissime*, Doctissimorum hominum vitam literis committere, & velut per manus tradere posteritati, qvod hâc ratione multorum animi, mea sententia, erigantur ad capessenda literarum studia, fulcianturqve ingenia adolescentum, qvos tenella ætas, & varius ille ac indefessus labor, qvem oportet devorare eum, qvi volet vel tantillum in studiis gravioribus promovere, interdum dejiciunt, deterrent, & à cœpto studiorum tramite deturbant. Nemo autem negare potest; qvin maximè nostra intersit, non deficere, & intercidere adolescentum conatus, qvibus Respubl. alitur. Nec facile credam blandiore illectamento literarum studiosos ad literas excitari posse, qvam qvum audiunt celebrari eorum nomina, qvi justissimam literis na-

varint operam, qvive ſuis ingeniis, ſuisqꝫ vigiliis de mortalibus univerſis optimè fuerint meriti. Fertur olim ſolitos eſſe Romæ in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, qvo juventutem provocarent ad imitationem, & qvaſi blanditiis quibusdam illicerent, alacriorèmve redderent. Mos autem ille non poteſt tenacius retineri, aut diligentius obſervari, qvam qvum ad poſteros mittimus legendam eorum vitam, qvi non aliud per univerſam ætatem ſomniarunt, ſpiraruntve, qvam ut genium ſuum fraudarent, multo labore in gratiam unius Reipubl. qvæ tanti ſemper fieri debet, ut nihil laboris, nihil periculi, nihil odii, nihil tædii, nihil calamitatis, nihil injuriarum nihil contumeliæ non ſuſcipiatur, ac perferatur unius Reipublicæ cauſa, ad qvam juvandam ad laborare modis omnibus eos convenit; qvos DEUS Optim. Max. vel eruditione ornavit, vel virtutibus, aut re alia inſignes fecit. Qvoties agitur de prædicandis eruditis hominibus ſeculi noſtri, illis præſertim, qvi vitam morte commutarunt: nunqvam accedam ſententiæ qvorundam, qvibus inſulſum & plane ineptum videtur, ſi aliqvid operæ collocatum fuerit in extollendis clariſſimis viris: qvaſi vero non maxime interſit Reipubl. doctiſſimorum hominum memoriam nullo tempore emori, & ab interitu vindicari eorum laudes, qvi in æſtimandis ſudoribus, aſſiduis curis, & pertinaci diligentia libros conſcripſerunt in perpetuum ſtudioſorum uſum. Qvos non alii diligentius verſant aliqvando,

do, qvam qvi moleste ferunt ejusmodi laudes. Non alii amplius & uberius fruuntur alieno labore, qvam qvi iniqvissimo animo audiunt eruditorum encomium. Recte memini mensibus superioribus, qvum qvispiam libellum contexuisset de vita clarissimi & doctissimi ætate nostra hominis (nomini parco non inscius) ac circumferretur libellus elegans, & publicè divenderetur, atq; forte fortuna incidisset in manus cujusdam, è numero eorum, qvibus tam placent solœcismi & barbarismi; qvàm pura, tersa, & florulenta oratio: vix conspecto titulo subrisit, nasum movit, in eumq;, qvi libellum consuisset, jaciebat scommata, *qvod bonas horas male perdidisset*. Ipse, ut hæc inaudii, admiratus sum insignem hominis impudentiam, cui corpus esset sine pectore, cui usqve adeo pingue esset judicium, ut ei mendosum esse soleat qvicqvid rectum est: contra nitidum & elegans, qvod fordidissime conspurcatum est: qvive, qvum nunqvam benedicere consvevisset; morderet tamen letaliter, atqve ita, ut Socrates vix auditurus fuisset citra bilem acerba convitia, qvibus proscindebat hominem & mortuum, & minime omnium malum. Cæterum non commoveor ejus hominis lingva, qvod sciam eum morbo animi, non judicio loqvi; nec admodum morari debemus ejusmodi hominis, aut similium, opinionem, qvæ illustrium virorum laudibus insultat, obstrepit, obsibilat. Et ut de me sentiam, nisi exploratum haberem ex veterum monumentis doctissimos habitos semper fuisse

maximo in precio & honore, non impendissem hanc operam Boërio nostro, viro certe nunqvam satis laudato. Porro studiosorum nemo non legit plerosqve eruditos olim fuisse statuis & picturis expressos in porticibus ac locis aliis, neqvâ temporum injuria obliterarentur. *(a.)* Mithritates Platoni statuam dicavit, egregium Silonis opus, ut auctor est Plutarchus. Atheniensis

(a) De statuis Memoriæ Virorum literarum studio illustrium consecratis, erudite disserit Em. Figrelius de Statuis Illustr. Roman. cap. 13. *qvæ cum imaginibus doctissimorum hominum, in Bibliothecis publicis & privatis laudabili instituto ponebantur.* Figrel. d.l. cap. 24. Lomeier. de Biblioth. c. 14. *Tribuitur inventum hoc* Asinio Pollioni, *Oratori & Senatori tempore Augusti nobilissimo, qvem primum Romæ publicam extruxisse Bibliothecam, & in ea* M. Varronis *viventis imaginem posuisse incomparabilis Criticus* Justus Lipsius de Bibl. cap. 5. & 10. *ex autore illo rerum omnium memorabilium & æstimatore acuto, & admiratore diserto, (qvo nomine* Budæo *laudatur* lib. 3. de Asse.) Plinio, *docet: cujus verba* libr. 35. Historiarum Natur. cap. 2. *hic addere operæ pretium videtur: Non est prætereundum & novitium* (scil. Pollionis) *inventum. Siqvidem non solum ex auro argentove, aut certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, qvorum* IMMORTALES ANIMÆ *in iisdem locis loqvuntur, qvin imo etiam qvæ non sunt, finguntur, pariuntq; desideria non traditi vultus.*

ſis populus Demoſtheni ſtatuam decrevit. Ariſtoteles Platoni aram floribus redimitam ſvave olentibus conſtruxit, ſtatuamqve conſecravit. Marcus Antonius Frontoni Philoſopho ſtatuam erexit: idem Antonius Junium Ruſticum ad publica & privata conſilia aſcivit, & mortuum ſtatua decoravit. Rurſus nemo neſcit pleroſq; eruditos benignitatem Imperatorum, Regum, & ſummorum Pontificum prolixe expertos fuiſſe. Aluit Cheryſum, malum, ut ait Lucilius, ſcriptorem, Alexander Magnus. Maronis & Flacci tenuitatem Mecœnatis in exhauſta benignitas fovit: Auſonium Gratianus Cæſar, Romano conſulatu decoravit. Plinianas vigilias Veſpaſiani ſtudium & acuit, & ornavit. Qvis non meminit eruditorum vigilias principum cura extare nobis integras & incolumes? Alexander Magnus ſcrinio, qvod erat auro, gemmis ac margaritis precioſum, intercluſit Homeri carmen. Auguſti fide vel religione potius factum eſt, ne magna doctiloqvi moreretur muſa Maronis. Pleraqve Doctorum hominum pulchre, & graviter dicta, marmori æriqve paſſim inſculpta, ingeſſit antiqvitas oculis mortalium. Libros doctorum plurimi veniiſſe, argumento ſunt regeſta qvædam extemporanea *Plinii junioris*, qvæ Largius Licinius multis millibus nummum licitari auſus eſt. Hæc prolixius prælocutus ſum, *Lector candide*, qvod ſciam reclamaturos qvoſdam, qvod immodice prædicem noſtrum Boërium, nihil eſt enim qvod acriores invidiæ ſtimulos excitat, qvam ſi qvem attol-

las longiore oratione. Adde qvod nec id ferunt qvidam in ſummis viris, qvorum tamen virtus invidia major eſſe deberet. Cæterum etiamſi nullam gratiam relaturus ſim ex hâc opera, qvam navo Boërio, pluribus tamen & maximis cauſis adducor, ut Boërium laudibus eveham, prædicem, attollam. Movet me maximè (ita me ament ſuperi.) Reipubl. noſtræ utilitas, qvæ mihi chariſſima eſt, qva vehementer commoveor. Non poſſunt, qvi ſenſum aliqvem humanitatis habent, aut qvi aliqvo Reipubl. amore tanguntur, non angi, dolere, & in acerbiſſimum converti dolorem, qvod nobis ereptus ſit Boërius, vir certè & literis, & ætate venerabilis, qvi ampliſſimum erat *Senatus Burdegalenſis* ornamentum, in qvo tantum erat eruditionis, non illius protritæ, ac trivialis, ſed reconditæ, & exactæ, ut alii, qvantumvis eruditi, & miſcellanea eruditione inſtructi, ſint (abſit verbo invidia) inferiores. Ego ſane vereor, ne abſolutè præſtare qveam, qvod vehementer cuperem, hoc eſt, ne poſſim totum ipſum Boërium depingere velut in tabula, non enim arbitror levioris eſſe operæ Boërium effingere, qvam Bartolum, aut Baldum: nec illi certè, qvam hic noſter Boërius, immortalitate digniores erant. Hujusmodi argumentum, licet Apellis cujuſpiam manum deſideret, tentabo tamen, peſſimus artifex, Boërium delineare, & exprimere, qvantum licuit mihi animadvertere ex conſvetudine, & amicitia hominis, qvâ contigit frui qvinqve plus minus annis: qvantumve intelligere, & annotari licuit

ex *Maria Burſeria* honeſtiſſima matrona, Boërii uxore. Nihil hic confingam, nihil admentiar, non ornabo commentitiis laudibus Boërium, ſed hominem, vitam, mores, vigilias repræſentabo ſimpliciter & verè, ut res habet. Natus eſt Boërius in *Montepeſſulano*, patremq́ habuit *Vincentium Boërium*, qvi apud Avernos natus in Montempeſſulanum fertur commigraſſe ad capeſſendum ingenii cultum. Atqve qvum in eo loco literis daret operam, incertus rei Medicinæ, an Juris diſciplinæ, cœpit deamare, ac deperire *Joannam Forneriam*, cujus forma amabili, & prudentia impenſe delectatus, in animo habuit eam ſibi jungere matrimonio, Factumqve eſt non ita multo poſt, eam duxit in uxorem, ut eſt amor longioris moræ inpatiens. Cum uxore autem aliqvot annos vixit ſvaviter Vincentius Boërius, apud ſuos, ut non fortaſſe primus, ita non inferior. Ex uxore ſuſcepit neſcio qvot liberos, atqve in his Nicolaum Boërium, optimæ & certæ indolis puerum. Vincentium ante è vivis ſuſtulerunt fata, qvam exegiſſet qvadriennium Boërius noſter, qvi defuncto patre, à primis ſtatim annis applicuit animum literis. Erat ſane ingenium puero tam avidum eruditionis, qvam eſt naphtha flammæ. In Grammatica aliqvandiu verſatus, progreſſus eſt non omnino infeliciter, qvantum ferebat ejus temporis injuria. Atq́ qvum adoleviſſet, & videret non aliam eſſe viam magis compendiariam & idoneam, ad famam, autoritatem, & nominis gloriam parandam, qvam Juris Civilis diſciplinam:

nec deessent exempla multorum, qvæ (juxta Flacci proverbium) oleum adderent camino, honestissima studiorum ratione ductus, addixit animum libris Jureconsultorum, qvos tam diligenter versavit etiamnum adolescens, ut in ea ætate non solum æqvales, verum etiam majores natu longo intervallo anteiret. Studiorum progressum accelerabat pertinax & improbus labor, qui potest difficilima qvæqꝫ vincere. Nam non ausim dicere (ut libere dicam qvod sentio) homini fuisse ingenium præsens, & ubiqꝫ prævolans: nec defuit parata & exprompta memoria, qvæ habet omnia in memorato, qvæve omnia in promptu & inconstanter suggerit. Qvi propius norunt hominem, mecum affirmabunt eum assecutum fuisse variam illam eruditionem, qvâ inter paucos commendabilis fuit, indefesso labore, multis vigiliis, multaqꝫ olei & operæ impensa. Adde, qvod ingenium habuit alienissimum à luxu, alea, lusibus, jocis, congressibus, fabulis, & ocio, qvibus vulgus hominum capi, ac delectari solet. Qvum autem aliqvot jam annos Boërius attrivisset tractandis Jureconsultorum libris, & suis variæ eruditionis argumenta præbuisset, motus desiderio ampliandæ famæ, animum adjecit ad obeundas aliqvot civitates, ut doctorum sibi conciliaret favorem, & eruditorum congressu doctrinam, & sapientiam redderet auctiorem: hac in re imitatus Pythagoram, Platonem Apollonium, Solonem, & Homericum illum Ulyssem. Cæterum qvum aliqvot civitates lustrasset, invisit *Bituri-*

ges,

ges, annum natus, id temporis, octavum & vicesimum, & ductus urbis amœnitate, aut eruditorum hortationibus invitatus, aut (qvod magis credam) qvod proxime urbem Biturigum, nata esset *Joanna Forneria, Boërij mater*, constituit in ea civitate qvod superesset vitæ transigere, deqve vitæ genere deligendo cogitavit, *ratus prudentis esse viri, ad certam aliqvam vitæ rationem sese accommodare*. Admirabitur fortasse qvispiam, Boërium nostrum, in alienam regionem immigrasse, ac non solum immigrasse, sed etiam consedisse per multos annos. Mirabitur idem, qvod se non continuerit in ea urbe, qvæ blande gremio foverat, qvæ educaverat, qvæ uni Boërio hæreditatem paternam servabat: sed desinet admirari, si tantum placet reputare animo, qvam multi alii ejusdem notæ, non dissimili vitæ ratione usi fuerint. *Boërius patria negligenter carere potuit, sed patria Boërio non item:* qvemadmodum de Numidico Metello dictum olim fuit. Qvanqvam non video, cur patriam videri possit Boërius contempsisse, vel deseruisse, cui tam multis vigiliis qvæsivit laudem ac famam non vulgarem, qvæsitam auxit, auctam felicissime conservavit. *Non alij*, mea sententia, *verius in patria agunt, qvam qvi patriam rebus præclare gestis illustrant, etiamsi fuerint remotissimi: contra, non alij magis à natali solo abesse dici possunt; qvam qvi luxu & voluptatibus diffluentes ociosam vitam ducunt, nulla re insigni commendabiles.* Institutum autem ingenio suo accommodum sibi sumpsit Boërius, non præcipitatione, non casu, sed

 judicio,

judicio, & adhibita longiore cunctatione. Ille enim post varios exantlatos labores, cogitans frustra sibi susceptos esse tam multos labores, nisi Reipublicæ Biturigum fidem luculentam faceret, qvantum in utriusqve Juris disciplina progressus fuisset. Cœpit itaqve & publice, & privatim docere apud Bituriges, apud qvos totum qvadriennium publicè interpretatus est aliqvot Pandectarum libros, nec id sine summa laude, freqventi certe auditorum concursu, multo civitatis plausu, effecitqve exactissima diligentia, ut Biturigibus, Juris utriusqve palmam, magno eruditorum omnium consensu præripuerit. Atqve qvum ab omni supercilio longissime abesset omnium iniit gratiam, & laurea insignitus fuit post sacra certamina, qvod est Ulpiani verbum, ac post crebras conflictationes. Nec satis visum fuit Boërio eam operam impendisse Reipubl. Biturigum, ut juventutem publice doceret: sed ut erat pectore ardenti & indefatigabili, concinnandis commentariis in *Consvetudines Biturigum* sese adcinxit, qvod ipsum tam feliciter absolvit in florente etiam dum ætate, ut eo nomine omnes Juris candidatos in maximam expectationem erexerit, futurum aliqvando, ut Gallorum ingenia, qvæ Epimenidis somno consepulta videbantur, excitarentur ad conscribendos libros: nec ea solum laus Italiæ finibus circumscriberetur, sed ad Gallos qvoqve dimanaret. Habuit certe olim Gallia plerosqve celebratissimi nominis viros, qvi primas in civili disciplina vel apud Italos tenuere, qvi tamen se

solos

ſolos venditant Juriſprudentiæ nomine. Cæterum qvod attinet ad interpretationem Conſvetudinum, primus ad eam rem adjecit animum Boërius: ille antevertit, & velut claſſicum cecinit: ille aliis, qvi poſteà conſecuti ſunt, & feneſtram (qvod dicitur) aperuit: ſalebroſa complanavit, nihil non fecit peruium. Ille ſua ætate Gallorum ingenia expergefecit, & velut ex umbra (qvod ajunt) in lucem produxit, alioqvi felicia, & ad qvidvis ſeqvacia. Ille Rempublic. univerſam ſuis ſcriptis ornavit: illi uni acceptum ferri debet, qvod reliqvere ſcriptum alii interpretes conſvetudinum. *(b)* Ille multa, qvæ fuerant antea controverſa, exactiſſime explicuit. Ille ſexcentas dubitationes & excitavit, & do-

---

(b) Secuti enim hunc veluti Ducem ſunt magno numero præclariſſimi Conſvetudinum Galliæ Commentatores, ſic Pariſienſes Car. Molinæus, *Aurelianenſes* Joh. Pyrrhus, *Pictonum* Andr. Tiraqvellus *&* Joh. Boſſelius, *Burdigalenſes* Arnold. Ferronius, *Burgundiæ* Barth. Chaſſanæus, *Turonenſes* Joh. Sainſon, *Normandiæ & Cenomanenſes* Gvil. de Roville, *Cataloniæ* Joh. de Socarras, *Aluerniæ* Aymo Publicius *&* Joh. Beſſianus, *Andegavenſes* Franciſc. Mingonius, *interpretati ſunt, ad Andium etiam Leges Municipales* Ren. Choppinus, *& ad Carnutum Leges* Ægid. Tullus *Commentarios ſcripſere, extant qvoq; Conſvetudines Civitatum & Provinciarum Galliæ in unum Corpus collectæ, & variorum autorum Commentariis illuſtratæ, edit. Francof. 1575.*

& doctissime discussit. Ille multa, qvæ ex usu fori pendebant, evulgavit. Ille per omnium ora volitat: hunc personant Jureconsultorum scholæ: hunc habent causarum patroni in ore freqventissimum: hunc decantant aliorum interpretum scripta: in qvibus freqventissimè licet videre citatum Boërium. Qvum nondum attigisset annum tricesimum secundum, Additiones jam apparaverat & absolverat in Tract. *Dyni de Regulis Juris*, qvibus sic locupletavit Tractatum illum, ut credam, minoris ipsi Dyno constitisse suum elucubrasse librum, qvam Boërio, additamentis & auxisse & illustrasse Dynum. Plerosqve tractatus, qvos vocant, edidit, cujusmodi sunt, Tractatus *de Ordine graduum utriusq; fori, de Custôdia clavium portarum civitatum, de Seditiosis*, subtiliter & copiose interpretatus est *L. Consentaneum C. qvomodo & qvando Judex. Aliqvot Consilia* aut si mavis, *Responsa* præterea leguntur à Juris studiosis: sed multo plura desiderantur, qvæ licebit ante multos menses & legere & tractare, asservantur enim à *Gabriele ab Ales*, collega nostro. Alia qvædam scripsit in affecta ætâte, qvæ infra attingemus suo loco opportunius, interim exeqvemur alia. Qvum tricesimum ætatis annum exegisset Boërius, cogitavit de Nuptiis: duxit itaqve in uxorem *Mariam Boursieriam*, filiam neptis *Gulielmi Cameracensis, Archiepiscopi Bituricensis*, puellam forma non omnino ineleganti, puellam frugi, ingeniosam; & liberaliter institutam, ut interea taceam multas alias & naturæ,

turæ, & animi dotes, qvibus eſt prædita: nolim enim etiam dum viventem pluribus extollere. Eandem dedit Boërius Mariæ Bourſieriæ, VIII. Id. Julii, Anno M.CCCCXCIX. Dos pro temporum conditione, non omnino vulgaris conſtituta fuit, qvanqvam Boërius non ampliorem poſtulabat dotem, qvam honeſtam puellæ conjunctionem, dulcem & ſvavem conjugis convictum, affinium puellæ neceſſitudinem, gratiam, favorem, dignitatem. Vixit Boërius cum Bourſieria annos VII. apud Bituriges, priuſqvam judicandi munere fungeretur: id temporis Boërius totus erat in tractandis cauſis: de jure omnibus reſpondebat, ſed ita, ut nulli non daret verum & certum conſilium: ſecus ac faciunt pleriq; Cauſidici, etiam, ſi Diis placet, ex his, qvi nobiliſſimi in foro & videri volunt, & habentur. *Reſpondent enim interim extra rem multa ad cauſam nihil pertinentia: interim tam incertum dare ſolent reſponſum, ut ſatius ſit aliqvando nihil eos conſuluiſſe, qvam dubiam, ancipitem, & plenam diſcriminis audiiſſe opinionem.* Hûc pertinet, qvod ſuorum clientum commodis Boërius proſpiciebat diligentiſſime: & ſi qvando agnoſceret, clientes parum juſta cauſa adductos ad inſtituendam actionem, vel inſtitutam proſeqvendam, ſolebat perſvadere, ut litem componerent, minus hic fore diſpendii dictitans: ac ſi forte aliqvando qvoſdam videret ſic eſſe litium amantes, ut nollent cauſam tradere adverſariis, tum indicabat rationem, qva poſſent minore & ſumptu, & diſpendio litigare. Cauſas in foro egiſ-

ſe

ſe dicitur maxima lenitate, citra vocis contentionem, niſi cum cauſa ita poſtularet. Non obſtrepebat adverſario: declamabat cauſas apte, ornate, diſtincte, copioſe, & luculenter. *Procedebat ad tribunalia judicum diligenter instructus honestis rationibus, & judicum captabat favorem, & auditorum demulcebat aures, non offundebat tenebras judicibus, non excaecabat eorum oculos ullis praestigiis: rem, ut habebat, & caste, & simpliciter exprimebat, nihil admiscens mendacij. Semper habuit rationem temporis, loci, personarum, causae, ac decoris: agendo os foede non distorqvebat, non temere manus efferebat non erigebat importune digitos, non jactabat corpus indecore.* Rurſus habuit ingenium longè abhorrens ab ejusmodi Advocatis, qvi effundunt verius, qvam dicunt, qvicqvid in buccam venit, qvi nihil habent penſi, qvam exacte, qvam conſulto omnia dicenda ſunt, examinanda & facienda, ei cauſarum patrono, qvi volet fidem ſuam liberare, & ſe juramento ſolvere. Importuna idem loqvacitate non obtundebat Boërius aures judicum: nam *& opportune loqvebatur, & opportune qvoq; tacebat.* Decreverat autem Boërius, qvantum audivi ex Bourſieria, per omnem vitam impendere operam cauſis verſandis, & reſponſis ex jure dandis. Nam (qva erat hominis fama) non mediocre lucrum ex cauſarum actionibus & reſponſis referebat. Vivebat homo ſua fortuna contentus, & ſe ſatis lucri corradere poſſe putabat, ſi ſemper ageret cauſas, ad rem familiarem ſplendide ornandam: nec volebat implicari aſſiduis curis, & ſolicitudinibus,

bus, qvibus detinentur judices, non aliter, qvam Siſyphi Saxum perpetuo volverent: Longè tamen aliter ceſſit, qvam ille animo conceperat. Nam qvum longe lateqꝫ diſſipatus eſſet rumor Boeriani nominis, viſum eſt Galliarum Regi Boerium in ſubſellia Judicum ſanctioris Conſilii pertrahere: cur enim non dicam pertrahere? qvum non alius unqvam minus ambierit, in Aulam admitti, qvam hic noſter Boerius: qvod alii venantur vel argenteis haſtis, ille maximè effugiebat. Excuſavit ille apud Regem valetudinem incommodiſſimam, excuſavit corpus non ſufficere ad perferendos aulicos ſudores. Abhorrebat ab Aula, tum qvod *Aulicorum vitam* non aliud judicabat, *qvam ſplendidam miſeriam*, (ut ille inqvit) & perſonatam felicitatem, tum qvod aperte videbat apud Aulicos nihil eſſe ocii ad literas, apud Aulicos mire frigeſcere ſtudia literarum: *malebat cum literis perpetuo nidum premere, & cochleæ vitam vivere, qvam evolare ad ſtrepitus, & fumos aulicorum.* Rurſus videbat futurum, ut apud Aulicos, interpellationibus multorum non poſſet intendere commentariis conſcribendis, qva re una oblectabatur, tacita qvadam naturæ vi, & propenſione. Capiebatur ocii & ſtudiorum dulcedine, *ratus ſolas literas proprias eſſe hominis opes, qvæ nec à fortuna darentur, nec eriperentur: augerentur uſu, non ſeneſcerent cum forma, & viribus corporis, qvæ hominem ad virtutem inſtruerent, qvæ hominis animum, vel maximis ſolicitudinibus jactatum tranqvillarent, qvæ in omnem vitam paratiſſimum*

eſſent

essent homini præsidium. Porrò etsi apud Regem se subinde excusaret his rationibus & causis, aliisqve id genus, oportuit tamen Boerium obseqventem esse voluntati Principis. Cooptatus in eorum ordinem, qvi Regi sunt a consiliis, non erexit cristas, qvod faciunt pleriqve, statim ut fortuna paulo blandius arriserit: in consvetudine familiari nihil popularius Boerio. Mellita qvædam morum svavitas in homine eluxit, & ea qvidem summa cum autoritate conjuncta. Qva autem prudentia, qva autoritate, qvo consilio, qva diligentia, qva manuum castimonia; qva fide, qva pietate, qva rerum omnium animadversione, qva clementia, qva alacritate consiliarii personam sustinuerit, testatum apud omnes reliqverunt, amplissimi ordinis judicia, decreta, proborum omnium calculi & consensus. Qvod cum plures annos consiliarii munus fęlicissime & integerrime gessisset Boerius, ac nihil magis negligeret, qvam vulgi rumusculos, nihil minus aucuparetur, qvam ventosæ suffragia plebis, nec benigniorem ullam fortunam expectaret, commodum renunciatur Regi, unum aliqvem è Præsidibus Burdegalensis Senatus è vivis excessisse: tum Rex Boerium virum eximium & multis ornamentis cumulatissimum ascivit: & qvum in animo haberet disertum reddere Senatum Burdegalensem præside qvopiam erudito, gravi, cordato, & integro, suffecit Boerium in demortui locum, & amplissimo munere præsidis ornavit hominem, nihil minus sperantem; ac ne per somnium qvidem tale aliqvid cogitantem:

qvasi

qvaſi Thimotei fortunam haberet in ſinu, qvæ dormientis rete impleret. Recte memini audiſſe me ex *Bourſieria* Boërii uxore, qvum diceret Boërium in ea fuiſſe opinione, ut ſe indigniſſimum putaret, qvi obiret munus præſidis, ratus id muneris alii cuipiam aptius convenire, tacita cogitatione & pervigili intentione penitus ſecum reputabat, qvam omnibus numeris abſolutum poſtularet illius muneris autoritas: improbis tamen amicorum efflagitationibus ſuſcepit muneris functionem, maximo omnium collegarum oblectamento. Nemo enim non geſtiat & exiliat immodico gaudio tam ſolidæ eruditionis virum & aſcribi & præeſſe ampliſſimo ordini. Nec ego facile dixero, nec tu facile credas, *Lector candide*, qvantopere univerſus Senatus Burdegal. demiratus fuerit Boërium, qvantopere obſervarit, qvo honore venientem exceperit, qvove exceptum fuerit ſemper proſecutus. Nec id ſane temere, nempe is unus erat, qvi eruditioni adjunxerat niveos mores vitæ ſimplicitatem, & integritatem. Conſummatam eruditionem inſignis pietas commendabat. Qvamobrem jure optimo contendant omnes eum aſcriptum fuiſſe eorum numero, qvorum conſilio, prudentia, judicio Aqvitanus populus regitur. Apud aulicos ille primum dederat ſpecimen variæ eruditionis, & raræ integritatis, & poſteà qvadam veluti ſucceſſione allectus fuit in præſidem Burdegalenſem, perinde ac conſultiſſimus quidam Neſtor. Præſidis autem munere functus eſt viginti plus minus annis, tanta fide, tanta integritate,

ut magiſtratum nemo unqvam geſſerit integrius:, tanta prudentia, ut non alius magis perſpecta: tanta providentia in rebus omnibus agendis, ut non alius magis præſenti. Ille autem qvamdiu in Senatu verſatus eſt, feliciſſime abſolvit omnes magiſtratus partes: qvæ ad Reipublic. commodum ſpectabant, curavit diligenter: privatorum cauſas abſolvit, qvoad per eum fieri potuit, citiſſime. Mire pronus fuit ad miſericordiam, usqve adeo, ut diceres Boërium publicum eſſe omnium reorum patronum: ingens lucrum ſibi putabat accerſiiſſe, ſi qvem reum videret dimitti, laxari, explicari. Cujus rei locupletiſſimus, ac vere Atticus teſtis eſſe posſum. Cum eo aliqvot annos interfui cauſarum capitalium judiciis: atqve tum non alia re magis delectari mihi ſemper viſus eſt, qvam lenitate. In convictos clementer agebat, tantum abeſt, ut ſummum jus exerceret: non pronunciabat, niſi exactiſſimè inveſtigata cauſa omni: ſi qvid erat pœnæ irrogandum, attemperabat. Et licet *reſpiciendum ſit judicanti*, (ut autor eſt Marcellus) *ne qvid aut durius, aut remiſſius, qvam cauſa depoſcit, conſtituat*: ille tamen ad clementiam ſemper fuit pronior: non qvod clementiæ gloriam ullam affectaret, ſed qvod *clementia invitat male conſcios* (ut qvidam ait) *ad meliorem frugem*, dum veniæ ſpem oſtendit his, qvi ſuperioris vitæ errata novis benefactis ſtudeant penſare: grata etiam clementia eſſe ſolet integerrimis contemplatione naturæ humanæ. Et qvando de lenitate hominis incidit ſermo ſubit in mentem cujus-

cujusdam qui furti damnatus fuerat, is forte ad Senatum appellàvit; interrogatus de more, & quid admisisset, qvidve esset causæ, ut ad Senatum provocasset; num item Judex inferior ex ure in eum sententiam tulisset? Hæc autem scisscitabatur Boërius, qvi causis capitalibus; qvod supra à nobis dictum est, præerat: tum reus in genua provolutus erupit in lachrymas: atqve qvum crimen, cujus causa in judicium pertractus fuerat, exposuisset; subjecit se dulum fuisse Boërio à pedibus, atqve in domo psius suppilasse nescio qvid, qvod hera cogeret eum uti vino secato aut fugiente, qvod qvum hera fuisset subodorata, cesserat è domo atqve ipsa etiam urbe Burdegalensi, ne forte deprehensus daret pœnas. Qvamobrem obsecrabat Boërium, ut mancipio qvantumvis rapaci condonaret, qvicqvid hoc esset, qvod fuerat suffuratus. oerius singulari supra qvam credi possit benignitate, & pepercit sponte confitenti, & impetravit à patribus, ut pœnam criminis, in qvo reus deprehensus fuerat, benignitatis temperamento lenirent: qvod ipsum reus acceptum tuit ipsi Boerio. Ingravescente ætate factus est oerius morosior, levissimam ob causam sæpe ebat irritatior, amicis qvoqve ipsis succensebat, vel tenuissima causa attractus: sed id ego semper imputavi senectuti, qvæ ipsa per se morbus est. Accedit qvod acres cogitationum agitationes, assiduusqve scribendi labor animum reddiderant amarulentum, ulcerosum, atq; ob inanes rationes ægrescentem. Cæterum qvemadmo-

admodum facillimè commovebatur, ita ſtatim ſe colligebat, neqve poterat conqvieſcere, donec in gratiam ejus rediiſſet cui fuiſſet ſubiratus. Hominis pietatem & religionem ſi perrexero repræſentare, non ſuffecerit libellus, tantum id dixero, eum odiſſe cane pejus & angue, novum neſcio qvod hominum genus, qvi cum in animo meras hæreſes circumferant, meras blaſphemias evomant: ſe tamen venditant titulo Chriſtianiſſimorum. Experti ſunt qvidam non ita diu, qvam ille male fuerit affectus, nec id ſane injuria, in deploratiſſimum hominum genus hæreticos: Qvam fuerit aſſiduus in precibus fundendis ad DEUM Optim. Max. abunde norunt collegæ mei, novit univerſus populus Burdegal. nunqvam de manibus libellum horarium deponebat, vel in aula interiore, in qva exercentur judicia, & tractantur cauſæ. Plus ille demurmurabat Pſalmorum, qvam ſolent multi Eccleſiaſtici: nec orabat ſolo labiorum ſtrepitu, ſed ardenti animi voto, qvod intelligeret intentam orationem ferire aures divinas. Demiratus ſum ipſe ſæpenumero hominem, qvi ſimul & oraret & attentiſſimus eſſet ad cauſam, qvæ agitabatur. Studioſiſſimus fuit veritatis agnoſcendæ: in cauſis tractandis nihil temere credebat, nihil judicabat, niſi ex boni & æqvi dictamine, idqve ex Actis, id eſt, ex legitimis documentis liqvidisqꝫ probationibus, & his qvæ vel ex teſtium fide, vel ſcriptura publica, privatave, vel ex litigantium confeſſione, aut jurejurando conſtarent. In egenos tam liberalis fuit & benignus, ut

ut non alius qvispiam æqve: Anxiam curam semper habuit inopum: qvæ ad victum pauperum spectabant, procurabat, supellectilem in eorum usum apparabat, domicilium egenorum extruxit, partim suo sumptu, partim aliorum, qvorum in hoc corrogabat nummos, Sæpe audivi, qvum diceret, se bona omnia sua testamento relicturum pauperibus: at si aliter constitueret, rogabat amicos, ut falsum putarent Testamentum: in eum enim modum solebat cum amicis jocari familiariter. Porro ille non fefellit expectationem egenorum, Testamento enim qvod conscripsit XIII. Calendas Junias, non alium nuncupavit hæredem, qvam pauperes, qvibus reliqvit, non modo luculentam hæreditatem, sed etiam corpus ipsum credidit fidei pauperum post cineres. Voluit corpus suum seponi in xenodochium publicum, palam testatus, qvam impense amaverit pauperes, qvanta benignitate eis semper faverit. Prius qvam Boërius Testamentum prælegendum curaret testibus in hoc adhibitis, multa de extemporali, & umbratili hac vita locutus est, multa de infelici, & heu, nimium periculosa humani generis sorte; multa de fortunarum & studiorum suorum ratione, eaqve scorsum ab uxore, multa de animæ salute: & qvoniam sua opinione sibi videbatur præsentire diem fatalem imminere, subinde rogabat Christum, ne morituro deesset. Ipse memini, qvum isthæc audirem Boërium loqventem, non potuisse me temperare à lachrymis, qvæ molliter ex oculis destillabant. Qvæ dicimus, verissima

esse non ignorat *Carol. Acromontanus, Archiepiscopus Burdegalensis*, qvi tunc intererat: non negabit *Franciscus Belverius*, Præses gravissimus: non inficiabitur *Salvatus à Pomiers*, Inqvisitionum Præses, non mecum contendet aliter esse, *Augerius Lantanus*, dudum collega noster, nunc apud Aulicos Regis Consiliarius: ita rem habere affirmabit *Nicolaus à Sancto Simone*: asseverare potest constanter *Leonhard. Amelinus*: non reluctabitur *Raymund. Balavonius*: nam hi omnes rogati fuerant in fidem Testamenti: & ego qvoq; testium numero adjunctus fui. Multa legata Boerius adscripsit Testamento, qvibus elocarentur puellæ. Monialibus, qvæ titulo Annunciationis sacræ Virginis censentur, reliqvit non contemnendum legatum: jussit peragi sacrum qvotidie sua causa post fatum. Mulieribus qvæ à pœnitentia sacro qvidem cognomine appellantur, legatum non omnino tenue præstari voluit: libros suos omnes, simul & Senatus Burdegalensis Placita, qvæ diutissime elucubrarat, legavit amplissimo patrum Ordini, in perpetuum Curiæ Burdegalensis usum: postulavit autem ut in aptum aliqvem locum sacri palatii reponerentur libri, ne forte à cimicibus, tineis & blattis roderentur. Senatus lubentissime agnovit legatum, tantum abest ut repudiaverit. Mox constitutus est locus ad bibliothecam apparandam, qvæ hodie est instructissima, honestissima supellectili librorum, qvi ad cognitionem Juris pertinent. Senatus Placita missa sunt Lugdunum, ut typis excuderentur, in qvam rem multum operæ collocavit

locavit qvantum audio, *Gabriel ab Ales*, collega, noster. Senatus nostri Placita licebit ante multos dies deosculari, admirari & suspicere. Conscripto Testamento vixit Boerius fatorum benignitate annum, qvo exacto decubuit ætate gravis: Nam septuagesimum annum attigerat, aut, ut alii sentiunt excesserat. Efflavit animam Boerius, IV. Idus Junias, Anno M. D. XXXIX. dignissimus certè, qvi nunqvam consenuisset, qvi nunqvam reliqvisset terras, qvi Rempublicam nostram Aqvitanam administrasset perpetuo. Non tam sibi ille occidit, qvam Reipubl. Aqvitanæ: ereptus est nobis vir, in qvo omnia, qvæ singulatim in cæteris habentur, in uno liceat summa admiratione videre collecta. Non illibenter proseqverer Boerium nostrum gemitu & lamentis; nisi scirem ea lege homines nasci, ut qvando visum fuerit DEO Optim. Maxim. è tenebris humanæ infelicitatis evolent in lucem. Non me clam est in deterius prolabi Reipublicæ nostræ Aqvitanicæ dignitatem, qvæ est temporum injuria; labefactatur Respubl. doctorum hominum: desiderantur in Senatu felicissima, qvorundam ingenia, qvæ nobis excidere: desiderantur, *Joan. Dibarrola*, familiare & certum Legum civilium & Sanctionum Pontificiarum domicilium: fatorum invidia diebus superioribus sustulit nobis *Briandum Valeam*, rarum Senatus nostri ornamentum, qvi literis politioribus summam utriusq; Juris cognitionem adjunxerat, qvi tanta erat ingenii dexteritate juxta ac memoriæ tenacitate, ut omnia haberet in para-

to: qvi valebat judicio, id qvod etiam in confummatæ eruditionis viris interdum folet defiderari: qvi erat ufus forenfis peritiffimus. Magis eft muffanda ætatis noftræ calamitas, qvam exprimenda. *Si res familiaris ex fententia animi non fucceſſerit, nemo non folet moleſtiſſime ferre, in aperta Reipubl. jactura cæcutire atq; fubdormire placet.* Faxint fuperi, ut pro tenebris, id eft, imperitis, pro tenuibus, id eft, in expertis, aliqvando recipiamus viros jurisperitiffimos, & in foro exercitatiffimos. * Ingenue dicam qvod fentio, nifi me plane confirmarent docti aliqvot, defperarem de falute Reipublicæ ne fcilicet confifteret incolumis. Defideramus è noftris doctos aliqvot, qvos maximè interfit Reipubl. extare, horum tamen defiderium leniunt multi in Senatu noftro, qvos ego lumina Reipubl. noftræ appellare foleo, qvorum nomina non infcius prætereo, ne qvid mihi conflem invidiæ: agnofco omnes doctos effe, fed fummum qviddam eft primas in ampliffimo ordine tenere. Hæc habui, *Lector candide*, qvæ de Boerii vita ac moribus fcribenda duxi, multo plura fcripturus, fi per otium & forenfes noftras occupationes licuiffet. Hanc autem operam non gravate fufcepi, qvod fciam, me tam multis nominibus obæratum fuiffe Boerio, ut non poffim ulla ex parte folvendo effe, etiamfi me totum qvantus fum pignori oppofuero: aut capitis auctionem fecero: id certè aufim de me affirmare, non ullum libentius fufcepturum fuiffe hunc laborem. Reliqvum eft, ut qvando Boerius optimi & doctiffimi hominis

minis

minis exemplar propoſuit, enitamur aliqva ex parte eum imitari, qvando referre difficillimum ſit. Fruamur vigiliis Boërii, fruantur illius manes perpetua tranqvillitate, ſervet terra corpuſculum piæ mentis hoſpitium, fruatur cœlo anima, vigeat fama Boërii, huic vitam in cœlis dent numina juſta perennem. Gratulemur Boërium Montipeſſulano dulciſſimæ patriæ, gratulemur Biturigibus, gratulemur Senatui Burdegalenſi, gratulemur univerſæ Gallorum Reipubl. hominem doctum, pium, & , ut tandem finiam, virum omnibus numeris abſolutiſſimum.

Gvid. Pancirolus de Claris Legum Interpretibus lib. 2. cap. 153.

NIcolaus Boërii Filius à Montè Peſſulano Galliæ Narbonenſis Caſtro, in Patria Juri Civili & Pontificio ſtuduit ſub præceptoribus *Vives & Ancharano Ray*, qvi vulgo *le petit Pape* vocabatur, & ab iisdem in utroqꝫ Jure gradum Baccalariatus accepit; Inde ob peſtem recedere coactus Biturigibus Juris Licentiatus eſt effectus. Ubi advocati officio functus eſt, mox magni conſilii Regis Ludovici, & Burdegalenſis ordinarius conſiliarius & poſtremo Senatus præſes fuit, ubi cum *Bertrando à Caſaignes. Domino ſtante fortis* ibidem Senatore & jurium Profeſſore, nonnullos qvi in Civitate *Agenenſi* Anno M. D. XIII. ſeditionem moverant, punivit.

SCRIPTA BOERII.

Consvetudines Biturigum cum comment. Boërii, edit. *Francof. 1575. 1598. & 1611. in fol.*

Dyni Muxellani Commentarius in Reg. Jur. pontif. cum Boërii, Car. Molinæi, Franc. Cornelli & Gabriel. Sarninæ adnotationibus edit. *Coloniæ 1578. 8.* inscripsit Boërius hos suos labores *Guil. de Cameraco* Bituricens. Archi-Episc. & Aqvitaniæ Primati, cujus ex nepte filiam duxerat uxorem, de qvâ p. 12.

Tractat. ejusdem de Ordine & Præcedentia Graduum utriusqve fori extat *in Tract. Tractatt. edit. Venet. 1584. Tom. XVI.* cujus tres Indices edidit *Woldenbergius JC. Rostochi 1665. in 16.* & impress. denuo *Jenæ 1676. 12.*

De Custodia Clavium Portarum Civitatum, in *Tract. Tractatt. d. edit. Tom. XVI.* & cum ejusdem Decisionibus *Lugd. 1566. 1579. & 1593. in fol.*

De Seditiosis in *Tract. Tractatt. d. edit. Tom. XI.* & cum *Decision. d. l.*

De Auctoritate Legati à latere in *Tr. Tractatt. d. edit. Tom. XIII.*

De Eremitarum Statu & Vita in *Tr. Trr. d. edit. Tom. XIII. & Lugd. 1593. & 1566.*

Additiones ad *Job. Montani s. de Montaigne,* Tr. de Parlamentorum Galliæ & Concilii authoritate, *Paris. 1512. 8.* & *Lugdun. cum Decisionibus 1566. 1579. & 1593. fol.*

Addi-

Additiones ad *Gvil. Mandagotum*, Archidiaconum Nemausensem & post Ebredunensem Archiepiscopum, ac demum Cardinalem, de Electionibus novorum Prælatorum edit. per *Matth. Boyß. J. L.* cum *Frederici de Senis*, Tract. de permutatione beneficiorum, *Colon. 1574. in 8.*

Annotationes ad LL. Longobardorum *Venet. Anno 1537. in 8.*

Tract. de Officio & Poteſtate Georgii de Ambasio tit. S. Sixti Presb. Cardin. *ibid.* Bibliothec. Oxon.

Repetitio in L. Conſentaneum C. qvomodo & qvando Judex. *Tom. VIII. Repp. Lugd. 1553.*

Conſilia, *Genev. 1554.* & *Francof. 1574. fol.*

Deciſiones Burdegalenſes cum ejusdem Conſiliis, it. Tract. de Seditioſis, de Cuſtodia Clav. Portar. Civitat. Additiones ad Joh. Montan. de Authoritate Parlamentorum Galliæ, *Lugd. 1566. fol. & ibid. 1579.* cum *Ægidij Magiſtri* Deciſion. *1593. fol.* ſeparatim Deciſiones prodiere *Francof. 1574. 1599. & 1665.* it. *Genev. 1620. in fol.*

GU-

GULIELMI BUDÆI, Parisiensis, Viri Clariss. VITA,

per *Ludovicum Regium* ad *Gulielmum Pojetum*, Magnum Franciæ Cancellarium.

Amplissimo Viro atqve Illustrissimo GULIELMO POIETO, Magno Franciæ Cancellario, *Ludovicus Regius*, *S. D.*



Hilippus Cossæus Constantiensis Antistes, cujus jussu Gulielmi Budæi vitam explicandam suscepi, author mihi fuit, ut hunc meum laborem nomini tuo consecrarem: existimans, qvoniam Budæum paulò antè vita fruentem unicè dilexisti, qvicqvid de eo mortuo scriberetur, tibi fore gratissimum. Ego verò, tametsi videbatur id alienum institutis meis, & in primis arduum statuebam, tantam rem; tam expectatam & diligentia conseqvi, & memoria complecti, & oratione exponere: tamen viro clarissimo atqve doctissimo & justa imperanti, & præclara cupienti non parêre nefas esse putavi, eoq; magis, non aliunde po-

poteram honeſtius primam ineuntis adoleſcentiæ commendationem ducere. Itaqve non auſus Patroni mei aut authoritatem aspernari, aut voluntatem negligere . recuſandi pudore ſcribendi onus ſuſcepi. Qvod autem erat optandum maximè, ut mihi juris ſtudioſo daretur aditus ad te ſum̃um Juris Antiſtitem, Jurisconſultorumq; Principem, & qvod unum ad rationes meas maximè pertinebat, id non fortuitò, ſed propè divinitus datum atqve oblatum videtur. Qvamobrem qvoniam propter obſcuritatem in hominum ignoratione adhuc jacui, nixus præſtantiſſimi Viri authoritate, ad tuam Amplitudinem confugio: inde aut præſidia adverſus invidiam, aut laudi, ſi qva fortè naſcatur, adjumenta qvæſiturus. Nemo enim te uno dignior occurrebat: qvem in maximis graviſſimisqve cauſis Reipubl. noſtræ cognitum, in primisqve ſpectatum Franciſcus Rex Regum, potentiſſimus & ſapientiſſimus per omnes honorum gradus ad ſummum extulit Magiſtratum. Qvem ita geris, ut diligentiam admirentur omnes, virtutem agnoſcant: Sitqve intellectu difficile, utrum is Magiſtratus ornet te magis, an ornetur â te: Nec verò in minima tua laude ponendum eſt, qvod ut ſemel tanto honore auctus es, tecum habuiſti Budæum ſemper, captus ejus & virtute & doctrina: hunc nusqvam à te dimittere, tecum qvocunqve proficiſcereris deducere voluiſti, qvi cum remotus ab oculis populi in ſtudiis cognoſcendi ſemper aliqvid aut diſcendi, qvantum Reipublicæ ſuperfuerat temporis, li-

ben-

bentissimè atq; multò verius cupidissimè contereres. Qvare interim extimesco, ne refricem hiscè meis literis desiderium, ac dolorem tuum: qvem ex interitu illius longè acerbissimum accepisse te sciunt omnes. Qvid enim non doleas ereptum tibi hominem magno ingenio? admirabili doctrina? singulari prudentia? & tecum omnium consiliorum societate conjunctissimum? Qvæ si unà cum illo occidissent, immoderatius doctissimi viri desiderium ferendum esset. Sed nec illa occiderunt, alenturqve æternitate, & augebuntur totius posteritatis memoria. Doctrinam ejus Viri coluisti, qvæ vivit, semperqve vivet in omnium gentium mentibus ac sermonibus: multo notior, atq; illustrior posteris qvam præsentibus futura. Accipies igitur hunc librum exiguum qvidem & tenuem, sicuti nascentia omnia sunt & incipientia, nec tam re & maturitate, qvalia solent esse, adolescentiumq; spe fortassis & exspectatione commendandum, qvem tamen spero tibi fore jucundum, tum Budæi ipsius causa, cujus honori destinatus est, tum Constantiensis Episcopi tuæ amplitudinis observantissimi nomine, cujus cum essem mancipio & nexu proprius, tuum tamen esse voluit usu & fructu,

Vale.

Præfatio.

SI qvis conversiones rerum humanarum consideret, & vetera animo repetat, comperiet non omnibus ætatibus, sed aureis (ut ita dicam)

cam) qvibusdam fæculis egregios homines extitiſſe, in qvibus vires ſuas natura potiſſimum ſit experta. Non enim Demoſthenem & Ciceronem præſtantiſſimos Oratores, nec Platonem & Ariſtotelem principes ingenii & doctrinæ, nec Homerum & Virgilium clariſſimos poëtas, nec Hippocratem & Galenum Medicorum lumina temerè aut fortuitò ſatos & creatos fuiſſe credendum eſt. Sed profectò fuit qvædam vis qvæ generi conſuleret humano, illosqꝫ gigneret & aleret: ut artes ad benè beateqve vivendum neceſſarias aut invenirent ipſi, aut inventas perpolirent, abſolverent, atqve ad ſummum perducerent. Ac noſtra qvidem ætate, qva omnes bonæ artes ſeſe rurſus erigere cœperunt, natura ex ſuperiorum temporum caligine recreata, multos homines claros & magnos in omni virtute, omni diſciplinarum genere protulit: inter qvos admirabile eſt, qvantum Budæus unus excellat, ſive utriusqve lingvæ cognitionem, ſive magnarum artium & reconditarum rerum ſcientiam, ſive vitæ integritatem, ſive præclara ingenii monumenta, ſpectemus. Itaqve ſuſcepi more Majorum laudabili illo qvidem, ſed multis ſæculis intermiſſo, vitam tanti viri explicandam. Nam fuit olim uſitatum, ſtatuere claris hominibus ex marmore, aut ex ære ſtatuas, teſtes diu futuras magnorum in Rempubl. meritorum: & ſimul eorum dicta factaq; poſteris prodere, ut cum has imagines intuerentur, animum & mentem ipſa præſtantium hominum cogitatione, confirmarent, certarent cum illis probitate

tate & industria: neqve priùs conqviescerent, qvam virtute famam illorum ac gloriam adæqvavissent. Nostra ætas nescio qvo pacto virtutem invidia potius, qvam imitatione proseqvitur & honestos labores contumelia libentius, qvam splendore decorat: ac spretis his qvorum aut scripta aut facta proximè ad antiqvorum gloriam perveniunt, veterum laudes cupidius audit. Perinde qvasi omnis flos ingeniorum siti veteris ubertatis exaruerit, aut antiqvis solis aditus ad virtutem patuerit, nobis vero sit interclusus. Minuenda nimirum est hæc opinio tanqvam inimica virtuti, vel potius ex animis hominum evellenda: qvam sit ingrati, credere naturam omnium parentem cuncta sua munera olim effudisse, ut in posterum sterilis effœtaqve maneret? Qvod si ad hujusce nostri sæculi fœlicitatem animum convertere velimus, sine dubio comperiem⁹ nostros homines antiqvis ingenio non inferiores, multos doctrina pares, studio autem & industria longè superiores: nec minoris æstimandos, nisi cœcitate qvadam animi eorum laudi & gloriæ invidere, qvam favere mallemus. Qvamobrem resipiscamus aliqvando, grati simus in æqvalium virtute decoranda: simus diligentes in illis celebrandis, qvibus nulla laus tribui non debita potest, tametsi Budæus pro se satis habetur illustris, nulliusq; prædicatione eget qvo celebrior sit & commendatior. Est ille qvidem præclaris ingenii monumentis ad omnem memoriam commendatus. Tamen è dignitate patriæ, ex usu omnium qvi literis dant ope-

operam, fore putavi, si ejus imaginem non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum qvoqvomodo exprimerem. Qvemadmodum enim qvi vi tempestatis à recto cursu longius aberrarunt, in noctem conjecti, si ex continente locisqve superioribus, unde est propinqvus aspectus in mare, lumen conspexerint, facilè naufragium effugiunt, tutumqve receptum inveniunt: Eodem modo, qvi sese scientiæ cognitionisq; studiis dederunt, si varietate rerum magnitudineqve tanqvam fluctibus oppressi, animum contrahant aut demittant, splendore præstantium hominum & exemplo, velut gubernaculo, eriguntur ac resistunt, atq; ex procellis difficultatum, ex æstibus curarum, per angustias, per vada, per saxa & cautes in portum doctrinæ velis passis pervehuntur. Itaqve cum omnibus exploratum erit, qvæ subsidia Budæus habuerit ad tantam eruditionem, qvibus initiis ac fundamentis tantæ summis in rebus laudes excitatæ fuerint: qvam contrà impedimenta obstiterint, & qva industria superarit, ut jam planè grandis & sine præceptore literas didicerit, qvam multa in vita occupatissima legerit, tractarit, scripserit, ex his fructum illum vel maximum percipient in rectam disciplinæ viam ingressi: qvod intelligent, qvi majorem discendi commoditatem habent, minimè illud ipsum, qvod est summum, desperandum esse, modo qvod efficere, aut qvò progredi possint experiantur, & adhibeant ad considerandas res honestas, cognitioneqve dignas & tempus & diligen-

C tiam.

tiam. Ad hæc cum genus vitæ, naturam, mores, gravitatem, constantiam, præstantiam, atqve prudentiam intuebuntur, id qvoq; intelligent, qvod præcipue his temporibus salubre & frugiferum existimo, nempe *ex literis non ostentationem scientiæ, sed integritatem morum multò magis esse qværendam.* Nam videre licet qvosdam ex his, qvi literas profitentur, tanta esse levitate & jactatione, ut his fuerit non didicisse melius: alios gloriæ cupidos, temere & inconsulto qvodvis scribere: maledicendi avidos nonnullos, alienæ famæ passim obtrectare: multos, omnis generis flagitiorum servos, ut literarum dignitatem mirabiliter comminuant, vel dedecorent potius. Nec verò me fugit qvanti sit negocii vitam tanti viri totam explicare, & eam non modo in animis, sed etiam in oculis conspectuqve omnium exponere. Qvod si minus ea bene dicendo conseqvar (qvis enim id ullo modo posset?) qvæ Budæus bene agendo consecutus est, etsi neqvaqvam parem illius virtuti facultatem orationis afferam; at pro nostro studio meritam gratiam debitamq; retulisse, nullam apud æqvos rerum æstimatores reprehensionem habebit. Erit interea satis id qvidem nobis contendisse, non modò uti doctum, qvod orbis terræ judicio comprobatum est: sed summum etiam ac singularem virum fuisse Budæum, & cùm prudentia, tum omni virtute excellentem per nos posteritas cognoscat. Sed jam ad id qvod nobis institutum est, veniamus.

Gul.

GUlielmus Budæus Lutetiæ Parisiorum nobilissima & antiqvissima stirpe ortus, majores habuit amplissimis honoribus functos: qvi multis in rebus principibus nostris magno usui, & Reipubl. ornamento fuerunt. Patre usus est copioso inprimis, &, ut tum erant tempora, à literis non abhorrente. Puer admodum ab eo præceptoribus est traditus, ut literis institueretur. Personabant adhuc omnes Scholæ vocibus imperitorum hominum & barbarorum, necdum politioris doctrinæ splendor Gallis illuxerat. Qvapropter cum vix primoribus labris latinos scriptores attigisset, qvod fuit in more majorum institutoqꝫ positum, *Aureliam* celebrem urbem, ut ibi jus civile disceret, est missus. Qvo in gymnasio triennium versatus, operam penè omnem perdidit. Neqve enim ignarus latinæ lingvæ, & ab aliis disciplinis imparatus, artem illam reconditam & multiplicem subtilemqve cui sese dediderat, cognitione & scientia poterat comprehendere. Domum revocatus, cum aliis qvibus adolescentia capitur voluptatibus, tum venationi atqꝫ aucupio præcipue indulsit. Qvæ tamen eum non diu occupatum impeditumqve tenuerunt. Nam paulatim defervescentibus ejus ætatis cupiditatibus, illisqve deliciis maturè deflorescentibus, omnium opinione celerius immutatus, tanto demum literarum amore exarsit, ut negociis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret. Itaqve omittere omnes voluptates, relinqvere studia delectationis, ludos, jocos, convivia, sermones etiam

omnium penè familiarium deserere: non cibi, non somni, non corporis rationem habere: arbitrari omne tempus deperire, qvod in literis non collocaretur. Ad qvæ facienda nullo exemplo poterat excitari. Neqve enim facile qvisqvam reperiebatur id temporis, qvem sibi ad imitandum proponeret, aut cujus gloria incenderetur. Verum erat insita qvædam discendi in ejus animo cupiditas, qvæ noctes & dies illum concitabat, atq; admonebat *nihil esse in vita magnoperè expetendum præter sapientiam, atqve scientiam. In ea perseqvenda omnes cruciatus corporis parvi esse ducendos, esse hanc unam, qvæ brevitatem vitæ, immortalitatis spe, posteritatis memoria consolaretur. Hanc neq; eripi nec adimi posse, neq; naufragio neq; incendio amitti: cætera omnia caduca & incerta, in fortunæ temeritate posita, parva interdum offensione, veluti grandine totius anni fruges auferri.* Qvæ secum persæpe reputans, cuncta sciendi cupiditate posteriora tandem duxit. Primus certè Gallorum rudi adhuc sæculo, sine præceptore ac duce, nullo socio aut consorte gloriosi laboris, nullo æmulo atq; imitatore studiorum, in optimarum artium curriculum prodiit. Cœterum cum is non posset per ætatem optimos qvosq; authores eligere: nec sciret â qvibus potissimum auspicandum esset, in constituendo studio plurimum peccavit. Deterrimum enim qvemqve librum sumens in manus, interpretes aliqvanto intentius qvam authores ipsos legebat. Ex qvorum illiteratis annotationibus, nihil præter inconditam rerum temerè con-

congestarum sylvam poterat comparare. Qvo errore intellecto, etsi graviter ferebat se vestibulo in ipso adituqve impegisse, non tamen animum despondit: sed sensim vitia in qvæ dilapsus erat, qvæqve per imprudentiam hauserat,* eluit, & magna sustulit difficultate. Hanc verò fecit instituti mutationem, ut optimum qvemq; legeret sine interpretibus, & Ciceronem inprimis ad verbum disceret. Sæpius enim lectionem â capite repetendo, hoc boni conseqvebatur, ut prima cum mediis, media cum extremis conferendo, facilè totius orationis cursum cerneret, ipsumqve authorem suæ sententiæ qvasi interpretem haberet: res etiam reconditas, qvæ plerumqve in scriptoribus occurrunt, intelligeret eadem exercitatione & diligentia. Itaqve paucis qvidem annis, sed plurimo certe studio Romanis artibus & literis ita profecit, idq; intra domesticos parietes, ut jam sive ad oratores, sive ad poëtas, sive ad historicos se converteret, facilem & expeditam eorum intelligentiam haberet. Cupiebat magnopere Græcas qvoqve literas discere: â qvibus omnis rerum optimarum atqve artium ubertas petenda est. Id fuit eò difficilius, qvod nulli suppetebant præceptores, â qvibus doceretur atqve erudiretur: tum qvòd Græcorum lingva nondum erat in Gallia cognita, qvodqve posteaqvam cognita, non multum culta, paucis certè grata & probata, pluribus etiam suspecta & invisa diu fuit. Sed incredibilis discendi ardor neqvaqvam restingvi potuit his difficultatibus. Venit eodem tempore

Lutetiam *Georgius Hermonymus*, qvi se Lacedæmonium nuncupabat, homo mediocris, & aut nulla aut humili doctrina præditus. Hic qvia solus in Gallia ea tempestate græcè scire videbatur, initio fuit nostris hominibns summæ admirationi. Qvem Budæus nactus, magna mercede conductum ad se accersivit, & anteqvam dimitteret, amplius qvingentis nummis aureis donavit. Adeo nulli nec sumptui nec pecuniæ parcere in animum induxerat, dum id qvod cupiebat qvoqvo modo asseqveretur. Itaqve huic Græco cum aliqvot annis operam dedisset, & eo prælegente audivisset Homerum authoresqve alios insignes, nihilo doctior est factus. Neqve enim præceptor ille plura docere qvam sciret, poterat: & Græcas literas eatenus noverat, qvoad convenit sermoni literato cum vulgari: & nisi qvod legere optimè, & è more doctorum pronunciare videbatur, expers erat omnis eruditionis: & qvi pingendis literis Græcis victum qværere tantummodo nosset. Non ita multo postea decedens ex Italia venit in Galliam *Janus Lascaris*, vir cum genere & nobilitate præstantissimus, tum Græcorum omnium hujus memoriæ facilè doctissimus. Qvi cognito Budæi studio in Græcas literas, qvanqvam erga hominem mirificè afficiebatur, ejusqve causa omnia cupiebat, non multum tamen potuit juvare: qvum ferè ageret in comitatu regis, aut legationes longinqvas obiret, & Budæus in perennibus studiis domi se contineret. Fecit tamen non invitus, qvod potuit vir humanissimus

atqve facillimus, ut præsens Budæo aliqvid prælegeret: qvod vix in omni consvetudine vicies contigit, & absens libros suos qvos emendatos maxime, & lectissimos hàbuit, ejus fidei mandaret. *(a)* Mathematicas disciplinas ab *Jacobo Fabro* nobili Philosopho didicit: ad qvas tantum ingenii & alacritatis initio attulit, ut evolare non excurrere videretur. Itaqve dum Faber multa proponit, Budæus omnia asseqvitur, eò res venit, ut prius ille docendo defatigaretur, etsi magnam mercedem accipiebat, qvàm hic discendo. Neminem præterea audivit, sed partim felicitate ingenii, partim assiduitate & diligentia cætera qvæ ad optimarum artium, & utriusqve lingvæ cognitionem spectant, est consecutus. Ab his autem initiis profectus, tantos in suis studiis progressus fecit; ut nostra ætate principem locum in literis tenuerit omnium confessione. Ipse qvidem Lascaris, etsi Græci in communicanda sua cum exteris laude parciores sunt, tamen admiratus elegantiam Attici sermonis, qvam scribendo feliciter exprimebat, de eo dicere persæpe solebat (ut scribit *Lazarus Baysius* vir amplissimus atqve eruditissimus) qvod olim de Cicerone Apollonius dixit, nempe *doctrinam & eloqventiam, qvæ solæ Græcis erant relicta, sic per Budæum hoc tempore in Galliam esse perlatas, ut olim* per

(a) Budæus in epistola ad Cutbert. Tonstallum, *Britannum, Regium oratorem, (cujus extant de arte supputandi* libri IV. in 4. *Paris. 1529. & 1539. ap. Rob. Stephan.*) 1. libr. 5. T. I. O. p. 363.

per Ciceronem erepta langvenes Gracia, Romam advenerant. Accepi *Christophorum Longolium*, dum Lutetiæ in utrisqve subselliis Jurisconsultorum versaretur, interea cupiisse græcas literas discere, & maximopere a Budæo petivisse, ut sibi qvotidie aliqvid prælegeret. Existimabat enim authoritatem viri præsertim tanta eruditione cumulatam, magnum sibi ad eam rem calcar addituram: tanto certè uti præceptore inprimis honorificum ducebat. Budæum respondisse, negotiis familiaribusqve & forensibus districtum prælegendi ocium non habere: adjuturum tamen qvod posset, adhiberet alium magistrum vel mediocrem si inveniret, loca obscuriora animadverteret, & notaret, qvum liceret, sui copiam facturum. Posteaqvam Longolius id obstinate sibi vidit negari, omni spe impetrandi ademta, graviter commoveri cœpit, malè suspicans Budæum hanc eruditionis partem, qva solus præstabat, aliis invidere, ac propterea neminem velle in societatem ejus gloriæ admittere: consilium exinde iniisse cum *Lazaro Baysio* Romam proficiscendi ad discendum Græcas literas, ea præcipuè causa, ut Budæum superaret, â qvo acceperat repulsam, illum â seipso edoctum tantum processisse in literis Græcis, & omni arte ingenua liberaliqve doctrina: sibi facultatem, sibi magistros, sibi deniqve paratiora omnia ad discendum fore. Qvibus ex rebus in magnam victoriæ spem & propè exploratam venerat. Romam ergò profectus cum doctissimis adhibitis præceptoribus qvinqvennium in Græcis scripto-

ptoribus legendis perseverasset, græcè epistolam ad Budæum misit, jam tum sese homini arbitratus exæqvatum. Cui Budæus tam concinnè & accuratè rescripsit, (extat autem epistola) ut Longolium primum in admirationem summam adduceret, deinde etiam in desperationem. Baysius qvoqꝫ ejus epistolæ elegantia ita obstupuit, ut tum ingenuè fateretur, multum adhuc superesse qvò progrederentur: & Longolium identidem admoneret, vix illud perfici posse qvod tentarent. Qvocirca Longolius, qvanqvam esset magni vir animi, tamen desperatione debilitatus, noluit amplius in eo laborare qvod se assequi posse diffideret. Verum se retulit ad Romanas literas, futurus haud dubiè, si diuturniorem lucis usuram superi concessissent, omnium non nostræ modo ætatis, sed eorum etiam, qvi post Ciceronem latinè locuti sunt, in dicendi facultate princeps. Magna ergo Budæi laus, qvod à duobus excellentis ingenii juvenibus, hisce studiis ardentibus, ocio abundantibus, ejus æmulatione incensis eaqve causa domo tam longinqva profectis, uberrimis prætcrea artibus ornatis, consvetudine, sententiis, voluntate consociatissimis, omnibus vel naturæ præsidiis, vel fortunæ adjumentis ad discendum paratissimis, toto deniqve pectore ad laudem incumbentibus non potuerit anteverti. Hocqve in eo magis mirum: qvod jam ætate provectus literis studere cœpit, qvod in tanta occupatione vitæ, tot impedimentis principio illatis cursum nihilominus potuit tenere. *Sed ita in humanis rebus à na-*

tura comparatum videtur, ut pulcherrimo cuiq; operi difficultas proponatur, & tardè crescentia sint diuturniora & perfectiora. Proinde sicut animalia majora diutius visceribus parentum continentur, & arbores proceriores tardius adolescunt, In arborum autem ipsarum, baccis & frugibus terræ, qvæ lentius maturescunt, hæ sunt meliores & longius servantur: Sic præclara ingenia, qvæ ad frugem sunt perventura, non continuò se proferunt: sed qvantò uberiores fructus datura sunt, tanto difficilioribus utuntur progressionibus, præcocia verò tanqvam flosculi celeriter emoriuntur, vel raro sine offensione ad excellentem statum perveniunt. Qvapropter qvò serius ad literas se applicuerat, eò majore cursu tarditatem corrigendam ratus, brevi jacturam superioris ætatis resarcivit. Tantus erat in eo bonarum artium amor innatus, ut cæterarum rerum oblitus, qvidvis perpeteretur ipsa cognitione & scientia captus: curas, sollicitudines, vigilias perferret, nec voluptatem reqvirens aliam, qvàm qvæ ex literis capitur, nec ullum fugiens laborem. Ita mentem suam in rebus cognoscendis, qvæ sunt ab antiqvis repertæ, aut investigandis novis alebat cum oblectatione solertiæ: qvem unum svavissimum animi pastum judicabat. Erat in eo inexhausta aviditas legendi, nec satiari poterat. Qvemcunq; librum semel arripuisset, nulla nec obscuritate terreri, nec novitatis illecebra adduci potuit, ut de manibus deponeret priusqvam pervenisset ad metam. Forte evenit ut haberet sermonem de suis

studiis

ſtudiis apud *Franciſcum Regem* multis audientibus viris ampliſſimis, in qvibus aderat *Viſtus* Præſes concilii Pariſienſis, Budæo non ſolùm vicinitate, ſed etiam conſvetudine & benevolentia conjunctiſſimus: tum ſummæ ejus diligentiæ & teſtis locupletiſſimus, & laudator certiſſimus. Producto longius (ut fit) ſermone, cum alia aliis adderentur, qvæ obſtupeſcerent audientes, & Rex magnopere miraretur: hæc Viſtus ſubjunxit, Budæus è regione ædium mearum (ait) plus decem annis jam habitavit: tamen qvoad poſſum totius ejus ſpatii memoriam recordari, hunc nunqvam vidi, ne diebus qvidem feſtis in limine domus (ut aſſolet) ociantem, nunqvam horis pomeridianis circulantem, aut prætereuntes circumſpicientem, nullum deniqve tempus vacuum laboris ſibi dantem animadverti, aut unam dieculam remittentem relaxandi animi cauſa. Qvorum admiratione cum omnes in ſe convertiſſet, Rex â Budæo ſciſcitatus eſt, num ille vera prolocutus eſſet: verecundè agnovit omnia, & his alia majora qvotidie facere ſe dixit: qvæ ſi vulgò proferantur, vix habuerint fidem. *(b)* Atqve hæc qvanqvam difficillimum eſt

b) Narrat hoc ipſe Budæus libr. 1. de Philologia in Oper. T. I. p. 35. *hac addita indefeſſi ſtudii ratione: Sed omnia majorem in modum facere, atq; etiam maximum mihi neceſſe erat, homini nec ingenio felici prædito, & qvi in adoleſcentiæ clauſula, non dico diſcipulus, ſed tantum tyrunculus hujus ſtudii*

eſt non dicam augere aut ornare oratione, ſed enumerare aut conſeqvi, tamen commemorabuntur qvomodocunq; , ne cujus ingenium admiramur, ejus ignoremus induſtriam. Itaqve diebus feſtis operatus ſacris, qvod reliqvum erat diei, non intempeſtivis conviviis, non aleæ, non pilæ (qvemadmodum magna pars hominum) ſed recolendis ſuis ſtudiis impertiebatur. *Nuptiarum etiam die, qvi eſt lætitiæ & hilaritati dicatus, minimum tres horas ſtuduiſſe commemorant*, ne parva qvidem momenta per incuriam ſolitus prætermittere. Qvod ſi gerendis rebus interdiu diſtineretur, nunqvam ſe ſomno dabat, qvin tantundem lucubratione nocturna rependeret, qvantum perierat diurni temporis literis deſtinati. Non uxoris amor qvam unicè diligebat, non liberorum blandimenta, non rei familiaris cura illum â literis ullo unqvam tempore abſtrahere, aut retardare potuerunt. Diem ita conſumebat: Manè excitatus è ſomno, literis ſe abdebat usq; ad tempus prandii: priusqvam diſcumberet, ſe exercebat modica ambulatione. Poſt cibum duæ propemodum horæ variis ſermonibus ducebantur: inde ad easdem vices redibat, nihil, â cœna qvam ſerò admodum faciebat, ſolitus legere, aut ſcribere. Utebatur ſumma in victu continentia, cibi potusq; modum

dij eſſe cœpiſſem, & verò gentilis illius Ariſtippi, qvi Metrodictatus appellatus eſt: deniq; qvi à memetipſo omnia mutuarer, ſiqvidem nullus erat unde rogare poſſem.

dum naturali desiderio, non voluptate finiens: neq; extructa mensa, neq; apparatis conviviis magnopere delectabatur. Memoria tam felici fuit, ut ea qvæ semel in animo hæserant, nullo temporis spatio longinqvitateve delerentur. Visus est sæpe, cum multos versus recitaret non modò integris sensibus, sed singulis etiam verbis eorum authorum, qvos in manibus viginti, aut triginta totos annos non habuerat. Porro autem fuit, sicut dictum est, usq; eò diligens & industrius, ut qvicqvid in suis studiis profecerit assiduitati penè soli deberi videatur. Itaq; nihil erat ulla in arte rerum omnium, qvod ipse nesciret, omnium bonarum artium scriptores ac doctores cum Græcos, tum Latinos legerat & pervolutarat: nec solum has artes, qvibus ingenuæ ac liberales doctrinæ continentur, literarum cognitionem, & poëtarum, & antiqvitatis totius memoriam, atq; illa qvæ de naturis rerum, de hominum moribus, de rebus publicis disputata sunt, assecutus erat: sed etiam jus civile perdidicerat, medicinam cognoverat, disciplinam sacram universam perceperat cum antiqviorem, tum novam, qvæ sunt in hominum vita omnia qvæsita, audita, lecta habebat. Postremò nihil his temporibus sciri discive potuit, qvod ille non cum investigarit, tum etiam scierit. Qvanqvam is qvidem doctrinæ suæ dissimulator magis qvàm ostentator fuit. Nemo illo parcius loqvebatur, nemo minus aliis sese venditabat, nihil unqvam fere nisi peteres, nisi etiam rogares, explicabat. Ineunte autem ætate amici videntes

tes illum ſic addictum ſtudiis humanitatis ac literarum, abjecta cura rei familiaris vel tuendæ, vel amplificandæ, qvisqꝫ pro ſua virili revocare nitebantur, modò ignominiam, modò inopiam, ſi in inſtituto perſiſteret, denunciantes. Eſſe id fato qvodam literarum comparatum: *ut qvo qvis ingenuas artes complectatur ſtudioſius, hoc fortunæ fluctibus jactetur acerbius.* Jus civile ſibi potius perdiſcendum proponeret, qvod â prima coluerat ætate: ex ejus artis cognitione fore, uti magnam gratiam colligeret, & ad honores ſummamqꝫ gloriam perveniret. Pater verò ubi reſcivit illam ſine intermiſſione effuſam contentionem, opinioneqꝫ omnium majorem animo cepit dolorem. Timebat enim filio jam ingenii laudibus effloreſcenti, ne tempeſtate aliqva abriperetur, eoqꝫ magis, qvòd in decurſu ſtudiorum & illo adoleſcentiæ flexu videbatur prudens & ſciens tanqvam ad exitium ruere voluntarium, cum tamen in eo magnam dignitatis ſuæ & familiæ ſpem dudum collocaſſet. Itaqve refrænare illum tanqvam vehementiore ad literas ſtudio concitatum, ſvadere, monere, aliis atqꝫ aliis occupationibus diſtinere, perſonarum etiam civilium, qvas olim geſſerat, unam imponere: qvaſi hoc invitamento honorum de ſententia deduci poſſet, & erigi ad majora. Sed neqve patris authoritas mentem convertere, nec cohortatio voluntatem commutare, nec honorum ſplendor alacritatem ſtudiorum potuit reprimere. Qvinimo qvanto pater acrius inſtabat, tanto ille magis & laborem & induſtriam auge-

augebat. Hanc ergo pertinaciam, qvæ adeo efferbuerat, cum nec indulgentius monendo, nec feverius objurgando mitigare poffet, nec faltem perficere, ut id qvod agebat, ageret temperatius, vifum eft tandem patri cum filio feorfim fic agere & loqvi: *Qvid tibi vis, aut qvid qværis? qvid hoc tempore omni noctes & dies in iftarum difciplinarum meditatione verfaris? an me vivo conficies te vigiliis & laboribus? idcircone te tanta cura educavi, ut te in exitium ultro præcipitares? in tua indole fpem collocavi, ut fenectuti meæ mœrorem & orbitatem afferres? Te enim intuens, qvi es mihi chariffimus, non poffum non mifefcere tuæ fortis, qvòd infano literarum amore flagrans, nec modum ftudio facias, nec finem labori, finxerit te natura ad humanitatem & doctrinam, ad eam te ferius applicueris, an propterea feftinandum tibi ita putabis, ut per incuriam corporis in morbum incidas? & per negligentiam rei familiaris, jacturam patrimonii feras? Qvanto fatius effet Majores tuos refpicere, & illorum veftigia perfeqvi, aut faltem qvando fententia ftat ætatem in ftudiis agere, in his moderatius verfari, inprimisqꝫ valetudini fervire. Satis fuperqꝫ ad difcendum longa eft vita, fi ordinem ferves & rationem & modum. Qvamobrem videas etiam atqꝫ etiam & confideres, qvid agas, & qvo progrediare. Si te oratione mea onflectam, nihil cujusqvam proficiet apud te dehortatio. Nam neqꝫ auctoritate qvisqvam neqꝫ benevolentia apud te plus valere debet.* Erat eo robore animi feptus, ut illa eadem fæpe & graviter audiendo vinci non potuerit: adduci verò ut perfeverantiæ finem faceret, multò minus: & qvodvis

vis potius periculum ſibi adeundum, qvàm â ſperata eruditionis gloria diſcedendum putaret. Adeo nihil qvicqvam tam aſperum, tamqve arduum occurrebat, qvod moraretur inceptum. Atqvi progrediente tempore uſu rerum & magno ſuo periculo, patris verbum nimis verum comperit: nec tam ab indignatione (ut fit) expreſſum, qvàm prædictum hominis & ætate & experientia plus ſcientis & providentis: qvippe qvi propter valetudinem qva uſus erat infirma, ab anno ætatis qvinqvageſimo usqve ad ſeptuageſimum, qvem tum agebat, medicinæ ſtudioſus experiensqve evaſerat, qvo certius præſagiebat qvæ ventura erant filio, niſi monitus præcaveret. *(c)* Poſtremò res eò rediit, dum literarum

---

(*c*) *Hanc Patris de hortationem à ſummo illo ſtudiorum ardore Budæus ipſe* libr. I. Philolog. p. 35. & ſeq. *ſeqventibus verbis memorat: Patrem cum indulgentem principio nactus eſſem & benigne ſuppeditantem, tametſi tres me fratres ætate anteirent, qvatuor ſubſeqverentur, erat enim, ut temporibus illis, ſatis ample prædiatus, & ſtipendiis munerum publicorum claſſice conſtitutas habebat facultates, poſt aliqvot annos ſenſim favere deſtitit meis ſtudiis. Namq; is ut me ſenſit cuncta juventutis ſtudia, omnia ludicra atq; ſeria, qvibus antea flagraveram, literarum ſtudio planè poſthabere conſtituiſſe; ferventisq; ab ætate & natura animi contentionem ad ſolam Philologiam contuliſſe, qvam ſine rivali perdite amare me tunc abſurdum vi-*

videbatur, fortunisq; meis & fortunæ calamitosum futurum. Igitur simul ut qvem impetum cepissem animadvertit, homo tum septuagenario jam proximus, cuiq; ægra valetudine assidue ab anno qvinqvagesimo laborare contigisset, ob idq; medicinæ studiosus experiensq; evasisset, revocare me & retrahere institit, tanqvam vehementiorem in modum incitatum, & jamjam præcipitaturum in exitium. Itaq; svadere, monere, distinere in diversa me parte, imperatisq; operis aliis super alias avocare. Id vero ejus commentum non mihi minuere laborem & industriam, sed geminare cœpit. Cum ego nihil mihi deperire temporis literis destinati sinerem, qvin tantundem lucubratione & vigiliis exacte rependerem. Tandem autem qvum ipse tum indulgenter, tum pro suo jure mecum agendo perficere non potuisset ut temperatius id qvod agebam, agerem, atq; ex aliorum more, mihi enim nunqvam sic temperare potui, qvin ultra stadij sulcum, ut est in proverbio Græcorum, jam tum assilire gestirem, tum deniq; ille offensiore jam animo fremere, indignari, non obscurissime ferre deniq; me unum habere se deploratæ spei filium, in qvo tamen non qvamlibet olim spem collocasset subsidij familiaris & imaginum gentis: erat enim jam olim multis honoribus publicisq; muneribus iisdemq; perpetuis ornatus indulgentia Regum: qvos etiam avus meus gesserat. Harum autem personarum civilium cum mibi unam, ut fit venia Regis impetrata induisset: qvasi eo autoramento, abduci à literarum studio possem, & ad majoris ornamenti spem erigi: sensit

rarum magis ſtudioſus, qvàm lucis cupidus eſſe
pergit, dum hoc ſublato bono vitam nihili pu-
tat, in gravem & diuturnum morbum eſt prola-
pſus, qvô annos plus viginti ita afflictatus eſt,
ut omnis propè hilaritas è fronte, alacritas ex
animo, feſtivitas in occurſu, urbanitas & comi-
tas in convictu eximeretur, ingraveſcens qvoq;
indies literarum amor infringeretur, ne veſti-
gium qvidem ejus nec ſimulachrum, ſed qvæ-
dam effigies ſpirantis mortui appareret. Mor-
bus erat ejusmodi, ingens dolor cum tumore
circum fauces fiebat, & jugulum tumultuose
appetens tantum terrorem interdum noctu in-
jiciebat, ut poſtridiè mane miraretur ſe incolu-
mem

ſe non hominem, ſed ſtatuam, ut dicitur, eo facto
titillaſſe. Id igitur & ſupradicta cum infenſius
aliqvando, qvaſi in literarum amorem proloqvere-
tur, non miſereſcere tamen eum ſortis meæ, ut fata-
lis non poterat, qvod diceret inſani me ſtudij fru-
ctum geminum non dubie laturum, patrimonij qva-
liscunq; luculentam tabem, corporisq; perennem in-
firmitatem, alias non infeliciter conſtituti. Ho
ejus verbum ſero experimento cognovi; non tam
irati parentis dictum, ab indignatione, ut fit, ex-
preſſum, qvam hominis prædictum ſagacis & pro-
videntis fuiſſe. Nam ut mittam facultates, ut i
hâc ſorte mediocres, qvæ ſenſim illa tabe philtr
rum delicuerunt alias res omnino me agente, a
valetudinem inſuper profligatam delapſus ſum p
incuriam corporis, ac ſæpe jam conclamatam.

mem, ſpiritum recordatus interclusum,& ſubinde reſtitutum. Uxor edocta, advenientem morbum & creſcentem intelligens, virum variè verſando humeroſq; feriendo levabat dolorem. Verum inde pallor multus in vultu, raritas pilorum in capite, macies & ſtupor in corpore, in omnibusq; artubus debilitas ſumma ſeqvebatur. Qvæ cum medicis ſtupentibus perſæpe narraret, fidem tanti mali facere non poterat, cujus ipſi exemplum non meminiſſent: idq; alternis propè menſibus recurrebat. Accedebat ad hæc qvotidiana capitis gravedo: qvæ illi commentanti aut legenti qvidpiam erat mirum in modum infeſta. Et qvoniam ex humoribus gravantibus caput hic morbus effici creditur: ſi exitum in capitis vertice haberent, per qvem evaporarent, magnam morbi allevationem medici pollicebantur. Qvare conſilium dederunt, ut candenti ferro ſineret cutem denſam, qvæ caput obtegit, perforari. Eſſe meatus in calva, per qvos ſurſum exirent vapores. Id factum eſt, ſicut præceperant, magno cum cruciatu. At nihil momenti habuit curatio tam anceps & difficilis. Qvippe ubi in cerebrum aſcenderant halitus ſpiſſi & graves, inſiſtebant, finemq; faciebant ſe altius efferendi: ſimul ibi concreſcentes, deinceps liqveſcebant, & defluentes ſuopte nutu in frontem, in tempora, in oculos ferebantur, ut ſæpenumero in media lectione obdormiſceret, & invitiſſimus ſomno conſopiretur. Verum nihil horum malorum, qvanqvam peracerba erant, eum labefactavit, ut erat animo invicto,

& reluctante ſemper difficultatibus. Qvin imo qvod magis mirandum cenſeo, omnia ipſius ſcripta intra id tempus, qvo tam graviter periculoſeqve ægrotabat, fere inſtituta, orſa, & edita fuerunt. Primum ingenii ſpecimen dedit Græcis Authoribus in Romanam lingvam transferendis. Qvæ exercitatio plurimas & maximas commoditates continet, ingenium alit, judicium auget, facundiam locupletat optimis verbis. Qvo in genere ſunt ab eo explicati *Plutarchi libri de tranqvillitate animi, de fortuna Romanorum & Alexandri Magni, de placitis philoſophorum:* qvi tantum commendationis habuerunt, ut vix crederentur ab eo verſi, niſi poſtea aliis induſtriæ ingeniiqve documentis opinionem de ſe excitatam confirmaſſet, vel potius viciſſet. Deinde cum libros Digeſtorum diligentius ad ſuum ſtudium evolveret, & multis in locis partim mutilatos, partim mendoſos deprehenderet: tum vero qvod flagitioſius erat, verba plurima lecta & propria animadverteret in alienum uſum ignorantiâ temporum translata, hac indignitate permotus ſcripſit *Annotationes in Pandectas*, qvibus in poſterum libri illi emendatius & intelligentius legerentur. Primus qvidem noſtra ætate juris civilis fontes aperuit, unusqve tam excellentis ac ſingularis ſcientiæ in veterem dignitatem vindicandæ: qvæ hactenus fœdiſſima barbarie perculſa jacuerat & proſtrata, fundamenta jecit, & princeps tanti operis au-

thorqve

thorqve extitit. (*d*) Reliqvit aliud opus *de vocabulis forensibus*, ad illustrandam qvoqve juris

(*d*) *Cum primus ad Jus Civile elegantiam applicare cœperit Budæus, teste doctissimo Tarraconensium Archiepiscopo* Ant. Augustino in Præfat. ad libr. 2. Emendatt. *negari neutiqvam potest, qvod* Cœlius Secundus Curio, in Præfat. Budæi Operr. ad Fichardum *scribit, ejusdem annotationes ad Pandectas omni genere eruditionis politissimæ, non tinctas sed refertissimas esse, antiqvitatis enim thesaurum ingentem, ac reconditarum rerum artiumq; cognitionem in se continent clarissimam, qvippe in qvibus non pauca contra receptam in vulgus hominum opinionem, verba Budæi sunt* in Præfat. ad libros de Asse, *& multarum ætatum sententiâ præjudicatam, in judicium deducit, nonnulla etiam fortasse ne inter doctos qvidem satis animadversa. Videtur tamen laudato* Augustino c. l. *non magnos in jure progressus, cognoscendæ utriusq; lingvæ antiqvitate impeditus, fecisse. Proinde ita de ipso* libr. 4. Emendatt. cap. 52. *judicat: Qvanta Gul. Budæus eruditione lingvarum antiqvitatisq; cognitione fuerit, doctissima illa monumenta restantur in perpetuam hominum memoriam æterna, ut existimamus futura. Trium præsertim Voluminum labores nunqvam peribunt, qvæ de Asse, ponderibusq;, qvæ de lingva Græca, qvæq; de Jure Civili tam diligenter atq; docte disseruit, ut nihil supra dici posse videatur. Sed qvod ad jus qvidem civile attinet, obstruxit ejus lu-*

luminibus, altius ædificiis ab Alciato Præceptore nostro sublatis, magna discipulorum & librorum copia: ut ille, qvi inprimis habebatur peritus, vix aliqvo numero inter consultos censeatur. In istis autem Annotationibus, ex ignorantiâ politioris literaturæ natos errores Accursianorum in interpretandis Legibus, præcipue notavit, eaq; deliramenta erudite reprehendit, neq; veretur ut ipse loqvitur, Doctorum illud Idolum, atq; Deorum istorum Jovem Accursium carpere, atq; ita Minervam, ut ajunt Athenis violare, seu Accursii authoritatem inter Jurisperitissimos obtrectare, conf. ejus Annot. ad L. 1. de J. & J. & ad tit. de Offic. P. P. edit. Colon. p. m. 204. *Prodiere autem dictæ Annotationes & qvidem priores dicatæ* Joh. Deganajo *Franciæ Cancellario Ao. 1508, duodeviginti annos ante qvam Posteriores, qvæ Ao. 1526. demum inscriptæ* Davidi Buresio, *Regio apud Rothomagenses consiliario, lucem videre, qvas qvidem plane ob invidiam, qvam Priores à Legulejis experti erant, supprimere volebat, nisi hortatu svasuqve amicorum animum mutasset, qvod cum optime ex laudata Epistola ad* Cutbert. Tonstallum p. 363. *cognoscatur, ejus verba huc adscribere liceat: Hortaris me ut in locis juris explicandis emendandisq; erroribus, qvi invaluerunt ne elangveam, mihiq; ita gratulari videris, qvasi laboris & conatus ratio mihi constiterit, in eorum hominum elevandâ authoritate, qvos juris magis Accursiani, qvam civilis & Romani consultos fuisse apud Doctos convenit. Atqvi ut mihi ille labor nunqvam pœnitendus visus est, cum ob alia multa, tum ob id præcipue*

pue, qvod ejus laboris fructus latissime patere, & ad plurimos studiosorum pertinere dictitabatur, ita nescio qvomodo pigere cœpit opus diu desitum jam ac pene derelictum retractare, qvodq; tumultuosis primordiis memini esse inchoatum. In qvo sane meam culpam & agnosco & deprecor, si etiam nunc deprecari liceat, qvi flagranti tum animo moderari non potui, qvo minus Jurisprudentiæ causam velut in concilio Antiqvitatis peritissimorum agerem, cum eorum hominum convicio, qvi juris civilis majestatem imminuere lædereq; non verebantur: qvibus ut ipsis in crimen id verti à nonnullis videbam, ita neminem adhuc extitisse noveram, qvi ex formula legum postulatos, etiam perageret reos criminibus expositis, corona exaudiente, ac judicibus missis in consilium. In eos dicendi primas partes occupavi, libentius sane atq; alacrius, qvam nunc alteram actionem suscipiam. Siqvis vero alius existat, qvi has sibi vices deposcat, est alia jam mihi instituta commentatio, qvæ animi mei contentionem à lectione juris avocavit in diversum, juvantq; me magis ea scribendi argumenta: qvæ non tam angustis finibus circumscripta sunt: neq; enim movere se libere, expatiariq; potest animus lectione longa ac multiplici, qvasi farragine obesus & lasciviens, nisi late patentem materiam veluti campum liberum & apertum ad excursionem habeat. Neq; hoc non esse vitium interdum intelligo animi parum frugi, sibiq; indulgentis imprudentius. Sed si ad normam severitatis & frugalitatis adigere gestientem stylum moderariq; severius in animum induxerim, cum omnem animi alacritatem

D 4 *tem*

juris civilis disciplinam pertinens, impolitum qvidem illud & adhuc rude, qvalia erant qvæ annotabat, ordine structuráqve per ocium informaturus. Idcirco salva dignitate au-

---

tem abstulero, & fortasse jejunum exuccumq; reddidero, tum etiam meo genio Minervæq; repugnavero: id qvod mihi in eam causam valere volo, qvam cum Erasmo dudum in judicium deduxi. Verum enim vero, qvum hunc mihi laborem lucrifacere, animoq; obseqvi hanc operam detrectanti, per eorum veluti creditorum flagitationem non liceat, qvi me de pollicitatione temeraria identidem appellant, ipsorumq; adeo juris studiosorum, qvos jam ipsos mecum in gratiam rediisse demiror ac stupeo, injuriæq; mihi persecutionem ultro etiam condonasse, qvam ipsi non solum atrocem, sed etiam sacrilegam esse putabant, ob sugillatam à nobis Numinum suorum Majestatem, non id aut gratiæ, aut potentiæ meæ, sed veritati potius tribuentes, qvam sensim & ipsi agnoscere cœperunt. Tum igitur ab illis consultatio mihi integra non sit, cum tu ejusce rei mihi autor sis & adhortator, idq; gravissimi qvidam viri non nesciant, qvi epistolam tuam qvasi visendum qvoddam mercimonium exoticumq; admirantur, facere, ut opinor, non potero, qvin ad aliqvot menses in id pistrinum rursus me dedam, aliqvidq; priori editioni annnotationum addam perfunctorie: nisi forte alium comperero antevertisse mihi, id qvod diu exoptavi.

authoris vix poſſe evulgari videtur. (*e*) Poſt cum & Plutarchi translationibus jam celebris,

---

(*e*) *Evulgatum tamen hoc ſcriptum* Pariſiis *octo poſt mortem Budæi annis Ao. 1548. & inter Opera ejus ab* Epiſcopio *edita T. III. legitur, cui qvidem non immerito principio ſcrupulum injiciebat an iis addendum eſſet, eò, qvod ab autore ad finem non fuiſſet perductum recognitumq;, attamen cũ illud πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων eſſe, & in eo à nullo antehac tradita, (qvomodo ſcil. omnes fere vulgares fori phraſes, qvibus Juriſconſulti hactenus uſi ſunt: & adhuc utuntur, proprie vereq; Latine, & uti à Priſcis Jurisprudentiæ peritis enunciatæ ſunt, reddi variis modis posſint,) reperiri, adeoq; ipſos JCtos Budæum lingvam ſuam ibi docere, cum* Cœlio Secundo *judicaret, Annotationibus ad Pandectas annectendum cenſuit. Elegans planeq; conſentiens cum Regij noſtri, de his Forenſibus ap.* Franc. Polletum in Hiſtor. For. Roman. libr. 4. c. 6. in fin. *legitur judicium: Commentarium (vocabulorum ſcil ad veterem Praxin forumq; Romanorum accommodatorum) amplum confecerat Gvil. Budæus, vir ſine controverſia ita magnus, ut aleam judiciorum, cenſuramqve Ariſtarchorum nunqvam vivus ſubierit, neq; à funere æternum ſubiturus ſit. Verum qvia qvaſi in adverſaria, qvæ annotaverat, conjecta erant, neq; morte intercepto licuerit tumultuariam miſcellaneam in Codices digerere, maluerunt ij, ad qvos gradu proximo tan-*

vis potius periculum ſibi adeundum, qvàm â ſperata eruditionis gloria diſcedendum putaret. Adeo nihil qvicqvam tam aſperum, tamqve arduum occurrebat, qvod moraretur inceptum. Atqvi progrediente tempore uſu rerum & magno ſuo periculo, patris verbum nimis verum comperit: nec tam ab indignatione (ut fit) expreſſum, qvàm prædictum hominis & ætate & experientia plus ſcientis & providentis: qvippe qvi propter valetudinem qva uſus erat infirma, ab anno ætatis qvinqvageſimo usqve ad ſeptuageſimum, qvem tum agebat, medicinæ ſtudioſus experiensqve evaſerat, qvo certius præſagiebat qvæ ventura erant filio, niſi monitus præcaveret. *(c)* Poſtremò res eò rediit, dum literarum

(c) *Hanc Patris dehortationem à ſummo illo ſtudiorum ardore Budæus ipſe* libr. I. Philolog. p. 35. & ſeq. *ſeqventibus verbis memorat: Patrem cum indulgentem principio nactus eſſem & benigne ſuppeditantem, tametſi tres me fratres ætate anteirent, qvatuor ſubſeqverentur, erat enim, ut temporibus illis, ſatis ample prædiatus, & ſtipendiis munerum publicorum claſſice conſtitutas habebat facultates, poſt aliqvot annos ſenſim favere deſtitit meis ſtudiis. Namq; is ut me ſenſit cuncta juventutis ſtudia, omnia ludicra atq; ſeria, qvibus antea flagraveram, literarum ſtudio planè poſthabere conſtituiſſe; ferventisq; ab ætate & natura animi contentionem ad ſolam Philologiam contuliſſe, qvam ſine rivali perdite amare me tunc abſurdum vi-*

videbatur, fortunisq; meis & fortunæ calamitosum futurum. Igitur simul ut qvem impetum cepissem animadvertit, homo tum septuagenario jam proximus, cuiq; ægra valetudine assidue ab anno qvinqvagesimo laborare contigisset, ob idq; medicinæ studiosius experiensq; evasisset, revocare me & retrahere instituit, tanqvam vehementiorem in modum incitatum, & jamjam præcipitaturum in exitium. Itaq; svadere, monere, distinere in diversa me parte, imperatisq; operis aliis super alias avocare. Id vero ejus commentum non mihi minuere laborem & industriam, sed geminare cœpit. Cum ego nihil mihi deperire temporis literis destinati sinerem, qvin tantundem lucubratione & vigiliis exacte rependerem. Tandem autem qvum ipse tum indulgenter, tum pro suo jure mecum agendo perficere non potuisset ut temperatius id qvod agebam, agerem, atq; ex aliorum more, mihi enim nunqvam sic temperare potui, qvin ultra stadij sulcum, ut est in proverbio Græcorum, jam tum assilire gestirem, tum deniq; ille offensiore jam animo fremere, indignari, non obscurissime ferre deniq; me unum habere se deploratæ spei filium, in qvo tamen non qvamlibet olim spem collocasset subsidij familiaris & imaginum gentis: erat enim jam olim multis honoribus publicisq; muneribus iisdemq; perpetuis ornatus indulgentia Regum: qvos etiam avus meus gesserat. Harum autem personarum civilium cum mihi unam, ut fit venia Regis impetrata induisset: qvasi eo autoramento, abduci à literarum studio possem, & ad majoris ornamenti spem erigi: sensit

rarum magis studiosus, qvàm lucis cupidus esse pergit, dum hoc sublato bono vitam nihili putat, in gravem & diuturnum morbum est prolapsus, qvô annos plus viginti ita afflictatus est, ut omnis propè hilaritas è fronte, alacritas ex animo, festivitas in occursu, urbanitas & comitas in convictu eximeretur, ingravescens qvoq; indies literarum amor infringeretur, ne vestigium qvidem ejus nec simulachrum, sed qvædam effigies spirantis mortui appareret. Morbus erat ejusmodi, ingens dolor cum tumore circum fauces fiebat, & jugulum tumultuosè appetens tantum terrorem interdum noctu injiciebat, ut postridiè mane miraretur se incolumem

se non hominem, sed statuam, ut dicitur, eo facto titillasse. Id igitur & supradicta cum insensius aliqvando, qvasi in literarum amorem proloqveretur, non miserescere tamen eum sortis meæ, ut fatalis non poterat, qvod diceret insani me studij fructum geminum non dubie laturum, patrimonij qvaliscunq; luculentam tabem, corporisq; perennem infirmitatem, alias non infeliciter constituti. Hoc ejus verbum sero experimento cognovi, non tam irati parentis dictum, ab indignatione, ut fit, expressum, qvam hominis prædictum sagacis & providentis fuisse. Nam ut mittam facultates, ut in hâc sorte mediocres, qvæ sensim illa tabe philtrorum delicuerunt alias res omnino me agente, ad valetudinem insuper profligatam delapsus sum per incuriam corporis, ac sæpe jam conclamatam.

mem, ſpiritum recordatus interclufum, & ſubinde reſtitutum. Uxor edocta, advenientem morbum & creſcentem intelligens, virum variè verſando humerosq; feriendo levabat dolorem. Verum inde pallor multus in vultu, raritas pilorum in capite, macies & ſtupor in corpore, in omnibusq; artubus debilitas ſumma ſeqvebatur. Qvæ cum medicis ſtupentibus perſæpe narraret, fidem tanti mali facere non poterat, cujus ipſi exemplum non meminiſſent: idq; alternis propè menſibus recurrebat. Accedebat ad hæc qvotidiana capitis gravedo: qvæ illi commentanti aut legenti qvídpiam erat mirum in modum infeſta. Et qvoniam ex humoribus gravantibus caput hic morbus effici creditur: ſi exitum in capitis vertice haberent, per qvem evaporarent, magnam morbi allevationem medici pollicebantur. Qvare conſilium dederunt, ut candenti ferro ſineret cutem denſam, qvæ caput obtegit, perforari. Eſſe meatus in calva, per qvos ſurſum exirent vapores. Id factum eſt, ſicut præceperant, magno cum cruciatu. At nihil momenti habuit curatio tam anceps & difficilis. Qvippe ubi in cerebrum aſcenderant halitus ſpiſſi & graves, inſiſtebant, finemq; faciebant ſe altius efferendi: ſimul ibi concreſcentes, deinceps liqveſcebant, & defluentes ſuopte nutu in frontem, in tempora, in oculos ferebantur, ut ſæpenumero in media lectione obdormiſceret, & invitiſſimus ſomno conſopiretur. Verum nihil horum malorum, qvanqvam peracerba erant, eum labefactavit, ut erat animo invicto,

D 2 & re-

& reluctante ſemper difficultatibus. Qvinimo qvod magis mirandum cenſeo, omnia ipſius ſcripta intra id tempus, qvo tam graviter periculoſeqve ægrotabat, fere inſtituta, orſa, & edita fuerunt. Primum ingenii ſpecimen dedit Græcis Authoribus in Romanam lingvam transferendis. Qvæ exercitatio plurimas & maximas commoditates continet, ingenium alit, judicium auget, facundiam locupletat optimis verbis. Qvo in genere ſunt ab eo explicati *Plutarchi libri de tranqvillitate animi, de fortuna Romanorum & Alexandri Magni, de placitis philoſophorum:* qvi tantum commendationis habuerunt, ut vix crederentur ab eo verſi, niſi poſtea aliis induſtriæ ingeniiqve documentis opinionem de ſe excitatam confirmaſſet, vel potius viciſſet. Deinde cum libros Digeſtorum diligentius ad ſuum ſtudium evolveret, & multis in locis partim mutilatos, partim mendoſos deprehenderet: tum vero qvod flagitioſius erat, verba plurima lecta & propria animadverteret in alienum uſum ignorantiâ temporum translata, hac indignitate permotus ſcripſit *Annotationes in Pandectas*, qvibus in poſterum libri illi emendatius & intelligentius legerentur. Primus qvidem noſtra ætate juris civilis fontes aperuit, unusqve tam excellentis ac ſingularis ſcientiæ in veterem dignitatem vindicandæ: qvæ hactenus fœdiſſima barbarie perculſa jacuerat & proſtrata, fundamenta jecit, & princeps tanti operis authorqve

thorqve extitit. *(d)* Reliqvit aliud opus *de vocabulis forensibus*, ad illustrandam qvoqve juris

(d) Cum primus ad Jus Civile elegantiam applicare cœperit Budæus, teste doctissimo Tarraconensium Archiepiscopo Ant. Augustino in Præfat. ad libr. 2. Emendatt. *negari neutiqvam potest, qvod* Cœlius Secundus Curio, in Præfat. Budæi Operr. ad Fichardum *scribit, ejusdem annotationes ad Pandectas omni genere eruditionis politiissimæ, non tinctas sed refertissimas esse, antiqvitatis enim thesaurum ingentem, ac reconditarum rerum artiumq; cognitionem in se continent clarissimam, qvippe in qvibus non pauca contra receptam in vulgus hominum opinionem, verba Budæi sunt* in Præfat. ad libros de Asse, *& multarum ætatum sententiâ præjudicatam, in judicium deducit, nonnulla etiam fortasse ne inter doctos qvidem satis animadversa. Videtur tamen laudato* Augustino c. l. *non magnos in jure progressus, cognoscendæ utriusq; lingvæ antiqvitate impeditus, fecisse. Proinde ita de ipso* libr. 4. Emendatt. cap. 52. *judicat: Qvanta Gul. Budæus eruditione lingvarum antiqvitatisq; cognitione fuerit, doctissima illa monumenta restantur in perpetuam hominum memoriam æterna, ut existimamus futura. Trium præsertim Voluminum labores nunqvam peribunt, qva de Asse, ponderibusq;, qva de lingva Græca, qvaq; de Jure Civili tam diligenter atq; docte disseruit, ut nihil supra dici posse videatur. Sed qvod ad jus qvidem civile attinet, obstruxit ejus* lu-

luminibus, altius ædificiis ab Alciato Præceptore nostro sublatis, magna discipulorum & librorum copia: ut ille, qvi inprimis habebatur peritus, vix aliqvo numero inter consultos censeatur. In istis autem Annotationibus, ex ignorantiâ politioris literaturæ natos errores Accursianorum in interpretandis Legibus, præcipue notavit, eaq; deliramenta erudite reprehendit, neq; veretur ut ipse loqvitur, Doctorum illud Idolum, atq; Deorum istorum Jovem Accursium carpere, atq; ita Minervam, ut ajunt Athenis violare, seu Accursii authoritatem inter Jurisperitissimos obtrectare, conf. ejus Annot. ad L. 1. de J. & J. & ad tit. de Offic. P. P. edit. Colon. p. m. 204. *Prodiere autem dictæ Annotationes & qvidem priores dicatæ* Joh. Deganajo *Franciæ Cancellario Ao. 1508, duodeviginti annos ante qvam Posteriores, qvæ Ao. 1526. demum inscriptæ* Davidi Buresio, *Regio apud Rothomagenses consiliario, lucem videre, qvas qvidem plane ob invidiam, qvam Priores à Legulejis experti erant, supprimere volebat, nisi hortatu svasuqve amicorum animum mutasset, qvod cum optime ex laudata Epistola ad* Cutbert. Tonstallum p. 363. *cognoscatur, ejus verba huc adscribere liceat: Hortaris me ut in locis juris explicandis emendandisq; erroribus, qvi invaluerunt ne elangveam, mihiq; ita gratulari videris, qvasi laboris & conatus ratio mihi constiterit, in eorum hominum elevandâ authoritate, qvos juris magis Accursiani, qvam civilis & Romani consultos fuisse apud Doctos convenit. Atqvi ut mihi ille labor nunqvam pœnitendus visus est, cum ob alia multa, tum ob id præci-*

pue

pue, qvod ejus laboris fructus latissime patere, & ad plurimos studiosorum pertinere dictitabatur, ita nescio qvomodo pigere cœpit opus diu desitum jam ac pene derelictum retractare, qvodq; tumultuosis primordiis memini esse inchoatum. In qvo sane meam culpam & agnosco & deprecor, si etiam nunc deprecari liceat, qvi flagranti tum animo moderari non potui, qvo minus Jurisprudentiæ causam velut in concilio Antiqvitatis peritissimorum agerem, cum eorum hominum convicio, qvi juris civilis majestatem imminuere lædereq; non verebantur: qvibus ut ipsis in crimen id verti à nonnullis videbam, ita neminem adhuc extitisse noveram, qvi ex formula legum postulatos, etiam perageret reos criminibus expositis, corona exaudiente, ac judicibus missis in consilium. In eos dicendi primas partes occupavi, libentius sane atq; alacrius, qvam nunc alteram actionem suscipiam. Siqvis vero alius existat, qvi has sibi vices deposcat, est alia jam mihi instituta commentatio, qvæ animi mei contentionem à lectione juris avocavit in diversum, juvantq; me magis ea scribendi argumenta: qvæ non tam angustis finibus circumscripta sunt: neq; enim movere se libere, expatiariq; potest animus lectione longa ac multiplici, qvasi farragine obesus & lasciviens, nisi late patentem materiam veluti campum liberum & apertum ad excursionem habeat. Neq; hoc non esse vitium interdum intelligo animi parum frugi, sibiq; indulgentis imprudentius. Sed si ad normam severitatis & frugalitatis adigere gestientem stylum moderariq; severius in animum induxerim, cum omnem animi alacrita-

juris civilis disciplinam pertinens, impolitum qvidem illud & adhuc rude, qvalia erant qvæ annotabat, ordine structuráqve per ocium informaturus. Idcirco salva dignitate au-

tem abstulero, & fortasse jejunum exuccumq; reddidero, tum etiam meo genio Minervæq; repugnavero: id qvod mihi in eam causam valere volo, qvam cum Erasmo dudum in judicium deduxi. Verum enim vero, qvum hunc mihi laborem lucrifacere, animoq; obseqvi hanc operam detrectanti, per eorum veluti creditorum flagitationem non liceat, qvi me de pollicitatione temeraria identidem appellant, ipsorumq; adeo juris studiosorum, qvos jam ipsos mecum in gratiam rediisse demiror ac stupeo, injuriæq; mihi persecutionem ultro etiam condonasse, qvam ipsi non solum atrocem, sed etiam sacrilegam esse putabant, ob sugillatam à nobis Numinum suorum Majestatem, non id aut gratiæ, aut potentiæ meæ, sed veritati potius tribuentes, qvam sensim & ipsi agnoscere cœperunt. Tum igitur ab illis consultatio mihi integra non sit, cum tu ejusce rei mihi autor sis & adhortator, idq; gravissimi qvidam viri non nesciant, qvi epistolam tuam qvasi visendum qvoddam mercimonium exoticumq; admirantur, facere, ut opinor, non potero, qvin ad aliqvot menses in id pistrinum rursus me dedam, aliqvidq; priori editioni annnotationum addam perfunctorie: nisi forte alium comperero antevertisse mihi, id qvod diu exoptavi.

uthoris vix posse evulgari videtur. (e) Post cum & Plutarchi translationibus jam celebris,

---

(e) *Evulgatum tamen hoc scriptum* Parisiis *octo post mortem Budæi annis Ao. 1548. & inter Opera ejus ab* Episcopio *edita T. III. legitur, cui qvidem non immerito principio scrupulum injiciebat an iis addendum esset, eò, qvod ab autore ad finem non fuisset perductum recognitumq;, attamen cū illud* πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων *esse, & in eo à nullo antehac tradita, (qvomodo scil. omnes fere vulgares fori phrases, qvibus Jurisconsulti hactenus usi sunt: & adhuc utuntur, proprie vereq; Latine, & uti à Priscis Jurisprudentiæ peritis enunciatæ sunt, reddi variis modis possint,) reperiri, adeoq; ipsos JCtos Budæum lingvam suam ibi docere, cum* Cœlio Secundo *judicaret, Annotationibus ad Pandectas annectendum censuit. Elegans planeq; consentiens cum Regij nostri, de his Forensibus ap.* Franc. Polletum in Histor. For. Roman. libr. 4. c. 6. in fin. *legitur judicium: Commentarium (vocabulorum scil. ad veterem Praxin forumq; Romanorum accommodatorum) amplum confecerat Gvil. Budæus, vir sine controversia ita magnus, ut aleam judiciorum, censuramqve Aristarchorum nunqvam vivus subierit, neq; à funere æternum subiturus sit. Verum qvia qvasi in adversaria, qvæ annotaverat, conjecta erant, neq; morte intercepto licuerit tumultuariam miscellaneam in Codices digerere, maluerunt ij, ad qvos gradu proximo tan-*

 ta

bris, & annotationibus in Pandectas clarissimus evasisset, divinum opus *de Asse* instituit. (*f*)

In

---

tæ gloriæ redibat hæreditas, Inventario rem illam intercipere, qvàm committere, ut candor gloriæ Budæanæ, labe & macula negligentiæ inficeretur, si inter res hæreditarias repræsentaretur. Non enim extremam manum auctor admoverat, sed rudem impolitumq; lambendum aliqvando sibi servabat, ut fœtus honestior ederetur, parenteq; dignior. Sed fatorum maleficio tanto beneficio nobis carendum est, cum nemo qvisqvam sit, qvi descriptis lineamentis succedere ausus sit, ut Appelleæ qvondam Veneri.

(*f*) *Qvanta est ejus operis, inqvit* Cœlius Secundus in d. Præfat. *doctrina, in omni humana Divinaq; ratione utilitas? qvis hoc argumentum alioqvin intricatum & difficile Budæo felicius tractavit? adde qvod in ejus operis bene longa per orationem in corruptos seculi mores tanta cum gravitate excurrit, ut non juris humani consultum, sed DEI summi Vatem maximos & infimos monentem, audire te putes. Ipse hunc esse scopum suum ad* Erasmum libr. 5. Epistolarr. p. 372. *scribit, ut patefactis Prisci ævi conditoriis, claustrisq; omnibus reseratis, Ægyptiorum & Chaldæorum, longo intervallo promptas in publicumq; prolatas, ac ære nobis æqvali æstimatas, ab uno se collybista, multo*

ma-

n qvo ægram ac prope comploratam rei literariæ partem suscepit, atqve â nullo dum præ difficultate sublevatam, animadversione multa, ingenii singulari felicitate, industria mirabili, instauravit. Nam pondera & mensuras veterum, nummismatis Græci Latiniqve rationem & æstimationem, tum numerandi modum & colligendi, res densissimis obscuritatis tenebris obductas, longis errorum anfractibus implicatas, corruptis exemplaribus propemodum comploratas, incuria temporum neglectas, & non modo à qvoqvam scriptorum nostræ aut avorum memoriæ, sed ne ab his qvidem qvi intra mille annos ac longe plures fortasse fuerunt, intellectas, omnibus vestigiis indagavit, explicuit, illustravit, & restituit in pristinum nitorem.

---

majores fuisse ostenderet hominum opinione, & eas tamen qvamlibet magnas, nihil aliud esse, qvam titionarij cujusdam opulentiam: eosq; qvi hæc fortunæ munera hodie omni opere perseqvuntur, de Asini, qvod ajunt, umbra omnibus ungulis contendere. Qvo ab errore cum Philosophia vindicare sui studiosos possit, veramq; homini gloriam immortalemq; parere, qvid sit germana Philosophia, qvodq; ad eam pacto aspirare & evadere studiosissimi literarum possent, explicare disserendo conetur. Scripsisse horum de Asse librorum plures Epitomen & inter eos Cutbert. Tonstallum, Esaiam Vinetum, Stanislaum Grepsium, Phil. Labbe *testatur in* Biblioth. Nummar. *P. 2.*

torem. (g) Priſcam qvoqve mundi opulentiam, atqve omnium gentium divitias in ærarium (ut ita dicam) civitatis Romanæ, jam planè tot ſeculis exhauſtum, intulit. Qvo nomine poſteritatem omnem immortali beneficio devinxit. Qvid enim erat in qvo ſtudioſis hoc tempore plus prodeſſet? Qvid erat qvod aut nationi Gallicæ honorificentius? aut exteris nationibus gratius? aut tuendæ dignitati literarum accommodatius? aut ad intelligendos authores totiusqve antiqvitatis interpretationem magis neceſſarium afferre poſſet? Librarum, ſeſtertiûm, talentorum, totiusqve rei nummariæ, ponderum, menſurarum, numeri, modi, vocabula Græca juxta ac Romana propter vetuſtatem obſoleverant. *Hermolaus Politianus*, & alii complures viri ingenio & doctrina præſtantiſſimi, rem tantam infeliciter adorti, propter obſcuritatem tam honeſto conatu deſtiterant: unus ad extremum Budæus huic parti ægrotæ ac propè deſideratæ reperit medicinam. Qvamobrem qvis illum non jure miretur, ſummeqve in eo laudandum arbitretur, qvia qvo uno adhuc carebamus, qvod jacuerat ad hanc ætatem, nec habuerat lumen ullum, in eo illuſtrando & excitando omnes nervos ætatis induſtriæqve contenderit? nullo emolumento: niſi ut qvam plurimis prodeſſet invitatus. Sed opus tam elegans,

(g) *Idem pene encomium de his Budæi eruditisſimis libris vid. ap.* Matth. Hoſtum in Hiſtor. rei Nummar. libr. 1. cap. 1.

ans, tam perfectum, tam elaboratum effu-
ere non potuit invidiam & obtrectationem.
nventiqve sunt nonnulli, qvos non tam præ-
tantia ejus delectaret, qvam splendor offende-
et, qvi qvod laudando debuerant comprobare,
nvidendo infringere maluerunt, qvæ est hujus
æculi labes & macula. Sed siqvid malevolen-
issimis obtrectationibus detrahere conati sunt,
d majori illis fraudi fuit, qvàm Budæo. Editis
nim lib.V. de Asse, & qvoqvo gentium dilapsis,
um longè lateqve diffusa Budæi laude, inven-
us est in Italia *Leonardus Portius*, qvi se offerret
n hujus societatem gloriæ, imo verò laudem
omnem ejus inventi depecularetur, suam esse
otam & propriam contenderet. Qvod cum
est ad Budæum allatum, graviter exarsit, qvòd
nihil tam præter opinionem accidisset, qvàm ut
depelleretur de ejus laudis possessione, qvam ca-
ducam & vacuam primus bona fide occupasset,
& sine cujusqvam injuria qvasi usucepisset. Igi-
tur vehementissima animi, ingenii, virium, con-
tentione jus suum defendit, atqve hoc ipsum pa-
lam testatus est, â nullo se unqvam homine dun-
taxat qvi viveret, his de rebus qvas tradidisset,
qvicqvam didicisse vel fando vel legendo: tan-
tumqve abesse ne qvid â Portio acceperit, ut
omnia qvæ sub nomine Portii ad eam prodie-
rant, illa uno eodem continuato perpetuoqve
furto essent ex suo Asse translata. Ac æmulo illi
sempiternam notam ac ignominiam inussisset,
nisi intercessissent amici. Hæc enim contentio
ne latius serperet, *Jani Lascaris* authoritate per-
fectum

fectum eſt. Qvi cum utriqve amiciſſimus eſſet, haud æqvum putavit, inter honeſtiſſimos homines ſimultatem diutius ingraveſcere. Et cum apud Budæum plurimum gratia polleret, impetravit, qvanqvam ægrè, ut digreſſio in Portium, contumelioſa qvidem illa, ſed certe expresſa â juſta indignatione, qvam removendæ ſuſpitionis, ſuiqve purgandi cauſa Budæus libris de Aſſe inſeruerat, eximeretur inde. (*b*) Ac Budæo qvidem tantæ contentionis cauſam attulit *Baptiſta Egnatius Venetus*, omni liberali ingenuaqve doctrina apud Italos id temporis florens, qvi editis in Svetonium annotationibus tam

(*b*) *Qvam in rem videri poſſunt mutuæ literæ* Jani Laſcaris & Budæi, *ejusdem* Epiſtolarum lib. 5. p.386. & 387. *ubi ſuis* Laſcaris *hos verſus ſubjicit:*

Editus ut pridem rediit celeberrimus Aſſis
Innocuus, demtis addita qvæ fuerant,
Non mage qvo fieret clarus (nam clarus abunde [eſt)
Rumorem falſum non tulit additio.
Nunc qvando inventum ſibi vendicat alter & al- [ter,
Alteri & inventū non negat alter idem.
Et potuiſſe ambos ex iisdem fontibus hauſto
Hortos rore ſuos irriguos facere,
Nil facit additio: contentio nulla relicta eſt,
Et facile ambitio ceſſit amicitiæ,
Theſaurum Herodes inventum protulit ultro
Marco, poſthabuit Marcus amicitiæ.
His ſimiles probitate viri feciſſe legentur
Umbram ſeſterti pluris amicitia?

tam præclari inventi laudem modò Budæo, modò Portio tribuens, de eadem fidelia duos parietes dealbaverat; & utriqve gratificari cupiens, ambos inter se commiserat. (*i*) Cæterum ut de-

(*i*) *Hinc ita ad* Egnatium *scribit* Epiſtolarr. lib. 1. p. 259. *In eo ferme eram ut compilaſſe Leonardi Portij Vicentini commentarios crederer, qvos scriptos vel ab eo, vel ab alio qvoqvam fuiſſe, nedum editos, à nemine unqvam audire præterqvam à te potui. Eqvidem non dubito Leonard. Portium doctum & ingenioſum virum eſſe: cum eum tu dignum exiſtimaris, qvem teſtimonij tui autoritate ornares. Veruntamen ita mihi & in præteritum & in poſterum rationem conſtare laborum ſcriptorumq́; meorum Divina benignitate detur: ut in nullius unqvam aut vivi, aut mortui commentarios vel annotationes incidi ne in ſermonem qvidem ex qvibus vel tantulum adjutus ſim ad ponderum menſurarumve, aut rei nummariæ explicationem: præter eos autores qvos nominatim laudavi ad meam ſententiam confirmandam.* Et poſtea: *Id demum deprecor ne libris qvinq; de Aſſe & partibus ejus editis, & qvoqvo gentium jam, ut audio dilapſis, altera etiam editione emendatioribus, ipſe ære non meo negociari per provincias, ſed mutuaticio videar. Nec enim ante hoc tempus verſuram facere ſolitus ſum, ut famam aucuparer, nomenq; inter copioſos & claſſicos dare poſſem, qvo minus nunc in animum inducerem ea trans Alpes mutuari, qvæ non modo in Patria, ſed etiam in Italia luce venditarem*

deferbuit ira, usqꝫ adeo pœnituit ejus criminationis, qva uſus erat in Portium, ut poſtea noluerit cujusqvam injuria magnitudinem animi ſui inflectere: qvod iracundia præceps in eum eſſet invectus, qvem poſtea cùm juris civilis diſciplina eruditiſſimum, tum morum probitate alioqvin integerrimum intellexiſſet. Inde exagitatus â multis & laceſſitus, ſemper qvievit: nec *Georgio Agricolæ* Germano, eam qvoqve laudem proximè delibanti, reſpondere voluit, ne in eandem qvam prius fraudem incideret: dictitans ſe qvod ſcripſiſſet, ſcripſiſſe animo juvandi rem literariam, omnem diligentiam adhibuiſſe, ut res obſcuræ per ſe illuſtrarentur: ſi qvid melius proferretur, ſe non gravate conceſſurum. Poſteritatem de eo & ſine amore & ſine cupiditate, & rurſus, ſine odio & ſine invidia incorruptius judicaturam. Ex qvo ejus moderatio & æqvitas cognoſci poteſt, qvi nec ad inferendam injuriam ullo modo poſſet adduci, nec ad ferendam facilè impelli: magisqve probitatis commendationem qværeret, qvam famam ingenii aucuparetur. Qvi candor in doctis multis hodie deſideratur. Scripſit *Commentarios lingvæ*

---

tarem & ubiq́; terrarum. Cæterum notari meretur Leonh. Portii *libros duos de Seſtertio, ac Pecuniis ponderibusq́; veterum & Menſuris, cum Epiſtola* Egnatii *primum prodiiſſe in Italia, incerto loco & anno, & poſt* Baſileæ ap. Froben. in 4. *tandem &* Coloniæ Anno 1551. in 8. *cum* Johan. Aqvila *de poteſtate & utilitate Monetarum.*

væ Græcæ valde & illos probandos. Continent
nim omnes propè divitias orationis Græcæ, &
ostendunt sermonis latini cum Græco cogna-
ionem, opus immensi ac propè infiniti laboris,
x à nemine qvod sciam prius tentatum, ubi ar-
cana Græcorum mysteria enunciavit, & cuivis
discenda proposuit, qvæ vix antea solertissimis
aperiebantur. Genere dicendi usus est amplo,
copioso, gravi, ornato, vehementi, grandi
verbis, & omnibus partibus elaborato. Sunt
n eo sententiæ exqvisitæ reconditæqve, verba
ecta & illustria, figuræ plurimæ, translationes
crebræ, ambitus productiores, numerus gra-
vis & plenus dignitatis, affectus concitati,
acerbitas mira, maximè ubi corruptos mores
hujus ætatis insectatur, omnia qvæ suscepit cla-
rissimis dicendi luminibus ornat, & facit am-
pliora, novata plurima venustè, prisca & vete-
ra in usum scite renovata. Atqve hæc qvan-
qvam scienter & eleganter faciebat, nimium ta-
men inqvirens in sese, atqve ipse sese observans,
dum in medio posita nimium refugit, longin-
qva proseqvitur, dum Græca profusius admi-
scet, dum metuit ne qvid in verbis & sententiis
aut tritum aut vulgare, aut commune colligat,
dum uni gravitati studet, nec suam copiam tem-
perat, dum stylum ad humilitatem vulgi non
vult deducere, dum ubiqve sublimis & grandi-
loqvus cupit haberi, plerisqve visus est nescio,
qvid tragicum & confragosum personare. Itaq;
ejus oratio nimia cura & religione composita,
doctis & attentè legentibus est illustris, cæteros
E non

non perinde delectat. In hoc genere extant ab eo ſcripti libri tres *de Tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum*, (*k*) *de Contemptu rerum fortuitarum libri tres; de Philologia libr. duo*, Digreſſiones plurimæ in lib. de Aſſe & Annotat. *de Studio literarum commodè inſtituendo liber unus.* Qvæ ideo minus habentur in manibus, qvoniam perpauci retruſam illam atq; abditam dicendi formam figuramqve aſſeqvuntur. Sed enim ad hæc intendenti animum, res omnium difficillima viſa eſt, judicare de aliorum ſcriptis. Nam multiplices naturæ, variæ voluntates & judicia ſemper effecerunt diſtantia inter ſe genera dicendi. Alios delectant ea, qvæ non diſcedunt â communi more verborum, aliis ornata & elaborata

(*k*) *Qvibus nihil in eo genere gravius, auguſtius ve, in qvibus qvid aliud docet, qvam ab humana ſapientia, qvam ſibi potiſſimum veteres illi Græci vendicarunt, ad divinam & cæleſtem, qvam vetuſtiſſima D E I oracula, Chriſtiq; qvi D E I eſt ſapientia, veraq; & cæleſtis Minerva ſanctiſſima placita, tranſeundum, & aſcendendum? non qvidem ut illa abjiciatur tanqvam inutilis & indecora, ſed ut hujus adminiſtram & ancillam agnoſcat, utpote cujus munus ſit hæc inferiora illuſtrare & qvaſi Lucina in hac rerum humanarum nocte ignorantiaq; dominatum habere: cum hæc ætherea & ſublimior, qvaſi lucidiſſimus Apollo rerum divinarum æternarumq; afferat diem, qvibus in libris non philoſophus modo, ſed etiam Theologus fuit.* Cœlius in dict. Præfat.

orata sunt cordi. Ideo non est promptum aut explicare qvæ forma dicendi maximè excellat, aut præscriptum aliqvod in hac re servare, cum aliud aliis videatur optimum, & in omnibus, ut ait M. Tullius, sit aliqvid excellens. Referam tamen qvæ in eo pleriqve vel reprehenderunt, vel desideraverunt, & qvomodo se purgare solitus sit, ne qvid, qvod ad eum pertinet, prætermissum esse videatur. Metaphoris dicebant nimium delectari, qvæ magnum ornamentum orationi afferunt: Sed ut virtutibus vitia proxima sunt, sic in his obscuritatem esse fugiendam, tanqvam stellis qvibusdam notare & illuminare orationem: Sed si crebriores fuerint, ea fieri qvæ dicuntur ænigmata. Habere autem mirè raras & insigniter argutas, sed qvam semel amplexus esset, ab ea vix unqvam divelli. Præterea cum ejus sermo sine intermissione, sine varietate sit conspersus verborum sententiarumq; floribus, & fusus æqvabiliter per omnem orationem, nec umbra adsit aliqva aut recessus, qvo magis id qvod est illuminatum extet atqve emineat, ejus orationem â naturali simplicitate, longius recedere; ac propè verum sangvinem perdere. Ad hæc cum ingressus esset, aliqvid eum repente qvasi qvidam æstus ingenii â terra abripiebat, atq; in altum à conspectu penè omnium abstrahebat, nec vela colligere, nec satis poterat modum velificando tenere; sed ventis se permittens auferebatur qvocunqve ἐνθουσιασμὸς duceret. Unde per pauca ab eo dicta partitè, definitè, distinctè reperiri. Certe dum ingenio suo

non perinde delectat. In hoc genere extant ab eo ſcripti libri tres *de Tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum*, (*k*) *de Contemptu rerum fortuitarum libri tres*; *de Philologia libr. duo*, Digreſſiones plurimæ in lib. de Aſſe & Annotat. *de Studio literarum commodè inſtituendo liber unus.* Qvæ ideo minus habentur in manibus, qvoniam perpauci retruſam illam atqꝫ abditam dicendi formam figuramqve aſſeqvuntur. Sed enim ad hæc intendenti animum, res omnium difficillima viſa eſt, judicare de aliorum ſcriptis. Nam multiplices naturæ, variæ voluntates & judicia ſemper effecerunt diſtantia inter ſe genera dicendi. Alios delectant ea, qvæ non diſcedunt â communi more verborum, aliis ornata & elaborata

(*k*) *Qvibus nihil in eo genere gravius, auguſtius ve, in qvibus qvid aliud docet, qvam ab humana ſapientia, qvam ſibi potiſſimum veteres illi Græci vendicarunt, ad divinam & cæleſtem, qvam vetuſtiſſima DEI oracula, Chriſtiqꝫ qvi DEI eſt ſapientia, veraqꝫ & cæleſtis Minerva ſanctiſſima placita, tranſeundum, & aſcendendum? non qvidem ut illa abjiciatur tanqvam inutilis & indecora, ſed ut hujus adminiſtram & ancillam agnoſcat, utpote cujus munus ſit hæc inferiora illuſtrare & qvaſi Lucina in hac rerum humanarum nocte ignorantiaqꝫ dominatum habere: cum hæc ætherea & ſublimior, qvaſi lucidiſſimus Apollo rerum divinarum æternarumqꝫ afferat diem, qvibus in libris non philoſophus modo, ſed etiam Theologus fuit.* Cœlius in dict. Præfat.

borata ſunt cordi. Ideo non eſt promptum aut explicare qvæ forma dicendi maximè excellat, aut præſcriptum aliqvod in hac re ſervare, cum aliud aliis videatur optimum, & in omnibus, ut ait M. Tullius, ſit aliqvid excellens. Referam tamen qvæ in eo pleriqve vel reprehenderunt, vel deſideraverunt, & qvomodo ſe purgare ſolitus ſit, ne qvid, qvod ad eum pertinet, prætermiſſum eſſe videatur. Metaphoris dicebant nimium delectari, qvæ magnum ornamentum orationi afferunt: Sed ut virtutibus vitia proxima ſunt, ſic in his obſcuritatem eſſe fugiendam, tanqvam ſtellis qvibusdam notare & illuminare orationem: Sed ſi crebriores fuerint, ea fieri qvæ dicuntur ænigmata. Habere autem mirè raras & inſigniter argutas, ſed qvam ſemel amplexus eſſet, ab ea vix unqvam divelli. Præterea cum ejus ſermo ſine intermiſſione, ſine varietate ſit conſperſus verborum ſententiarumq; floribus, & fuſus æqvabiliter per omnem orationem, nec umbra adſit aliqva aut receſſus, qvo magis id qvod eſt illuminatum extet atqve emineat, ejus orationem â naturali ſimplicitate, longius recedere; ac propè verum ſangvinem perdere. Ad hæc cum ingreſſus eſſet, aliqvid eum repente qvaſi qvidam æſtus ingenii â terra abripiebat, atq; in altum â conſpectu penè omnium abſtrahebat, nec vela colligere, nec ſatis poterat modum velificando tenere; ſed ventis ſe permittens auferebatur qvocunqve ἐνθουσιασμὸς duceret. Unde per pauca ab eo dicta partitè, definitè, diſtinctè reperiri. Certe dum ingenio ſuo

indulgere mavult, qvam temperare, plurimis visus est redundare & effundi. Horum causam hanc afferebant, qvod initio parum liberaliter educatione, doctrinaqve puerili institutus, neminem habuisset, qvi veram eloqvendi viam rationemqve commonstraret, qvi ornatissimos scriptores, oratoresq; ad imitandum proponeret, qviqve eum reprimeret juvenili licentia superfluentem: vel qvod ita consvesset, vel qvòd ad hoc unum genus natus esset, vel qvod aliter non posset. Amici enim sæpe commonefecerunt, ut paulum se demitteret. Et Erasmus hæc qvæ commemoravi, in eo reprehendit omnia, & exagitavit, illudensqve dixit ea gratiùs influere in sensus hominum, qvæ naturæ essent propria. Ipse autem ita se purgare solitus est. Primum, qvod sit alicubi obscurus, de industria factum, sua retulisse id temporis qvo scribebat, ut intelligeretur à paucis. Si qvos offenderent crebriores translationes, hoc si qværerent, reperiri id exemplo procerum lingvæ Latinæ factum: qvi translationi primas partes in elocutione dederunt, eiqve in scribendo plurimum indulserunt, ardua graviter & splendidè dicere conatum, ac proinde nec tropis, nec numeris, nec reliqvo apparatu epidictico parcè usum, nec translationibus, qvæ se benignè non qvæ gravatè obtulerunt. Qvod pauci retrusam atqve abditam suam dictionem asseqverentur, habere plerosqve scriptores multum sui, apud illos majorum gentium authores suam cujusq; semper fuisse notam, sic semper naturam tulisse, ut

ut vel vitiis noſtris indulgeamus, vel invitis nobis ſe proferant. Non pœnitere, qvod naturæ ſerviret, ſibi interdum ſcribere, non tantum populo & ſcenæ. Non præſentem ſolùm voluptatem attendere, in poſterum etiam proſpicere. Scripta, qvæ primo aſpectu lectori ſe ſubmittant, aculeum nullum in futurum relinqvere, ſed in præſens tantum mulcere, hæc ut avidè arripiant homines, ſic diu non reguſtent, nec iterata ſæpius lectione proſeqvantur. Poſtremò qvod eſſet prolixior, malle ſe luxus ac munditiæ profuſæ, qvàm ſordium aut frugalitatis jejunæ poſtulari: è copioſa penu non poſſe religioſè promere. Ad faſtidium copiæ eximendum acrimoniam pro ſale eſſe. Diluit ad hunc modum, qvæ Eraſmus objecerat & obiter alia his non pauciora in Eraſmo notavit, qvæ referre longum eſſet, & non neceſſarium. (*l*) Qvorum

(*l*) *Addi hic merentur verba laudati* Cœlii Secundi Curionis in d. Præf. *Sed enim dicat aliqvis, ut concedam, qvod negari non poteſt, Budæum tanqvam Varronem alterum, doctiſſimum fuiſſe: in ſcribendo tamen durus, obſcurusq; fuit, neq; verborum collocatione, & tractu orationis leniori & æqvabili ſua ſcripta perpolivit: & ob id* Cœlio Antipatro *ſimilis, qvem ferreum ſcriptorem vocatum legimus. Nemo negat, hanc unam virtutem orationis, qvam σαφήνειαν Græci dicunt: ei defuiſſe, ut dilucide ſcriberet: in qvo non eſt imitandus. Verum hoc in eo primum minus reprehendendum eſt,*

qvod multis, & eximiis virtutibus compensatur. Deinde, non studio & voluntate in hoc dicendi genus venit, sed natura, & qvasi aliud agens: Sero enim, ut ipse testatur, ad elegantiores literas animum convertit: atq; ubi eas adamare cœpisset, sine præceptore, eas vorare cœpit: ac totus in res, lingvasq; conversus, de compositione collocationeq; verborum parum sollicitus fuit. Itaq; sensim in hanc orationis faciem incidit, qvæ usu jam ita confirmata erat, radicesq; tam alte posuerat, ut mutari divelliq; prorsus non posset, usq; adeò à teneris, ut noster Poëta inqvit, consvescere multum est. Nam hæc scribendi facilitas, & æqvabilitas, ni mature comparetur, & adsit monitor, & ductor, ubi induruerit, non facile, magno etiam labore conanti continget: qvanqvam laborem in eo ferre, grandior & durior ætas, contentionemq; non potest. Impediunt etiam multa domi, plura sæpenumero in Republica negotia, qvo fit, ut qvemcunq; cursum velificando oratio ceperit, eum tenere necesse sit, nisi hærere omnino velis, aut hûc & illuc incertus auferri. Obscuritatem verò non modo compositio ipsa collocatioq; verborum parit, sed & verba latina qvidem illa, sed vetusta, plerâq; etiam obsoleta, & ex reconditis artium latibulis eruta, velut ex veteribus Jurisconsultorum libris, ex architecturæ reiq; rusticæ scriptoribus, medicis, pictoribus, poëtis, & id genus aliis. Utitur qvoqve crebris figuris, modificatis verbis, ac potissimum translatis, & allegoriis: multus qvoq; est in Græcis loqvendi formis: habet inusitata, nec vulgo cognita proverbia & similitudines: alludit modo ad aliqvam

rum controverſiam *Chriſtophorus Longolius*, tanqvam honorarius arbiter voluit indicare, ſcripta ad id perbella & ſcita Epiſtola, qvam ſubjicere non pigebit, propterea qvod virtutesqve & vitia amborum, ſi qva fuerunt, diligenter examinat, & unum alteri miro artificio comparat. Qva ex collatione magnum percipient fructum eloqventiæ ſtudioſi, qvod intelligent, qvid in noſtræ ætatis doctiſſimis hominibus aut imitentur,

---

qvam abſtruſiorem hiſtoriam, modo ad fabulam: acutus eſt in dictis & interdum, qvod Eraſmus agnovit & ſenſit, amarus, inſidioſus, contortus, violentus, & tum maximè cum ceſſiſſe ac ſeſe recipere videtur. Hæc & id genus alia minus cautum attentumve lectorem fallunt: eiq; tenebras offundunt; adeo ut unde venerit, qvorſum progrediatur, qvò ſpectet, ſeq; proripiat, non ſatis videat. Mihi vero paulo diligentius in Budæi dictionem intuenti, non usq; adeo difficilis, & inamœna videtur, ſi qvis modo dies aliqvot aſſueſcat: nec ſit rerum omnium prorſus & antiqvitatis ignarus. Eſt enim virilis robuſta & grandis, utpote antiqvitatem incorruptam redolens: varietate qvoq; & copia, non modo prodeſſe, verum etiam delectare plurimum poteſt. Adde qvod novam qvandam rationem attulit orationis, ut paulo ante diximus, & dicendi genus induxit prope ſingulare. Qvis enim unqvam res præter hunc tragicas penè comicè, triſtes remiſſe, ſeveras hilarè, forenſes ſcenica prope venuſtate tractavit? atq; ita, ut neq; jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur.

aut probent. Longolii verba hæc sunt: *Qvod ad eruditionem pertinet, non video, qva in re Budæus Erasmo cedat (m) sive humaniores literas, sive Christiano dignas homine libeat æstimare: Qvod verò ad dicendi facultatem pertinet, parem mea sententia in tam diverso dicendi genere laudem merentur. Beatissima in ambobus & rerum & verborum copia, sed ita ut alter altius exspatietur, alter angustiore qvidem alveo, verum altiore ingentem aqvarum vim trahat: fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In Budæo videor mihi agnoscere plus nervorum, sangvinis, spiritus. In Erasmo plus carnis, cutis, coloris. In illo plus diligentiæ, in hoc plus felicitatis. Creber ille sententiis, hic facetiis. Ille omnia utilitati, hic plurimum delectationi*

(m) *Inde tale de utroq; ap.* Christoph. Myleum Italum, in Consilio Histor. Universit. scrib. cap. 6. sect. ult. *reperitur elogium, sed maximum rebus literariis ad omnem excellentiam efflorescentibus incrementum dedere, studiorum magnitudine præstantes viri, Erasmus & Budæus, qvorum duorum multiplicibus scriptis lingva utraq; facta excultior, optimi scriptores in manus venere, exemplo & continentibus exhortationibus. Æqvales iisdem animis ad amplificandas literas intensi, hoc seculum doctrinarum omnium celebritate, disciplinis omnibus ab ipsis fontibus, purius haustis, nobilitarunt; ut tota Europa clarissimi literarum in omni varietate Magistri & Doctores sint, à qvibus illustria ingenij & doctrinæ monumenta, magno successu veterum æmulatione suscepta, hodie relinqvantur.*

ctationi tribuit. Pugnat Budæus cura, ingenio, gravitate, dignitate: Erasmus arte, subtilitate, lenitate, jucunditate ad victoriam contendit. Hunc amare possis, illum admirari, huic favere, parere illi. Profectò ille me violenter cogit, hic suaviter allicit. Ducit alter blanditiis, alter viribus trahit, verborum delectu religiosus, proprietate perspicuus. Si res translationem expostulat, in metaphoris felix, sententiis gravis, figuris varius, summa orationis specie honestus, sublimis, severus, grandiloqvus. Contra Erasmus, venustus, modestus, popularis, floridus, verborum suppellectile dives, compositione simul expeditus, simul nitidus, freqvens exemplis, densus argumentis, gratus salibus. Ille in oratione sua totus semper est, sed tum potissimum tonat, tum fulminat, qvum materia temporum nostrorum objurgationem admittit. Hic etiam cum moribus convitium facit, magis instituto suo servire, atq; dolere videtur, malagmatis, collyriis, cerotis & cæteris id genus leviorum medicamentorum remediis consulens, ut ille amarulentis qvidem illis, sed hac tempestate necessariis potionibus, sectionibus, cauteriis altè grassantem vim morbi insectatur. Breviter si historiam scripturi sint, Budæus Thucydidem magis qvàm Sallustium: Erasmus Livium qvàm Herodotum retulerit. Si poëma pangendum sit, hic tragicum & heroicum qviddam verborum sententiarumq; pondere altius intonabit: ille Comœdiam urbanius, Lyricos svavius, elegiam mollius inspirabit. Assurgit tamen & hic qvoq; alieno ingenio, suo vero tam difficulter, qvàm ille nunqvam etiamsi velit, sese demittere qveat, alioqvi superiores illæ virtutes, ut neutri desunt, sic in altero magis patent, in alte-

ro magis latent: effectu pares, habitu dissimiles, ut haud prorsus aberret qvisqvis hunc concioni, illum judiciis natum dixerit, alterum Palladis numine afflatum, alterum Gratiarum choro stipatum. Cæterum ut intelligas nihil esse, qvod sit ab omni, ut ille ait, parte beatum, aut certe, qvod omnium stomacho satis possit facere, audi qvid in eis hi desiderant, qvi se aliqvod operæ precium in re literaria fecisse arbitrantur. Budæus hoc illis peccare videtur, qvod nihil peccet: Erasmus, qvod vitiis suis faveat. Illum enim dum scrupulosius omnia ad veterem normam exigit, sæpe oblitum eorum qvibus scribit, sibi tantum & musis canere: Hunc dum ingenio suo nimis indulget, nihilq; putat esse tam vulgare, qvod non aliqvando in oratione suum sibi locum honestè vendicet, turbidum interim fluere. Illum potius nobis significare qvid velit, qvàm dicere. Hunc immodica sermonis ubertate veluti læto gramine sata strangulare. Illum oratione nunc obliqva verticosum, nunc figurata elatum, sæpe intumescere: Hunc recto nudoqve ductu humiliorem, plerumqve humi serpere. Hunc lascivia molliorem, illum austeritate duriorem. Deniq; alterum doctis mirum in modum posse placere, alterum etiam imperitis, si in tam fecunda, ut illorum verbis utar, facundia modum tenerent, & suo semper freti ingenio, alieno nonnunqvam essent diserti vel judicio vel consilio. Nam cum præstare possint qvicqvid volunt, par est (inqviunt) ut optima qvæq; velint, nec sese ambitiosius nobis venditent, eò res nostras recidisse, ut maturè potius juvandi qvàm intempestivè delectandi simus, pro suscepto operis instituto fideliter docendi, non crebris licentiosisq; excursionibus ambagiosè suspendendi.

Di-

Digredi qvidem Senecam & Plinium, sed alterum parcè, alterum rarò, nec sic qvoq; qvæsito, nec nisi oblato argumento. Hæc critici, qvorum sententiæ, qvo minus statim subscribam, faciunt cum alia multa, tum qvòd non defuere clari oratores, qvi non grammaticos, sed populum eloqventiæ judicem statuerint. Esto, sit porrigendis doctis modo calculus, sint soli literarum principes hac de re in consilium mittendi, qvisnam amabo hac ætate dignus, cui tam superba censura jure credatur? Tuebuntur se uterq; haud magnis solum exemplis, sed etiam validissimis argumentis. Dicent se non perperam scribere, sed illos corruptè judicare: in orationibus suis non nasci, sed ab imperitis spinas afferri. Erasmus se omnium rationem habuisse, Budæus paucorum theatro contentum esse. Itaq; ipse nihil decerno, vel ne sutor (ut ajunt) supra crepidam, vel qvòd apud me paria faciant, hoc est, virtutibus si qva sunt vitia pensent, atq; adeo superent, habent enim plus qvod laudem, qvàm qvod ignoscam. Hæc ille. Budæus qvoq; in qvadam ad Erasmum Epistola (*n*) cum multa de se & Erasmo dixisset, ad extremum addidit hæc qvæ seqvuntur. Ex qvibus Longolius superioris Epistolæ argumentum arripuisse videtur. *Inter nos hoc interest (inqvit) qvòd qva tu sermocinantis more lepidè & festiviter dicis, hæc ego concionabundè qvidem, non tamen immani voce, sed exaudibili effero, vel etiam vociferor.*

(*n*) *Semi græca illa qvidem, sed digna, qvæ legatur* libr. 5. Epistolarr. pag. 369. *qvippe in qva de suo & Erasmi scribendi genere erudite differit atq; obtrectatoribus suis respondet.*

ciferor. Sicq; fortaſſe ego vim affero & rapio, tu eblandiris & imperas, ego irrumpo, tu repis, ἐγὼ πανοπλίαν ἐνδεδυμένος τὴν τῶν νεανικῶν, tu ἡμίοπλος, tu minore ſed certo conatu, ego ingenti reductisq; ſupra modum brachiis, tamen non idem fortaſſe efficio. Deniq; qvid oppugnantem, expugnantem, propugnantem deceat, tu melius noſti, palæſtramq; illam philoſophicam tenes, ἐγὼ ἀπαλαιστρῶς præ fervore deſtinatum impeto. Sed hæc hactenus. Qvoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum eſſe videtur, de amicitia etiam utriusq; proponere. Eſt difficillimum, inter illos nullam intercedere obtrectationem, inter qvos tantæ laudis eſt æmulatio, qvantam fuit incidere neceſſe, inter Eraſmum atq; Budæum, cum ſe uterq; in literis eſſe principem cuperet. *Nam qvicqvid eſt ejusmodi, in qvo excellere præclarum exiſtimant, in eo plerumq; fit tanta contentio, ut vix posſit benevolentia ſervari.* Et revera non defuerunt, qvi in Budæi & Eraſmi animis cæcæ æmulationis fomites reſidere judicarent. Tamen ſi qvæ interciderunt, non tam re, qvam ſuſpicione violata ea & falſa & inania fuiſſe auſim contendere. Is enim erat vir Budæus, & eum eſſe Eraſmum exiſtimabat, ut qvoniam in eandem ætatem inciderant, conjunctionem amicitiamq; mutuam utriq; honorificam duceret & glorioſius putaret cum tali viro certare, qvàm omnino adverſarium non habere, cum præſertim illi nullum â Budæo amoris, nullum ſtudii, nullum benevolentiæ officium defuerit. Etenim de Eraſmo nunqvam niſi pleno & amico ore

ore locutus eſt, ejus honori & dignitati ſemper favit, qvoad ejus fieri potuit. Qvod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, qvòd Eraſmum in Galliam aſciſcere magnopere ſtuduit, propoſitis ad manendum ampliſſimis præmiis, qvæ â Rege impetraverat. Sed qvædam peſtes hominum laude aliena dolentium, & Eraſmum â Budæo alienare, & Budæum aliqvando immutare, illosq; inter ſe tanqvam par nobile gladiatorum committere conati ſunt, cum revera fuerint ſemper amiciſſimi & ab omni obtrectatione invidiaqve alieniſſimi. Cauſas comperio multas, qvæ alienationis inter illos ſimultatisq; mutuæ, & æmulationis ſuſpicionem dederunt. Hæ ſunt profectò hujuſcemodi, qvod acerbioribus ſeſe Epiſtolis ultrò citroqve laceſſiverunt, dum aut de ſuis libris diſputant, & alter de altero ſententiam aperit, aut Budæus dolet Jacobum Fabrum in altercatione qvadam Theologica parum honeſtè tractari, aut ingenia Gallica deſpici, aut ſibi Badium præferri. Id etiam parum amicæ voluntatis argumentum crediderunt, qvòd â Budæo in tot numero libris mentio nusqvam facta ſit Eraſmi, qvanqvam ut fieret, multis precibus ab Eraſmo ambiretur. Præterea putant id qvoqve ad iſta qvæ dixi accedere, qvòd Budæus diſſimulanter Eraſmum in ſuis libris nonnunqvam perſtringere videtur, velut in Commentariis, qvando ridet illos, qvi de ſingulorum ingenio, & eloqventia ſententiam ferre audent, qvi Laurentio inferiores præſcribunt loqvendi formulas, qvi leviora qvædam

ſcripta

ſcripta in vulgus edunt, qvæ nec ſolem nec ætatem ferant. Qvæ de Eraſmo homines nimium ſuſpicioſi interpretabantur, videlicet qvi Ciceronianam compoſuit, & commentarios de copia, qviqve ſcriptitabat novos qvotidie libellos. Tametſi attentius conſideranti non tam ad Eraſmum, qvàm ad alios qvosdam noſtræ ætatis ſcriptores pertinere videntur. Nihil enim temere de tantis hominibus ſuſpicandum eſt; nec niſi modeſtè, & circumſpecto judicio pronunciandum. Verum enimvero ſi qvid fuit offenſionis, id non tam ex obtrectatione atqve invidia, qvàm ex cupiditate qvadam gloriæ, cujus uterqve viſus eſt avidior profectum eſt. Pares enim virtutes in maximis animis præſtantisſimisqve ingeniis nonnunqvam edunt ſimulacrum qvoddam contentionis: non eorum culpa, in qvibus exiſtunt, qvid enim eſſet indignius? ſed immodico fautorum ſtudio, qvi dum unum alteri cupidius præferunt, & de principatu intempeſtivius certant, interdum contentiones graviſſimæ enaſcuntur, qvæ in ipſos etiam nec opinantes, qvorum cauſa ſuscipiuntur, redundant. Sic qvi præſtantis doctrinæ, aut alicujus præclaræ artis opinionem habent, ſi in idem curriculum deſcenderunt, ſuntqve in pari vel proximo gloriæ curſu, in æmulandi ſuſpicionem, ſuorum vitio incidunt. Qvod ſi qvibus unqvam id contigit, certe his duobus contigit, cum uterqve ſuarum virtutum præcones & buccinatores exiſtimationis haberet innumerabiles, qvi talium diſcordiarum ſemina ubiq; gen-

gentiũ ferent, partim huic partim illi, ut qvisq; animo afficiebatur, principatum in literis tribuentes. Atqvi nulla unqvam Budæo tanta offensio visa est (& si qva potuit esse tanta) sed ne hæc qvidem ipsa, ut aut amicitiam deponeret, aut inimicitias susciperet, aut bellum cum eo gereret, qvem & propter virtutem præcipuè diligebat, & propter eloqventiam suspiciebat maximè. (o) Qvin imo hunc honorem veteri amicitiæ semper tribuit, ut eum in culpa esse duceret, qvi faceret: non eum qvi pateretur injuriam, atqve hujuscemodi, vel suspiciones vel contumelias negligeret, in ipsa conscientia rectè factorum satis magnum laborum fructum reponens. Qva felicitate & patientia, vel prudentia potius, omnes illas invidiæ tempestates facilè sopivit. Nec verò minus ille prudens & attentus pater familias habitus est, qvàm vir doctus. Neqve enim literis ita prorsus deditus erat, ut rem familiarem negligeret. Sed cum studiis plurimum tribueret temporis, tum verò qvandò qvippiam aut acceptum ferre aut expensum oportebat, id dili-

(o) *Tale nempe certamen, inqvit* Cœlius Secundus, in d. Præf. *inter Budæum Erasmumq; extitit, qvale Romanis cum Latinis & Pyrrho, non qvale cum Celtiberis & Cimbris: non uter esset, sed uter gloria & eruditione superaret, qvod qvidem certamen ingenuis & generosis animis incidere plerumq; solet. Neq; enim falsum est, qvod* Martial. *ait:*

Aurum, & Opes, & rura, freqvens donabit Amicus,
Qvi velit ingenio cedere rarus erit.

diligentiſſimè faciebat, cæteraqve per ſe domeſtica negocia curabat. In omni re contrahenda, in vicinitatibus & confiniis æqvus & facilis. Illud autem ita prudenter temperabat, ut neqve cura rei familiaris qvicqvam obeſſet ſtudiis doctrinæ, nec literarum amore langvidior redderetur ad rem tuendam. Poſſeſſiones habuit, ſi utilitate judicandum eſt, ſatis amplas: ſin ad vulgi opinionem, & illius virtutem reſpicimus, mediocres. Qvas tamen minime æſtimabat, nec exaggerare, amplificareq; cum poſſet, magnopere laborabat. Qvippe cui in libris, & liberis, ipſaqve virtute eſſent omnia. Patri copioſo & in primis locupleti ſucceſſit, at ſeptem liberis aucto, qvorum maximus natu moribus noſtris tulit ſemiſſem, cæteri hæredes relicti ſunt ſinguli ex ſingulis unciis. Qvocirca unciam unam, eamqve vix ſolidam conſecutus eſt ex bonis paternis, ex maternis verò paulo poſt alteram. Id fuit ſubſidium ſtudiorum & familiæ, cum his qvæ deinceps acceſſerunt ex ſtipendiis munerum publicorum. Qvod ſi dives habendus cui tanta poſſeſſio ſuppetit, ut ad liberaliter vivendum facilè contentus ſit: ſi uſum pecuniæ non magnitudine, ſed ratione metiri oportet: ſi non æſtimatione cenſus, ſed cultu vitæ pendunţur divitiæ: Budæus ſane ditiſſimus fuit, qvi ex mediocribus ſuis vectigalibus rem familiarem ita prudenter conſtituebat, ut non modo qvicqvam ſibi ad vitam eleganter & civiliter agendam deeſſet, verum etiam ſuperaret. Domum habuit in via D.Martini, plenam dignitatis, qvalem

lem hominis honorati & clari esse convenit: qvam ipse à fundamentis erexerat. Duas villas suburbanas possedit, non minus amœnas, qvàm fructuosas, videlicet *Sammaurianam & Marlianam*, qvas cum aliis ornamentis tum ædificiis non inelegantibus auxit, ut jocans aliqvando cum Erasmo villas prope Lucullianas ædificare se dixerit. (*p*) Sammaurianum prædium qvarto lapide ab urbe situm præcipuè coluit. Qvod sibi in *Lib. I. de Asse* scribit instar amœni cujuspiam Tusculani fuisse, ubi occupationibus animum relaxabat, & qvasi in jucundo studiorum suorum diversorio reqviescens sibi sumebat ocium ad commentandum. Cum Lutetia abesset nusqvam potius erat. Sæpe enim à fluctibus urbanis, forensiqꝫ tempestate, tanqvam in portum se in solitudinem recipiebat, rusq́; cum tota familia abdebat, ubi nulla vi interpellante, vacuus ab interventoribus, liberius & solutius in literis viveret. Nunqvam minus negocio vacabat, qvam cum in eo ocio agebat. Nempe erat perfugium illud non desidiæ aut inertiæ, sed securitatis tranqvillitatisqve animi, in qvô præclara ingenii monumenta mandabat literis, in qvo omnem sapientiæ rationem omnemq́ve doctrinam & contemplabatur & tractabat, atq́ve semper ea promebat ex se, qvæ juvarent alios & delectarent, nomen authoris apud omnes gentes celebrarent, & sempiternis laudibus illustrarent. Erat in supellectile, in vestitu, in reliqvo apparatu domesticô & ornatu magis elegans,

F qvàm

(*p*) *in alleg. modo epistola pag. 369.*

qvàm ſumptuoſus, omniqve diligentia affectabat munditiam non affluentem. Nemini unqvam viſus obtrectare. Sœpe rogatus ſententiam de ingeniis noſtræ ætatis, ſemper & loqvebatur honorificè, & candidè ſentiebat de omnibus, ſibi nihil arrogans, aliis tribuens plurimum. Conſpiciebatur & ſine ſegnitia moderatus, & ſine tarditate taciturnus: rurſus & ſine objectione facilis, & ſine arrogantia gravis. Itaq; haud facile diſcerneres utrum propter ſeveritatem authoritatemq; magis obſervaretur, an propter facilitatem & comitatem diligeretur. Gloriari ſolitum accepimus omnes animi motus à ſe victos, excepta iracundia, qvam tamen ipſam ita qvoq; cohibebat, ut qvamvis contra voluntatem commoveretur interdum, nunqvam præter rationem excandeſceret. In qvo parum aut nihil omnino culpandus videtur: cum præſertim non defuerint ſummi philoſophi, qvi laudarent iracundiam tanqvam cotem fortitudinis, & utiliter à natura datam contenderent. Res ſecundas & ad voluntatem fluentes moderatè, adverſas fortiter (ſœpe enim illi fortuna reflavit) ut viro dignum tulit. In omni vita præclaram qvandam æqvabilitatem retinens: ut penè idem ſemper vultus, eademqve frons appareret. Rei forenſis habitus paulo rudior, qvod ab ineunte ætate lites & judicia non ſecutus eſſet: nec amaſſet forum, ſed deſtinato qvodam propoſito conſilioq; refugiſſet. Theologiæ ab initio ætatis ſumme ſtudioſus fuit, omniaqve qvæ de divinis rebus à ſapientiſſimis tradita eſſent, ſummo ſtudio curaqve

raqve didicit: existimans id esse hominis Christiani non semper hærere in humanis disciplinis, & in his tractandis cum desidiosa delectatione usqve ad senectutem detineri, oculos ad cœlestia erigi, mentem ad divinam sapientiam oportere excitari: ad illam dirigendas artes cæteras, ad illam velut ad certissimam veritatis normam, regulam vitæ, præscriptionem justitiæ & æqvitatis exigenda studia omnia, referendas omnes & rationes nostras & actiones. Sub ingravescentem vero ætatem acrius in literas sacras incubuit, credo vel judicii maturitate ad sapientiam, vel tædio aliarum artium, vel appropinqvatione mortis admonitus: qvæ â senectute non potest longè abesse. Qvo certius sibi viaticum ad cœlestem piorum sedem & æternam domum pararet. Veræ religionis observantissimus in omni vita fuit, singulari in DEUM pietate, in omnes homines benevolentiæ charitate commendatus. Longè semper abfuit ab his contentionibus, qvæ in nostram ætatem eruperunt: *sui judicij qvid se facere par esset potius intuens, qvàm qvid alij aut laudaturi forent, aut improbaturi.* Qvamobrem cum in maximis opinionum procellis & turbulentissimis tempestatibus ingens Græcæ lingvæ conflata esset invidia, qvod harum stirps, & semen malorum omnium videretur, cum odii faces undiqve ab improbis præferrentur, cum in perturbatione veteris disciplinæ spem haberent inimici ad elegantium literarum non dignitatem modo extingvendam, sed etiam gloriam per principes viros infringendam, cum in his asperitatibus re-

rum eruditi pleriqve de religione ſuſpecti habentur, nec ſatis eſſent inter imperitorum greges tuti: hic ſolus non modò integra mente, verum etiam exiſtimatione permanſit. Nihil in ejus vita aut in oratione qvisqvam potuit invenire, qvod jure reprehenderet. Qvod labenti rei literariæ certiſſimum præſidium attulit. Niſi enim is contigiſſet orbæ politiori doctrinæ qvaſi legitimus tutor: qvi eam apud Principem, in ſenatu, in concionibus exagitatam tueretur, ac tantiſper dum invidia conſideret, domi ſeptam teneret liberali cuſtodia, atqve à ſceleratorum hominum impetu prohiberet, haud dubiè noſtris finibus coacta eſſet excedere. Tantum valuit in rectam ſententiam perpetua permanſio, tantum judicii conſtantia, tantum vitæ integritas: ut hi qvi nocere maximè cupiebant, propterea qvòd ejus authoritate ſolius nitebantur Græcæ literæ & meliores: tamen qvemadmodum nocerent, non invenirent. Sic cum honoribus atq; ingenii gloria floreret, ita prudenter vitam inſtituit, ut in negocio ſine periculo, & in ocio cum dignitate viveret, ac ſimul in florentiſſima orbis terrarum republica ſapientiæ laude usq; ad ſummam ſenectutem ſine ulla offenſione perfruetur. Et qvisqvam dubitabit illum non ſanctè modò graviterq;, ſed beatè etiam fortunateqve vixiſſe? Porro autem ut ejus eruditio ſe extulit, & lumen ſuum oſtendit, omnes ubiqve gentium, qvi aliqvid de ingeniis poterant judicare, ſe ad ejus amicitiam cupidiſſimè applicuerunt. Ipſi qvi hominem nunqvam viderant, nec viſuri erant,

erant, qvi ejus uſu & moribus frui nullo modo poterant, propter reconditam & multiplicem doctrinam, integerrimos mores, ſingularem virtutem, digniſſimum benevolentia judicabant, & literis ultrò ſcriptis, tanqvam ſibi valdè honorificam futuram expetebant. Pleriq; etiam commoti ipſa fama, ex ultimis nationibus ad eum videndum Lutetiam venerunt. Ipſe verò, qvi nihil minus hominis duceret, qvàm non reſpondere in amore his â qvibus provocaretur, nullius officiis in hac re unqvam conceſſit, nullius humanitate ſuperatus. Qvippe qvi rectiſſimè judicaret, *nihil nobis à natura datum remuneratione benevolentiæ, viciſſitudineq́; diligendi melius: nullam vitæ ſupellectilem pulchriorem præſtantiſſimorum hominum amicitia.* Illos qvi eruditionis commendatione ſe inſinuarent, vel qvi ſpem aliqvam de ſe ingenii darent, non minus qvam conjunctos propinqvitate dilexit: omnibus qvi ejus vel opera vel conſilio egerent, maximè expoſitus. Plurimum ex omnibus detulit *Ludovico Ruſæo*, (q) & *Franciſco Deloino*: (r) qvos conſtat ſummis

(q) *Pariſinus fuit Suppræfectus, qvi qvamvis in juris ſtudio verſaretur ob munus judicandi, qvo fungebatur, natura tamen totus ad literas amœniores ferebatur: in qvibus jam diu tyrocinium poſuerat: in compoſitione facilis & elegans. Budæus ad Eraſm.* lib. 5. Epiſtol. *p. 374.*

(r) *Fuit hic Deloinus Regius Conſiliarius Budæo & affinitate conjunctus & amicitia ſumma devinctus, memi-*

ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditos, inter eos qvi tum Lutetiæ erant, gratia & authoritate plurimum floruisse. Ambos arctissimâ consvetudine devinctos pro Pomponio & Bruto Ciceroni olim conjunctissimis habuisse qvodam loco prædicat. (*s*) Ex eruditis *Jacobum Tusanum* eximiè dilexit, suæ disciplinæ alumnum, qvem post Budæum ipsum multò peritiss. Græci sermonis nostram tulisse Galliam verè videor posse contendere, nec minus virum bonum optimisqve artibus eruditum. Hunc græcè docere non est gravatus, propterea qvòd ei lingvæ propagandæ aptissimum esse cernebat. Corporis rationem initio nullam habuit. Atqve dum ingenio soli servit omissis omnibus exercitationibus, imprudens in perturbationem totius valetudinis incidit. Qvamobrem sero experimento edoctus, non esse habendam rationem animi sine corpore, qvòd eo ægro aut malè constituto, fungi neqveamus animi muneribus, aliqvantum de summo illo remisit studio, qvo ab ineunte ætate fuerat incensus. Atqꝫ hæc solitus est

meminit ejus in libr. 5. de Asse, *cujus nomini dicasse se librum istum videri posse scribit ad Erasm.* lib. 5. Epistol. *p. 364. cum eum circa finem dicti libri secum differentem faciat, Indeqꝫ ejus dicationis memoriam nunqvam nisi cum libro interituram autumet, cum sæpe Præfationes alioqvin pereant. Extant præterea bina ad Deloinum scripta literæ in* libr. 3.

(*s*) *in d.* Epist. ad Erasm. *p. 374.*

eſt facere confirmandarum virium, relaxandiq; animi cauſa, lignum findere, aqvam è puteo haurire, irrigare hortum, & colere more veterum, vitem putare, in curiam â qva procul domus aberat pedibus ire cœlo ſereno, ædificare in prædiis, arbores ſerere, & deſcribere ordinibus, in locis nonnunqvam planis, ſæpius montuoſis & aſperis curſu corpus fatigare. Qvæ tametſi leviora videntur illi tamen fuerunt longè ſaluberrima: Hac enim exercitatione & temperantia adhibita, effectum eſt, ut optimis eſſet viribus in extremo tempore ætatis, & multò melius habere videretur in ſenectute, qvàm in conſtante ætate, ac fuerit adhuc propter ſummam corporis ſiccitatem roburqve complures annos victurus, ſi morbi caſus abfuiſſet. Maximo fuit in honore apud nos qvoad vixit, multaqve de eo & præclara judicia (id qvod maximè facit authoritatem) noſtri principes fecerunt. A *Carolo VIII.* cum primum ingenii laudibus efflorеſceret in aulæ comitatum honorifice accerſitus eſt, procurante id potiſſimum *Guidone Rupefortienſi* viro ampliſſimo, & in reip. regenda, cui præerat, diligentiſſimo. (*t*.) Fuit enim princeps ille cum fæli-

(*t*) *Factum id ſtudij literarij commendatione atq; præcipue ob Græcæ lingvæ ſtudium, qvod eo tempore ſine rivali in Gallia amabat & ſectabatur unice Budæus, vid.* lib. 1. de Philolog. p. 53. *Fuit tum Regius Secretarius,* Gvido *autem* de Rupeforti *Cancellarius Franciæ, qvem ut virum ſummi ingenij, memo-*

fælicitate, tum etiam virtute nulli regum secundus. Cujus immaturo interitu damnum non mediocre fecerunt & res Gallicæ, & meliores literæ, qvas instituerat fovere. Siqvidem is recepta armis Neapoli, ac peragrata cum instructissimis copiis universa Italia, ea tempestate eruditissimis hominibus liberalissimisqve studiis affluente, bonarum artium nomen audiverat: qvæ ibi prius propter tranqvillitatem vehementer colebantur, atqꝫ inde accersere illas in Galliam decreverat, nisi repentinus casus ejus spem atqve omnia vitæ consilia morte prævertisset. *Ludovico XII.* qvi durior ad hæc studia videbatur, jucundus qvoqꝫ fuit. Nam honoribus plurimis illum affecit princeps, in cognoscendis perpendisqve hominum ingeniis planè mirus, & de maximis rebus legatum bis in Italiam misit cum aliqvot Proceribus suis. Qvibus in legationibus sic fidem suam, diligentiam, ingenium regi probavit, ut magnam gratiam ab eo ipso iniret, ac paulo mox in scribarum regiorum numerum adscriberetur. In centumvirale concilium qvod Lutetiæ colitur, cooptari sæpius recusavit, qvòd infinitis causis & judiciis ea vita destricta nihil ad recordanda cogitandaqve studia temporis relictura

---

memoriæ tenacissimæ, animi semper sibi constantis, frontis ut tristis, ita minime aulicæ & fallacis, voluptatum insuper vel nescium vel contemtorem ac bonorum virorum & literatorum æstimatorem eximie commendat Bud. libr.4. de Asse edit. Colon. *p.m. 347. seqq.* & libr. 5. *p. 673.*

ctura videretur: ipse autem summa facultate vacui ac liberi temporis ad comentandum egeret. Proin à negociis publicis aut valetudinis imbecillitate exclusus, aut voluntate sua feriatus, omne suum tempus vel legendo vel scribendo ferè transmittebat. Qva de causa abhorrebat qvoqve judicio qvodam animi ab aula, & se qvantum poterat, illinc removebat, qvietem atqꝫ otium seqvutus: cui inprimis inimica est vita errans & vaga aulicorum. (*u*) Qva in voluntate

(*u*) *Qvapropter nullum negocium cum Aula, nihilq́; planè commercij cum aulicis habere cupiebat, vid.* Epist. I. libr. I. ad Rich. Paceum, *qvid enim de istis senserit passim in libris de Asse & maxime* lib. 5. edit. Col. p. m. 660. *explicat: Ecqvis est autem honestatis amans & compositæ vitæ, qvi non modo sine molestia, sed enim sine rubore possit in eo comitatu videri, in qvo omnium sententiis iri moris est in potentiorum laudem, dignorum juxta indignorumq́;? in qvo rumorum aucupes, criminum consarcinatores, auræ temerariæ captatores, assentandi artifices: blanditiarum magis, qvam eloqventiæ gnari, in omnem obseqvendi necessitatem sese industriamq́; suam potentiæ venditantes, divini cultus vel nescii vel negligentes, hominum viventium inter Divos relatores: officiosi & comes, atq; etiam elegantes acresq́; esse dicuntur: veritatis autem tenaces, curam honestatis atq́; integritatis antiqvissimam habentes, liberalioris institutionis retinentes, pudori inprimis consulendum esse atq́; existimationi*

luntate permansit, usqve ad principatum *Francisci regis:* qvem ut audivit in summa omnium rerum potestate, tanta imperii amplitudine, inaudita qvadam mansvetudine & clementia ac penè divina sapientia præstantem, vel elegantium literarum amore inprimis flagrare, haud difficulter est de vetere sententia depulsus. Primum evocatus *Ardeam:* qvem in locum rex qvoqve Britannorum Henricus convenerat, cum tanti conventus splendore excitatus, tum admirabili fama incredibilium virtutum sui principis incensus, sanè qvam libenter regis imperio obtemperavit, atq; eò magis qvod virtutis, & literarum ergò se intelligebat accersiri. Tantum valuit humanissimi principis spectata benignitas, ut omissis doctrinæ studiis, post habitâ rei familiaris cura, hunc etiam in aliqvot expeditionibus seqveretur, oblitus instituti sui, jam grandis natu, castrensis laboris insolens: ac si verum fateri volumus, pacis togæqve potius, qvàm belli alumnus. Sed enim hoc non solum fati, verum etiam fœlicitatis cujusdam fuit: ut cum princeps in Gallia is esset, qvi literis & literatis

mationi ducentes, aut rustici, aut tardi, aut socordes judicantur? Qvis enim aut edictorum cœlestium prudens, aut interdictorum metuens, non prorsus ineptire inter aulicos semper visus est, aut etiam delirare? Qvare in eo licentiæ & erroris gurgite demersi, nec in cœlum postea suspiciunt, nec unqvam inde ita existunt, ut emersisse videantur. Id qvod clarissimis qvotidie exemplis innotescit.

ratis honestissimè cuperet, qvi supra consvetudinem majorum suorum, contra morem & exemplum, non eorum modo principum, qvi nunc sunt, sed eorum etiam, qvi multis antehac sæculis fuerunt: omnes bonas artes tueretur & ornaret, eôdem tempore haberemus virum hujusce ætatis doctissimum: qvi optimum principem sua sponte satis incitatum ad id qvotidie magis ac magis inflammaret. (*x*) Enimvero sicut erat honorificum Regi, virtutis cultori, præstantium ingeniorum fautori eximio, aliqvem ex suis habere, qvem omnibus aliis nationibus opponere jure posset, haud secius Budæo præclarum videbatur ultro à principe longè maximo atq; sapientissimo magnis propositis præmiis in aulam evocari, & singularem ejus tum virtutem, tum doctrinam non jam latere in umbraculis eruditorum ocioqve, sed illustri & excelso loco sitam, in luce Galliarum ac regni clarissimi oculis auribusqve versari. Sæpe & multum audiebatur à principe magnis de rebus ornatè exqvisiteqve disserens, colebatur à primoribus aulæ, summoq; afficiebatur honore: qvòd cum non solum observabant, qvi literis ex animo favebant, sed etiam si qvi forte simulabant. Itaqve rex liberalissimus hoc specimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen principatus sui præ-

(*x*) *Qvo pertinent ejus de Studio literarum rectè & commode instituendo & de Philologia scripti ad* Franciscum R. *Regiosq; filios* Henricum *&* Carolum *libri.*

præcipuum fore putavit, si Budæi dignitatem amplificaret, fortunasqve cum primis augeret. Principio illum præfecit *Scriniis suæ Bibliothecæ*, deinde *Libellorum Supplicum Magisterium*, qvi honos est in regia amplissimus, non postulanti, non ambienti, ac ne cogitanti qvidem sua sponte detulit, codicillis ejusce rei domum usqve cum summa benevolentiæ testificatione missis, in qvam paulo ante ipsius Regis injussu se receperat, nullo relicto in aula aut stipulatore aut suffragatore. Et qvo magis amorem perspicere possis, Rex qvoqve separatim ad illum dedit literas gravissimis verbis & sententiis plenas: qvibus jubebat majora sperare. (*y*) Qvo tempore

(*y*) *Beneficentiæ & clementiæ hoc regiæ insigne documentum ipse mirifice prædicat Budæus* libr. 1. de Philolog. pag. 37. *& furtivum illum ut nominat excessum, coram Rege excusat & deprecatur. De his honorum suorum incrementis certiorem facit* Erasmum libr. 5. Epistolar. p. 378. seqq. *binis literis. Magisterium hoc libellorum, Octoviratum passim nominat, & in* posteriore epistol. p. 380. *ad Erasmum, hoc regiæ curiæ officium ita describit: Collegium est Octovirorum, qvorum functio atq; opera latissime in Republ. patet, siqvidem in præstantissima fere qvaq; parte magistratuum locum primarium ac numerum obtinet hic magistratus, in qvem beneficio Principis adoptatus sum, primum in magno Principis consilio, in curia centenaria, atq; in omnibus deniq; curiis summis, qvæ causarum ultimam*

m.em disceptationem habent: sedendi honestissimo loco, & secundum Præsides jus habet nisi si Principes aut Pontifices adsint. Sententiæ etiam dicendæ locum antiqviorem obtinet omnibus consiliariis, magnum autem consilium vocatur curia aulæ comes. Qvam velut cohortem qvandam JCtorum, asseclam Regiæ & Prætorij dicere possis, cujus coryphæus est Cancellarius ὁ Νομοφύλαξ. Hujus tamen Octoviratus præcipuæ atq; antiqvissimæ partes sunt, ut Principi præsto sint collegæ è cubiculo prodeunti postulationibusq; supplicum vacaturo, cujus officij vices in orbem binis & sæpe singulis cedunt: cum alioqvi ordinariam sedem habeamus in illa æqvi & boni, ut ita dicam, officina, qvam Cancellariam nostri vocant: in qva locus est dicatus disceptandis Rescriptis Principalibus, qvæ ex bono ipso æqvoq; postulari solent adversus juris summi exactiq; severitatem. Qvibus Rescriptis accedunt preces eorum supplices, qvi in L. Corneliam de Sicariis qvippiam admiserunt; aut alias capitalem rem adversus leges ausi sunt, qvibus veniam regiis verbis dare solemus, pœnam suppliciter deprecantibus, siqvidem venia ac misericordia digni esse videantur. Regiis autem venias dare possumus & bini & singuli si singulos nostrum sedere contigerit, qvod qvotidianæ est functionis in hâc urbe, & ad Aulam in ædibus Cancellarij. Hæ porro functiones qvamlibet multiplices, honorarias tamen magis atq; voluntarias vices habent, qvam necessarias atq; hominum vendicatrices: nisi si majores ad causas argumentosioriúq; instrumenti advocemur: qvod non sæpe evenit. Hactenus ille, cæterum qvis

apud

pore populus Parisiensis cunctis suffragiis *Praefectum decurionum* declaravit ejus urbis. Sic ille in qvadam Epistola vocat eum qvi praefectus mercatorum vulgo dicitur. Qvi magistratus biennii est, sed maximus inter eos cives, & amplissimis viris solitus tantummodo deferri. Sic in eo augendo atqve honestando videtur cum summo Rege qvasi certasse ea urbs: qvae est magnitudine amplissima, judicio eruditissima, celebritate refertissima, studiis autem liberalissimis ita affluens, ut omnibus urbibus, non dicam qvae ad septentriones solisqve occasum pertinent, sed qvae in ortum etiam & meridiem spectant, facile antecellat. Budaeus autem arbitratus hunc honorem non sibi, sed literis delatum: cupidius qvàm antea optimarum artium patrocinium suscepit, atqve in primis svasit principi, ut sedem illis stabilem ac domicilium certum Lutetiae praeberet. Qvod brevi perfectum iri speramus cum sempiterna ipsius principis gloria. Certe hoc interea impetravit, ut viri doctissimi annuis stipendiis aucti, literas graecas, latinas, hebraeas, omne genus disciplinarum in ea urbe interpretarentur, qvod satis magnum ac luculentum futuri operis specimen arbitrantur omnes. Qvamobrem homines nostri partim exemplo principis excitati, partim liberalitate com-

apud Romanos Impp. olim Magister libellorum dictus fuerit, & qvale ejus fuerit officium, in vita Aur. Arcadii Charisii JC. *qvem bono cum DEO in lucem prolaturus sum, dicetur.*

commoti, certatim amplexari literas cœperunt, tantosqve progreſſus in omni virtute, omni diſciplinarum genere, neqve ita longo intervallo fecerunt, ut non multum aut nihil omnino antiqvis Græcis Romanisqve cedatur. Qvæ res à principe major unqvam geſta? Qvis triumphus conferendus? Qvæ monumenta aut trophæa comparanda? Hoc ſcilicet verè eſt imperare, ſuam virtutem aliis exemplum facere, eos qvibus præſis reddere meliores, eorum non modo fortunis ac corporibus, verum etiam animis excolendis proſpicere? Reliqva qvidem Francisci regis vita multis erit præclarisqve monumentis ad omnem memoriam commendata. Bellicæ laudes commemorabuntur multarum gentium literis ac lingvis, obſtupeſcent poſteri admirabilem illius & incredibilem & penè divinam in regno tuendo atqve adminiſtrando ſapientiam audientes. De hoc autem ſingulari in optimas artes amore ſemper populus Gallicus, ſemper omnes gentes loqventur, nulla unqvam ætas conticeſcet, nulla obmuteſcet vetuſtas. Floreſcet qvotidie magis hæc liberalitas, ita ut qvantum cæteris ejus operibus diuturnitas detrahet, tantum huic benignitati afferat gloriæ. *Nam qvo cupidius ipſi ſe homines in Regum mores formant, hoc magis de republica merentur optimi principes, qvi non vitia concipiunt ipſi, foventq́, ſed virtutes in ſuas civitates infundunt, nec peccato nocent, ſed exemplo proſunt.* Etenim licet videre ſi replicemus memoriam temporum, qvalescunqve magni reges fuerunt, tales nimi-

rum

rum & ſubditos fuiſſe: qvæqve mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſemper ſecutam. Porrò autem ſicut fruges bonitate ſoli, cœliqve temperatione exuberant, haud ſecius bonæ artes ex benignitate principum efflorefcunt, & honore præclara ingenia incenduntur ad diſcendum. Qvidnam fuiſſe cauſæ putemus, cur regnante apud Græcos Alexandro; apud Romanos Auguſto, tantus numerus præſtantium hominum extitit? niſi qvòd delectabantur hi principes optimis qvibusqve rebus & in expendendis hominum ingeniis atqve operibus judicio valebant, & virtutem meritis honoribus, præmiis atq; ſplendore decorabant. Qvid in liberis qvibusdam civitatibus eloqventiæ ſtudia olim tantopere viguerunt? niſi qvod is certiſſimus erat gradus ad Rempubl. aditus ad honores, aſcenſus ad magiſtratus & potentiam. Qvid poſtea artes eædem in Græcia ſunt extinctæ, in qva & natæ, & altæ, & ad ſummum perductæ intra mille annos fuerant? Qvid Romæ ceſſerunt, totaqve Italia? Qvid exulatum ad Arabes diſceſſerunt? Qvid tam multis annis inſcitia graſſante intermortuæ jacuerunt? An aliunde id factum, niſi ex ſordibus, moroſitate, invidia illorum, qvi civitatibus, & ampliſſimis regnis, atq; imperiis præfuerunt? Itaqve ſicut longo ævi ſitu, longiqve temporis exercitatione fatigata & effœta humus, conſeneſcere nonnullis videtur in locis, nec jam fruges mortalibus priſtina benignitate præbet, ſed noxias herbas fundit & vitæ inimicas: Sic mundi converſione,

& qva-

& qvadam rerum ſerie ſæpenumero accidit, ut natura ipſa oblita materni officii, tanqvam ſuperioris ævi fœcunditate exhauſta; in perniciem humani generis, peſtiferos qvosdam homines, & ſceleratos principes proferat: qvi furore & amentia præcipites, divina & humana cuncta pervertant: qvi res præclaras â prioribus vel inventas vel uſurpatas, non modò negligant, (qvod eſſet ferendum) ſed etiam labefactent, & funditus delere conentur. Qvalis fuit C. Caligula, qvi Homeri carmina abolere, qvi Virgilii & T. Livii ſcripta ex omnibus biblothecis amovere, qvi jus civile Romanorum delere tentavit. Qvalis Domitianus, qvi omnes ſapientiæ profeſſores urbe Italiaq; ſummovit. Qvalis Licinius Imperator, qvi literas virus & peſtem publicam appellabat, ne commemorem Cambyſas, Nerones, Valentinianos, Phalaridas, Dionyſios, ...is terrarum peſte natos. Qvænam ſentina teterrimorum ſive ducum, ſive Regum ſcatuit Gothorum, Alanorum, Vandalorum, Svevorum, Turulorum, Hunnorum, Longobardorum, Sarracenorum, & Turcarum tempeſtatibus? Qvi cum eſſent feri, immanes, ab omni cultu ingenii alieni, & qvicqvid non intelligerent aut ſuſpectum haberent, aut damnarent: primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt, exuſſerunt magnorum ingeniorum opera, ſimul irriſerunt lingvas & ſtudia omnia, nec ſolum illis prætium detraxerunt, ſed contumeliam addiderunt: ſeu qvòd nollent in victis plus qvenqvam ſapere qvàm victorem: ſeu qvod

ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atqve enervari opinarentur, ac minus bello idoneos reddi, cui omnia tribuebant. Igitur gratia habenda superis, & naturæ, qvæ ex superiorum temporum caligine tandem aliqvando recreata, excellentes qvosdam Reges nostra ætate protulit ac principes in compendium humanæ societatis, qvi disciplinas jacentes extollerent, studia discentium foverent & excitarent, qvos tanto Rex Franciscus gloria vicit, qvanto omnibus imperii magnitudine præstat. Non est humano consilio, nec mediocri qvidem DEI Opt. Max. cura illud perfectum. Qvi mihi videtur aliqvando oculos aperuisse ad instaurandas iterum literas ac renovandas, simul mentem injecisse qvibusdam principibus, ut illas tuendas ornandasqve susciperent, ut bibliothecas extruerent, ut selectos in omni varietate doctrinæ libros, qvos superiorum temporum injuria nobis salvos reliqvit, è Græciæ ruinis, è faucibus Barbariæ, ex incendiis bellorum eriperent, & in usum communem descriptos publice omnibus proponerent legendos. Qvandoqvidem non solum ea qvæ densissimis ignorantiæ tenebris obducebantur, in lucem velut ab inferis revocata sunt, sed qvæ veteribus fuerant penitus abstrusa, nova maria, novæ terræ, ac species hominum, viæ cœli pelagiqve nunqvam antea ne fando qvidem auditæ, nova sidera patefacta nobis, multæ artes repertæ priscis incognitæ seculis, religio in pristinam vindicata dignitatem. Magna ergo Francisci Regis gloria, in cujus prin-

principatum bonæ literæ incurrerunt, sub qvo principe tantus honos habitus eximiis studiis, hominibusqve doctis: ut nunc primum qvasi reviviscentis rei literariæ speciem aliqvam videre videamur. (z) Nec verò debetur laus parva Budæo: qvi primus bonarum artium incunabula in aulam intulit, ac scriptis Galliam illustravit suis: nostramqve locupletavit ætatem, qvi elegantiores literas propagare consilio, studio, gratia, labore connixus est: qvi earum dignitatem non minus charam habuit, qvàm propriam, ab omniqve injuria prohibuit, protexit, defendit. Deniq; nihil prætermisit, qvo florerent magis in patria, ac ne longiorem qvidem vitam optavit, qvàm ut tam præclaro operi à Rege inchoato fastigium impositum videret. Cæterum cum inter eos qvi tum in regia versabantur, òpinione virtutis, commendatione doctrinæ, magnam cum gratiam, tum authoritatem apud omnes ordines adeptus esset, nonnulli qvorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris ac sordibus, tantum ejus splendorem nec intueri nec sustinere potuerunt: & regis animum ab eo clandestinis insidiis alienare tentarunt. Qvod ipse animadvertens, licet non dubitaret de humanitate regia, tamen declinans hominum offensiones, de aula sese subduxit, & eo magis qvòd sibi parum cum *Antonio Prato* conveniebat. Causam dissensionis non commemorabo, ne

(z) *Hinc literarum natalem restaurativum in id tempus in Francia incurrisse scribit Bud. in* Præfat. ad libr. de Philolog.

ne videar illis temporibus notam inurere. Nec ibi postea visus, nisi necessitate muneris obeundi cogeretur, cujus præcipua functio erat in prætorio regio. Postcaqvam verò *Gulielmus Poietus* vir singulari & præstantissima virtute Galliarum νομοφύλαξ à Rege creatus est (Cancellarium nostri vocant) nihil tam conveniens suæ dignitati putavit, qvàm Budæum secum habere velut aliqvem in consiliis capiendis Nestorem. Itaqve eum nunqvam à se dimittere, secum qvocunque proficisceretur deducere, observare, ferre in oculis, colere, toto animo de illo ac de ejus ornamentis & commodis cogitare. Qvo studio in se perspecto, homo jam devexæ ætatis & affectæ, resorberi se aulicis fluctibus sivit. Proinde cum in summis Júlii mensis ardoribus, qvi tanti eo anno fuerunt, qvanti maximi post hominum memoriam: rex vitandi æstus causa in maritimam oram Normaniæ concessisset, & Budæus Poietum secutus, alienissimo tempore eodem contendisset, paulo post vel cœli injuria, vel magnitudine caloris, qvo tum omnia torrebantur, vel imbellicitate ingravescentis ætatis, in gravem & assiduam febrem incidit, ex qva postea non convaluit. Cum multa in spem salutis medici dicerent & pollicerentur, nunqvam persvadere potuerunt, qvin is morbus finem vitæ esset allaturus. Qvamobrem peregrè agens, domum se referri nihilominus jussit, ut in patria, conspectuvqe suorum moreretur, id qvod paulo post evenit. Nam accrescente in dies dolore confectus, peractis omnibus qvæ rite decedentibus

cedentibus adhiberi ſolent, ſacris, integra etiamnum mente, cæterisqve ſenſibus, ſine ulla vi tranqvillè placideqve deceſſit, vir immortalitate digniſſimus. Poſteaqvam de ejus obitu regi renunciatum eſt, graviter doluit interitu tanti viri dignitatem Gallici nominis imminutam. Poietus autem ὁ νομοφύλαξ non potuit non vehementer commoveri, tali amico orbatus, qvalem Gallia nunqvam tulit, & ut verè judicabat, vix parem ſit habitura. Multas hic ſignificationes nec exiguas dedit, qvàm moleſtè ferret ſe hominis eruditiſſimi jucunda conſvetudine, admirabili ſapientia, tum multorum officiorum conjunctione in perpetuum privari. Incredibile porro eſt dictu qvantus mœror bonorum omnium, & qvæ publica lamentatio ejus funus ſit proſecuta. Omnes docti memoriam mortuo, qvam par erat principi doctrinæ, humaniter ac piè præſtiterunt. Cum ſummis totius corporis doloribus oppreſſus dubia ſpe vitæ ſpiritum duceret, mortem aliqvantum videbatur horrere, & reformidare, nòn vitæ deſiderio, ſatis enim naturæ, ſatis gloriæ vel fortaſſe nimium diu ſe vixiſſe prædicabat: at ſuis certe pàrum, qvorum fortunas cum liceret amplificare, neglexerat. Hic dolor hominem præcipuè tangebat, hæc cura ſollicitabat. Reliqvit autem liberos numero undecim: filios ſeptem, omni liberali ingenuaqve doctrina apprimè inſtitutos, & qvatuor filias: uxore ſuperſtite, fæmina ſummæ tum prudentiæ, tum pietatis: ex qvâ hos omnes liberos ſuſtulit. Elatus eſt noctu, ut

ipſe anno anteqvam moreretur teſtamento præſcripſerat, ſine ulla pompa funeris, præeunte unico lumine, comitantibus doctis plurimis, & viris primariis ejus urbis, vulgi maximo concurſu. Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno: X. Calend. Septemb. Anno ſalutis generis humani M.D.XL. atqve Lutetiæ Pariſiorum in D. Nicolai, qvi campeſtes dicitur, qvemadmodum juſſerat, ſepultus.

PAULUS JOVIUS
in elogiis clarorum virorum.

NUlli mortalium ætate noſtra perpetuis lucubrationibus aſpirante Fortuna, cum Græcæ, tum Latinæ eruditionis majores opes contigerunt, qvàm Gulielmo Budæo, non Galliæ modò, ſed totius etiam Europæ longè doctiſſimo. Natus Lutetiæ, præcellentium diſciplinarum celebri domicilio, dum perennem ſpectaret laudem, & rei familiaris fortunas, honoresqve ingenio ſuo, & ſperata gloria viliores arbitraretur, ſexaginta amplius ætatis annos in ſtudiis conſumpſit, ita, ut ſummæ eruditionis libro de Aſſe, alteroqve in Pandectas edito, ac infinita demum lectione confectis Commentariis, qvibus

Græcæ & Latinæ facultatis ornamenta comparantur, nulli comunicata laude, æqvales omnes doctrinæ auctoritate superavit. Sed qvi in memoriæ thesauris tantas divitias miro digestas ordine continebat, veluti occupatus in apparatu, candidioris eloqventiæ cultum neglexisse existimatur. Id enim in toto studiorum negotio longè gravissimum, nemo, nisi irrita spe, senectuti unqvam reservavit. Adaugebant nominis famam in perspicuo animo sanctissimi mores, qvibus aliqvanto uberiora rei familiaris incrementa, qvam pertinaci diligentia, vel honoris ambitione, educatis feliciter liberis reliqvit, qvum Rex Franciscus, subita liberalitate inclytus, optimi viri otium foveret, & ipse supplicibus libellis præpositus, honestissimo proventu ditaretur. Septuagesimum tertium agentem annum oppressit febris longinqvo & æstuoso ad Armoricum oceanum itinere concepta. Pie autem tranqvilleqve vita excedens, condito testamento, omnes honores funeris & tumuli penitus abdicavit, ita ut, qvum numerosa proles eum lugeret, noctu tumularetur. Fato functus est non multò post celebres illos hospitales triumphos, qvum Cæsar ab Hispania per mediam Galliam in Belgas profectus, gentem bello fessam, festa passim hilaritate in spem pacis erexisset.

SALMONIUS MACRINUS.

BUdæus voluit media de nocte sepulchro
Inferri, & nullas prorsus adesse faces;
Non factum ratione caret; clarissima qvando
Ipse sibi lampas, luxq; corusca fuit.

JANUS VITALIS.

QVi sanctum simul, & simul disertum
Exqviris sapientiæ magistrum,
Ultra qvid petis? hic jacet Budæus.

NICOLAUS BORBONIUS.

SI fas flere Deos esset mortalia fata,
Budæum fleret Dia Minerva suum.
Flerent & Grajæ pariter Latiæq; camœnæ,
Fleret & abjecta pulcher Apollo lyra.
Gallia tu fleres, tu magna Lutetia tali
Fleres orba viro deliciisqve tuis.
Fleret doctorum toto chorus omnis in orbe,
Nostra suum flerent secla jacere decus.

SCRI-

SCRIPTA BUDÆI.

Opera ejus conjunctim Tom. IV. prodiere *Basileæ apud Nicol. Episcopium Jun. Anno 1557. fol.* cum Præfat. Cœlii Secundi Curionis ad Joh. Fichardum JC.

Continentur autem

Tom. I.

De Studio literarum recte & commode Instituendo lib. un. ad Francisc. Gall. Regem.

De Philologia libri 2. ad Henricum Aurelianensem & Carolum Angolismensem Francisc. Regis filios. ed. *Basil. 1533.*

De Contemtu Rerum fortuitarum libri 3. ad Draconem Budæum fratrem, Præf. scriniis Regis sanctioribus. edit. *Paris. 1520.* & *1526.* in 4. ap. *Ascensium*, it. *Argentorati 1529. Lugd. Batav. 1624.* in 16.

De Transitu Hellenismi ad Christianismum libri 3. ad Francisc. R. ed. *Paris. 1535.* ap. *Robert. Stephanum*, & ibid. *1556. fol.*

Epistolarum Latinarum libri 5. & Græcarum liber unus. Excus. *Paris.* ap. *Ascens. 1521.* & *Cratandrum Basil. 1528. cum annotat. Jac. Tusani.* Epistolæ Græcæ separatim prodiere *Paris. 1550.* in 4. & Latinæ factæ ab *Anton. Pichonio ibid. 1574.* in 4.

His cohærent, qvæ ab ipso conversa sunt ex Græca lingva in latinam.

AUGUSTINI
VITA.

Oratione Funebri

HOTTI, Antverp. [a]

tus domo nobili *Augusti-*
num (b) & excellentibus viris
gerenda Republ. claris, *Caesar-*
gustae, Celtiberorum urbi cele-
, & copiosa; nunc etiam stu-
ingeniisqve affluente. (c)
Augustino Procancellario Arra-
umqꝫ regnorum. (d) Qvae
digni-

tionem Schottus Laevino Tor-
Antverpiensi olim doctissimo, cujus
Svetonium commentarij, numi-
erti, Thuan. Histor. libr. 84.
amd. Bibliothec. Hispan. inseruit
II. p. 307.
II.

gnorum Arragonum sigillatim
. Ant. Frances de Vrrutigoti
d. l. constat Patrem hunc Au-
rdinibus Repetundarum olim
ro tum Rege Bruxellis sole-
e.
lomaeo & Straboni *Au-*
gusta

gusta Cæsarea, Hispanis Saragoza, *Hispaniæ Citerioris seu Tarraconensis urbs inclyta, Colonia immunis* Augusti, *ad Iberi amnis ripam eo loco fundata, qvo* Salduba *oppidum antea situm, interq; septem conventus, in qvos provincia illa olim dividebatur, numerata* Plinio Histor. Natural. lib. 3. c. 3. *vid.* Ant. Augustin. de antiqvitat. Roman. Dial. 1. 6. & 7. *qvo ultimo loco Cæsaraugustanorum nummorum qvoq; meminit, qvorum una pars faciem Augusti impressam habebat, aversa jugum boum cum seqventi colono & inscript. CÆSARAUGUSTA, scil. ut Coloniam esse demonstret, qvæ juncto bove & vacca incboari solebant.* Varro lib. 4. de Lingv. Lat. Sigon. de antiqv. Jur. civ. Roman. c. 2. *Sedes olim Arragoniæ Regum, atq; Episcopatu insuper celebris fuit, qvem suffraganeum qvondam Tarraconensi Archiepiscopo, ex Notitia Episcopatuum à* Miræo *edita, patescit, posteà Archiepiscopali dignitate auxit Ao. 1316. Johann. XXII. P. M. teste laudato* Miræo de Stat. Relig. Christ. lib. 1. c 17. *eum in sacris hodie agnoscunt Oscensis, Balbastrensis, Jacentanus, Turiasonensis, Terulensis & Albarracinensis,* Marian. l. 6. Annal. c. 15. & 16. *Academiam ab Hadriano VI. P. M. & Carolo V. confirmatam, instauratam denuo Ao. 1584. sed; eloqventiæ, lingvæ Græcæ, Historiæq; docendæ causa, eò evocatum, testis est* Schottus noster in Biblioth. Hispan. T. I. c. 2. *De Episcopis conciliisq; Cæsaraugustanis, videri poterit eruditissima* Anton. Augustini Epistola ad Hieron. Blancam.

digni-

ANT. AUGUSTINI VITA.

Ex Oratione Funebri

ANDR. SCHOTTI, Antverp. [*a*]



Atus domo nobili *Augustinorum* (*b*) & excellentibus viris in gerenda Republ. claris, *Cæsaraugustæ*, Celtiberorum urbi celebri, & copiosa; nunc etiam studiis ingeniisqve affluente. (*c*) Patre ad hæc *Ant. Augustino* Procancellario Arragoniæ, finitimorumq; regnorum. (*d*) Quæ digni-

(*a*) *Inscripsit hanc orationem Schottus* Lævino Torrentio, *Episcopo Antverpiensi olim doctissimo, cujus extant præclari in Svetonium commentarij, numismatis plurimis referti*, Thuan. Histor. libr. 84. ad An. 1586. *eamq; Bibliothec. Hispan. inseruit* Tom. II. Class. VII. p. 307.

(*b*) *An. Chr.* CIↃ IↃXVII.

(*c*) *De Cancellariis Regnorum Arragonum sigillatim scripsisse fertur* Did. Ant. Frances de Vrrutigoti *cæterum ex Thuano d. l. constat Patrem hunc Augustini nostri à Regni ordinibus Repetundarum olim postulatum, à Carolo vero tum Rege Bruxellis solemni judicio absolutum esse.*

(*d*) *Cæsaraugusta, qvæ* Ptolomæo & Straboni *Augusta*

gusta Cæsarea, *Hispanis* Saragoza, *Hispania Citerioris seu Tarraconensis urbs inclyta, Colonia immunis* Augusti, *ad Iberi amnis ripam eo loco fundata, qvo* Salduba *oppidum antea situm, interq; septem conventus, in qvos provincia illa olim dividebatur, numerata* Plinio Histor. Natural. lib. 3. c. 3. *vid.* Ant. Augustin. de antiqvitat. Roman. Dial. 1. 6. & 7. *qvo ultimo loco Cæsaraugustanorum nummorum qvoq; meminit, qvorum una pars faciem Augusti impressam habebat, aversa jugum boum cum seqventi colono & inscript. CÆSARAUGUSTA, scil. ut Coloniam esse demonstret, qvæ juncto bove & vacca incboari solebant.* Varro lib. 4. de Lingv. Lat. Sigon. de antiqv. Jur. civ. Roman. c. 2. *Sedes olim Arragoniæ Regum, atq; Episcopatu insuper celebris fuit, qvem suffraganeum qvondam Tarraconensi Archiepiscopo, ex Notitia Episcopatuum à* Miræo *edita, patescit, posteà Archiepiscopali dignitate auxit Ao. 1316. Johann. XXII. P. M. teste laudato* Miræo de Stat. Relig. Christ. lib. 1. c 17. *eumin sacris hodie agnoscunt Oscensis, Balbastrensis, Jacentanus, Turiasonensis, Terulensis & Albarracinensis,* Marian. l. 6. Annal. c. 15. & 16. *Academiam ab Hadriano VI. P. M. & Carolo V. confirmatam, instauratam denuo Ao. 1584. sed; eloqventiæ, lingvæ Græca, Historiaq; docendæ causa, eò evocatum, testis est* Schottus noster in Biblioth. Hispan. T. I. c. 2. *De Episcopis conciliisq; Cæsaraugustanis, videri poterit eruditissima* Anton. Augustini Epistola ad Hieron. Blancam.

digni-

dignitas hodie apud Reges ſecundas tenet: Auguſtorum qvoqve Romanorum temporibus, ut ex Annalium memoria, & Carini Imp. vita obſervare memini, plena in adminiſtrandis rebus publicis, & honoris & auctoritatis *Cancellarij* poteſtas perpetuo fuit. (*e*) Vixdum ex ephebis

(*e*) *Fallitur autem Vir doctiſſimus, ſic ex* Vopiſco in vit. Carini *probari poſſe credit, Carini Imp. tempore Cancellarij officium tanti fuiſſe, cum illa ætate atq; adeo ſub priſcis Imperatoribus, non modo mediocris, verum omnino nulla fuerit Cancellariorum dignitas. Verba Vopiſci hæc ſunt:* Amicos optimos qvosqve relegavit. Peſſimum qvemqve elegit aut tenuit. Præfectum Urbi unum ex Cancellariis ſuis fecit: qvo fœdius nec cogitari potuit aliqvando, nec dici. *Nempe qvia ſumma tum Præfectura Urbanæ & Prætorianæ ſimilis erat dignitas, Cancellariorum autem nulla penitus, ſed miniſterij tantum genus in Palatiis Principum & ædibus Poteſtate aliqva præditorum. Certos enim Cancellarios Præfect. Urbi ipſe in Poteſtate habebat, argument. edicti Turci Aproniani P. U. qvod integrum extat ap.* Hottomann. in Comm. verb. Jur. voc. Cancellarius. *Vid. inclyta Criticorum ſeculi noſtri lumina* Iſ. Cauſabonum & Cl. Salmaſium in Not. ad Vopiſcum d. l. *add.* Jac. Gothofr. ad l. 3. C. Th. de Aſſeſſor. Domeſt. & Cancellar. *Nam licet JC. ſummus* Fr. Hottomannus in d. Commentar. *hunc Vopiſci locum emendandum, & pro* Cancellariis

lariis, Ancillariis, *lenocinij & libidinis ministros, qvi apud Carinum tum in pretio erant, intelligens, legendum putet, attamen cum ejusmodi emendationes contra receptam & hactenus usitatam lectionem non facile admittendæ sint, qvemadmodum ad Cujacij vitam latius demonstrabitur, nullumq; præterea Criticorum hic consentientem habeat Hottomannus, temere lectio antiqva non mutanda. Occurit qvidem vox hæc* Ancillariorum *ap. Trebell. Pollionem in Vita D.Claudij, ubi Gallus Antipater Ancillariorum & Historicorum dehonestamentum dicitur, sed ex antiqvissimis Cadicibus mscr. ibi legendum* Ancilla honorum, *i.e. adulator & assentator summarum potestatum, (non autem uti* Scip. Gentilis in Comm. ad Apuleji Apolog. n.66. *Ancillaris adulator) erudite docent triumviri illi Reipubl. literariæ illustrissimi,* Casaubonus, Salmasius & Gruterus in not. ad d.l. Pollionis. *Neq; hic audiendi sunt, qvi, qvod* Kirchnerus in Morvillerio lib. 1. cap. 2. n. 19. seq. *animi saltem causa faciebat, ex vetusti exemplaris in vita Heliogabali Charactere,* Concellarios *pro Cancellariis serio legunt. Sed ut ad locum Vopisci redeamus mate & illum à* Theodor. Marcilio c. 6. Vitæ Titi Svetonian. *intellectum & interpretatum esse, inde patet, dum Præfectum Prætorio ibi pro Præfecto Urbi inconsiderate reponit, & non hoc indicare Vopiscum vult, fœdum ex Cancellario fieri Præfect. Prætorio, sed Cancellarium illum talem fuisse, ut fœdior nemo aut cogitari potuerit, aut dici, qvod verbis authoris non congruit, testanturq; præterea* Jac. Gothofred. d. l.

& Ca-

& Casaubonus ad Vobiscum, *qui ejusce interpretationes mirum in modum, merito tamen, perstringit, ipsumq; , suppresso licet nomine, Pantosophomastigem Magistellum, suo judicio doctissimum atq; scabie & infinita alios reprehendendi libidine inter omnes mortalium maxime infectũ, nominat. Fuisse autem Cancellarios prisco avo nihil aliud quã* ὑπηρέτας *&* *ministros* τῆς ἀρχῆς, *qui admissiones curarent, turbam submoverent, neve qvid in ea tumultus audiretur, prospicerent, prohiberentque ne promiscue cuivis volenti ingredi in Consistorium Principis, aut Secretarium judicis, liberum esset, atq; ita simillimum munus cum iis habuisse, qvi hodie apud Gallos* Huissiers *sive* Ostiarii *dicuntur; qvod uti re ita & nomine conveniant, cum hi ab Ostio, illi à Cancellis, qui pro ostio erant nomen acceperint, ex Casaubono, Salmasio & Gothofredo citt. locc. discimus. Constans enim est eruditorum sententia, non à cancellando, sive actis cancellatim lineis perducendo, sed à* Cancellis, *ad qvos agere & herere dicuntur, qviq; apud Cassiodorum lucidæ fores, claustra patentia, fenestrata janua, appellantur, erantq; ex opinione Salmasii, fores cancellatæ & translucidæ ex lignis reticulatim compositis textæ, nominatos esse Cancellarios.* Petr Pith. 2. Adversar. 12. Pollet. Histor. For. Rom. libr. 5. cap. 12. *Plura eaqve singularia de hisce cancellis forensibus, sepulchrorum item altariumq; , & quatenus illis & limites intelligantur, legi possunt apud* Salmas. in not. doctiss. ad d. l. Vopisc. & Carol. du Fresne in Glossar. Magno voc. Cancelli. *Cæterum uti Secreta Judi-*

Judicum non tantum velis, verum etiam trans vela cancellorum septis muniebantur, ita Consistorij Principum qvoq; fores velis prætendebantur: proxime mag; huic statio Cancellis clausa erat, intraqve velum seu Consistorium ipsum admissi comites & Participes Consilij, Satellites vero intra cancellos & vela substitere, hinc igitur qvemadmodum Vela servantes Velarii Dom. Aug. *ut est in antiqvis inscriptionibus, sic Cancellorum curam agentes Cancellarij dicti sunt* Casaub. Salmas. Gothofr. d. loc. Guther. de Off. Dom. Aug. libr. 3. c. 11. *qvi duo posteriores & illud indicant, extitisse tum inter Velarios tum Cancellarios, qvi reliqvis præemineret, esseta; illorum qvasi* Primicerius & Præpositus, *meminit etiam* Nov. X. Constant. Porphyrogen. edit. *primum à* Labæo, *post inter opera ejusd. Imp.* à Clariss. Meursio, πρωτοκαγκελλαρίȣ. Casaubonus & Kirchner. d. c. 2. num. 11. *non admodum antiqvam nec multò ante Vopisci tempora usurpari cœptam Cancellarij vocem autumat, qvia nec in Digestis mentio ejus habeatur; videtur tamen hæc ratio sine ratione Salmasio, neq; hinc recte argumentum duci, JCtorum antiqvorum ætate Cancellarios fuisse incognitos, præsertim cum Cancellorum velorumq; junctim meminerit* l. 41. §. 8. ff. de Legat. 1. *certumqve sit, munus hoc & ministerium jam antiqvitus in usu notitiâq; fuisse, ideo de nomine, qvin etiam cognitum fuerit, minus dubitandum. Illud insuper præclarè & rectè admodum à Salmasio notatur, confundi sæpius à doctissimis viris, Cancellarios Dom. Aug. & Procerum, qvi tanqvam meri janitores*

Ariſtotelis & Philonis Judæi liber de Mundo ad Jac. Tuſanum, *Baſil. 1533. ap. Walderum.*

Plutarchi liber de Tranqvillitate Animi ad Jul. II. Pontif. Max.

Ejusd. de Fortuna Romanorum liber un. & de Fortuna & virtute Alexandr. M. libri 2. ad Petr. Cothardum Parlamenti Præſidem.

Ejusd. Plutarchi de Placitis Decretisq; Philoſophorum Naturalibus libri 5. ad Germ. Ganejum Parlamentar. Conſiliarium, Beluacenſ. Eccleſ. Decanum.

Baſilii Magni Epiſtola ad Gregorium Nazianzenum de vita in ſolitudine agenda.

Tom. II.

De Aſſe & Partibus ejus libri V. edit. *Pariſ. 1516. & 1524. in fol. ap Jod. Aſcen.* it. *Ao. 1541. 1542. & 1544.* ab Auctore noviſſime recogniti & locupletati ibid. *ap. Robert. Stephan. in fol. 1548.* excuſ. qvoq; *Venet. ap. Aldum 1522. in 8. Coloniæ apud Soterem 1528. in 8.* adjecto etiam Indice & Breviario de Aſſe & partibus ejus, & *Lugduni 1542. & 1550. in 8. ap. Gryphium.*

Tribuit qvoq; Budæo libellum de Moneta Græca ad Gallicam pecuniam æſtimata *Phil. Labbe in Biblioth. Nummar. P. 2.* & lingva vernacula extare ſcribit Libell. ed. *Pariſ. 1529.* Sommaire ou abregé du liure d' Aſſe par M. Guillaume Budé, idem proculdubio cum modo dicto Breviario.

Tom.

Tom. III.

Annotationes in Pandectas Priores & Posteriores edit. *Coloniæ ap. Soterem 1526. in 8. Paris. 1532. ap. Ascens.* & *1536. & 1556. ib. in fol. Basileæ 1534. 8. Lugduni ap. Gryphium 1551. in 8.* & ib. *1567. in 8.*

Forensia, qvibus vulgares & vere Latinæ JCtorum loqvendi formulæ traduntur cum verborum forensium indice. ed. *Paris. ap. Rob. Stephan. 1548. fol.* & *Basil. ap. Episcop. in 8.* sed sine Indice.

Tom. IV.

Commentarii lingvæ Græcæ. ed. *Paris. 1529. fol.* cujus editionis exemplar Budæi manu notatum extitit in Biblioth. Thuan. it. *Basil. 1530. fol. apud Bebelium*, & *Parisiis* postremo ab auctore accurate recogniti & plus tertia parte aucti *ap. Rob. Stephanum 1548. fol.*

ANT.

ANT. AUGUSTINI VITA.

Ex Oratione Funebri

ANDR. SCHOTTI, Antverp. [a]



Atus domo nobili *Augustinorum* (b) & excellentibus viris in gerenda Republ. claris, *Cæsaraugustæ*, Celtiberorum urbi celebri, & copiosa; nunc etiam studiis ingeniisqve affluente. (c) Patre ad hæc *Ant. Augustino* Procancellario Arragoniæ, finitimorumq; regnorum. (d) Qvæ digni-

(a) *Inscripsit hanc orationem Schottus* Lævino Torrentio, *Episcopo Antverpiensi olim doctissimo, cujus extant præclari in Svetonium commentarij, numismatis plurimis referti,* Thuan. Histor. libr. 84. ad An. 1586. *eamq; Bibliothec. Hispan. inseruit* Tom. II. Class. VII. p. 307.

(b) *An. Chr.* cIↄ IↄXVII.

(c) *De Cancellariis Regnorum Arragonum sigillatim scripsisse fertur* Did. Ant. Frances de Vrrutigoti *cæterum ex Thuano d. l. constat Patrem hunc Augustini nostri à Regni ordinibus Repetundarum olim postulatum, à Carolo vero tum Rege Bruxellis solemni judicio absolutum esse.*

(d) *Cæsaraugusta, qva* Ptolomæo & Straboni *Augusta*

gusta Cæsarea, Hispanis Saragoza, *Hispania Citerioris seu Tarraconensis urbs inclyta, Colonia immunis* Augusti, *ad Iberi amnis ripam eo loco fundata, qvo* Salduba *oppidum antea situm, interq; septem conventus, in qvos provincia illa olim dividebatur, numerata* Plinio Histor. Natural. lib. 3. c. 3. *vid.* Ant. Augustin. de antiqvitat. Roman. Dial. 1. 6. & 7. *qvo ultimo loco Cæsaraugustanorum nummorum qvoq; meminit, qvorum una pars faciem Augusti impressam habebat, aversa jugum boum cum seqventi colono & inscripti CÆSARAUGUSTA, scil. ut Coloniam esse demonstret, qvæ juncto bove & vacca incboari solebant.* Varro lib. 4. de Lingv. Lat. Sigon. de antiqv. Jur. civ. Roman. c. 2. *Sedes olim Arragoniæ Regum, atq; Episcopatu insuper celebris fuit, qvem suffraganeum qvondam Tarraconensi Archiepiscopo, ex Notitia Episcopatuum à* Miræo *edita, patescit, posteà Archiepiscopali dignitate auxit Ao. 1316. Johann. XXII. P. M. teste laudato* Miræo de Stat. Relig. Christ. lib. 1. c 17. *eumin sacris hodie agnoscunt Oscensis, Balbastrensis, Jacentanus, Turiasonensis, Terulensis & Albarracinensis,* Marian. l. 6. Annal. c. 15. & 16. *Academiam ab Hadriano VI. P. M. & Carolo V. confirmatam, instauratam denuo Ao. 1584. sed; eloqventiæ, lingvæ Græcæ, Historiæq; docendæ causa, eò evocatum, testis est* Schottus noster in Biblioth. Hispan. T. I. c. 2. *De Episcopis conciliisq; Cæsaraugustanis, videri poterit eruditissima* Anton. Augustini Epistola ad Hieron. Blancam.

dign-

dignitas hodie apud Reges secundas tenet: Augustorum qvoqve Romanorum temporibus, ut ex Annalium memoria, & Carini Imp. vita observare memini, plena in administrandis rebus publicis, & honoris & auctoritatis *Cancellarij* potestas perpetuo fuit. (*e*) Vixdum ex ephebis

(*e*) *Fallitur autem Vir doctissimus, sic ex* Vopisco in vit. Carini *probari posse credit, Carini Imp. tempore Cancellarij officium tanti fuisse, cum illa ætate atq; adeo sub priscis Imperatoribus, non modo mediocris, verum omnino nulla fuerit Cancellariorum dignitas. Verba Vopisci hæc sunt:* Amicos optimos qvosqve relegavit. Pessimum qvemqve elegit aut tenuit. Præfectum Urbi unum ex Cancellariis suis fecit: qvo fœdius nec cogitari potuit aliqvando, nec dici. *Nempe qvia summa tum Præfecturæ Urbanæ & Prætorianæ similis erat dignitas, Cancellariorum autem nulla penitus, sed ministerij tantum genus in Palatiis Principum & ædibus Potestate aliqva præditorum. Certos enim Cancellarios Præfect. Urbi ipse in Potestate habebat, argument. edicti Turci Aproniani P. U. qvod integrum extat ap.* Hottomann. in Comm. verb. Jur. voc. Cancellarius. *Vid. inclyta Criticorum seculi nostri lumina* Js. Causabonum & Cl. Salmasium in Not. ad Vopiscum d. l. *add.* Jac. Gothofr. ad l. 3. C. Th. de Assessor. Domest. & Cancellar. *Nam licet JC. summus* Fr. Hottomannus in d. Commentar. *hunc Vopisci locum emendandum, & pro* Cancellariis

lariis, Ancillariis, *lenocinij & libidinis ministros, qvi apud Carinum tum in pretio erant, intelligens, legendum putet, attamen cum ejusmodi emendationes contra receptam & hactenus usitatam lectionem non facile admittendæ sint, qvemadmodum ad Cujacij vitam latius demonstrabitur, nullumq; præterea Criticorum hic consentientem habeat Hottomannus, temere lectio antiqva non mutanda. Occurit qvidem vox hæc* Ancillariorum *ap. Trebell. Pollionem in Vita D. Claudij, ubi Gallus Antipater Ancillariorum & Historicorum dehonestamentum dicitur, sed ex antiqvissimis Cadicibus mscr. ibi legendum* Ancilla honorum, *i.e. adulator & assentator summarum potestatum, (non autem uti* Scip. Gentilis in Comm. ad Apuleji Apolog. n. 66. *Ancillaris adulator) erudite docent triumviri illi Reipubl. literariæ illustrissimi,* Casaubonus, Salmasius & Gruterus in not. ad d. l. Pollionis. *Neq; hic audiendi sunt, qvi, qvod* Kirchnerus in Morvillerio lib. 1. cap. 2. n. 19. seq. *animi saltem causa faciebat, ex vetusti exemplaris in vita Heliogabali Charactere,* Concellarios *pro Cancellariis serio legunt. Sed ut ad locum Vopisci redeamus mate & illum à* Theodor. Marcilio c. 6. Vitæ Titi Svetonian. *intellectum & interpretatum esse, inde patet, dum Præfectum Prætorio ibi pro Præfecto Urbi inconsiderate reponit, & non hoc indicare Vopiscum vult, fœdum ex Cancellario fieri Præfect. Prætorio, sed Cancellarium illum talem fuisse, ut fœdior nemo aut cogitari potuerit, aut dici, qvod verbis authoris non congruit, testanturq; præterea* Jac. Gothofred. d. l.

& Ca-

& Casaubonus ad Vobiscum, *qui ejusce interpretationes mirum in modum, merito tamen, perstringit, ipsumq; supresso licet nomine, Pantosophomastigem Magistellum, suo judicio doctissimum atq; scabie & infinita alios reprehendendi libidine inter omnes mortalium maxime infectū, nominat. Fuisse autem Cancellarios prisco ævo nihil aliud quā* ὑπηρέτας *& ministros* τῆς ἀρχῆς, *qui admissiones curarent, turbam submoverent, neve quid in ea tumultus audiretur, prospicerent, prohiberentque ne promiscue cuivis volenti ingredi in Consistorium Principis, aut Secretarium judicis, liberum esset, atq; ita simillimum munus cum his habuisse, qui hodie apud Gallos* Huissiers *sive* Ostiarii *dicuntur, quod uti re ita & nomine conveniant, cum hi ab Ostio, illi à Cancellis, qui pro ostio erant nomen acceperint, ex Casaubono, Salmasio & Gothofredo citt. locc. discimus. Constans enim est eruditorum sententia, non à cancellando, sive actis cancellatim lineis perducendo, sed à* Cancellis, *ad quos agere & hærere dicuntur, quiq; apud Cassiodorum lucidæ fores, claustra patentia, fenestratæ januæ, appellantur, erantq; ex opinione Salmasii, fores cancellatæ & translucidæ ex lignis reticulatim compositis textæ, nominatos esse Cancellarios,* Petr Pith. 2. Adversar. 12. Pollet. Histor. For. Rom. libr. 5. cap. 12. *Plura eaque singularia de hisce cancellis forensibus, sepulchrorum item altariumq;, & quatenus illis & limites intelligantur, legi possunt apud* Salmas. in not. doctiss. ad d. l. Vopisc. & Carol. du Fresne in Glossar. Magno voc. Cancelli. *Cæterum uti Secreta Judi-*

Judicum non tantum velis, verum etiam trans ve la cancellorum septis muniebantur, ita Consistorij Principum qvoq; fores velis prætendebantur: proximaq; huic statio Cancellis clausa erat, intraqve velum seu Consistorium ipsum admissi comites & Participes Consilij, Satellites vero intra cancellos & vela subsistere, hinc igitur qvemadmodum Vela servantes Velarii Dom. Aug. *ut est in antiqvis inscriptionibus, sic Cancellorum curam agentes Cancellarij dicti sunt* Casaub. Salmas. Gothofr. d. loc. Guther. de Off. Dom. Aug. libr. 3. c. 11. *qvi duo posteriores & illud indicant, extitisse tum inter Velarios tum Cancellarios, qvi reliqvis præemineret, essetq; illorum qvasi* Primicerius & Præpositus, *meminit etiam* Nov. X. Constant. Porphyrogen. edit. *primum à* Labæo, *post inter opera ejusd. Imp.* à Clariss. Meursio, πρωτοκαγκελλαρίου. Casaubonus & Kirchner. d. c. 2. num. 11. *non admodum antiqvam nec multò ante Vopisci tempora usurpari cœptam Cancellarij vocem autumat, qvia nec in Digestis mentio ejus habeatur; videtur tamen hæc ratio sine ratione Salmasio, neq; hinc rectè argumentum duci, JCtorum antiqvorum ætate Cancellarios fuisse incognitos, præsertim cum Cancellorum velorumq; junctim meminerit* l. 41. §. 8. ff. de Legat. 1. *certumqve fit, manus hoc & ministerium jam antiqvitus in usu notitiâq; fuisse, ideò de nomine, qvin etiam cognitum fuerit, minus dubitandum. Illud insuper præclarè & rectè admodum à Salmasio notatur, confundi sæpius à doctissimis viris, Cancellarios Dom. Aug. & Procerum, qvi tanqvam meri janitores*

tores & ostiarij pro foribus cancellatis stabant admissiones curantes, cum Cancellariis Judicum, qvi præter officium admissionis totius Secreti Judicialis, (qvod juxta Ammian. Marcellinum & Cassiodorum locus erat cancellorum septis clausus, in qvo Judices causas examinant, & earum merita expendunt, & alibi etiam Secretarium appellabatur,) curam intra Cancellos gerebant, expediendis Judicum sententiis, jussis, edictis, & epistolis dictandis signandisq;, relationibus itidem formandis operam dantes & responsis portandis, atq; idem officium obtinebant, qvod apud Principes Tribuni olim & Notarij. Cujac. in Paratitl. *ad* Cod. de Assessor. Domestic. & Cancellar. Dion. Gothofred ad l. 8. C. eod. Guther. d. O.D. A. libr. 2. cap. 9. in fin. *ut proinde* Pithœus c.l. *non dubitet Secretarios dicere qvi Cancellarij vocabantur.* Jac. *qvidem* Gothofredus ad d. l.3. C. Th. *Cancellarios judicum qvoq; modò pro nudis ostiariis habet, eosq; neq; epistolas, neq; libellos, neq; admissiones tractasse, tum ex* l. 1. C. de off. Præf. Præt. Afr. *tum ex* Notitia Imperii, *ubi sub Dispositione Viri Illustris Magistri Officiorum (scil. Occidentis) Scholas Agentium in rebus, Scrinium Memoriæ, Scrinium Dispositionis, Scrinium Epistolarum, Scrinium Libellorum, Admissiones, Cancellarij, fuisse dicuntur, probare cupit. Sed liceat nobis hac in parte ab elegantioris Jurisprudentiæ aliàs Principe dissentire, ac Salmasium Cujaciumq; seqvi, partim qvia d.* L. § 8. C. d. Off. P. P. Afr. *plane non adversatur huic sententiæ, partim qvod locus in Notitia Imperij proculdubio intelligendus sit de Can-*

Cancellariis Dom. Aug. cùm certum sit totius Palatij Curam & disciplinam propriè ad Magistrum Officiorum pertinuisse, omnesq; scholarum Ordines & Officia Palatij rexisse. Guther. de O. D. A. lib. 2. cap. 20. *Atq; hinc forsan qvodammodo excusari posset ab ineptudine Hottomannus à Gothofredo eo nomine reprehensus, cum c.l. Cancellarium per Actuarium explicat, si nim. intelligas Cancellarium Judicum, respectu habito ad nostrum judiciorum morem. Sunt tamen & inter eos* Pithœus & Polletus, *& præcipuè* Casaubonus, *qvi Cassiodori ævo auctum aliqvantum Cancellariorum munus, illisq; aliqvid dignitatis accessisse, atq; idem muneris administrasse, qvod hodie solent qvi à Secretis nominantur, & supplicorum libellorum magistri, existiment, idq; ex ipso* Cassiodori lib. 2. Var. 1. & 3. *ac formula Cancellariatus,* ap. eund. lib. 11. *Qvod licet Salmasius non permittat Cassiodorumq; de Judicum Cancellariis ibi loqvi credat, negari tamen non poterit successu temporis & media præsertim ætate advaria tractum Cancellarij nomen, eoq; modò scribam, modò antigrapheum denotari; sic ex Legibus Ripuariis Longobardicis & Capitularis Karoli M. constat Notariorum vices obiisse & eos fuisse, qvi testamenta & Acta ac Chartas publicas privatasq; conscriberent, essentq; instar eorum, qvi olim in scriniis memoriæ, epistolarum & libellorum peragendis signandisq; Responsis Principum militabant, qviq; Notarij secretorum dicebantur. vid.* Salmas. d. l. Car. du Fresne in Glossar. voc. Cancellar. *Apud Imper. Græcos qvoq; in apertione testamentorum*

rum serviisse καγκελλαρίους *patescit ex* cit. Nov. Constantin. *in qva tamen non secus ac in* Nov. Heraclii de Numero Clericorum Sanctiss. Eccles. Major. Constantinop. & S.Deiparæ qvæ in Blacheriis colitur *subjuncta* Paratitlis Græcis à Leunclavio *editis* pag. m. 168. ἀπὸ τῶν Νοταρίων *sejunguntur, ipsisqve anteponuntur. Tandem etiam Summus Secreti Magister in Aulis Regiis Cancellarij nomine insigniri cœpit, qvi apud Græcos primum* παρέδρος, *post etiam* λογοθέτης, *qvo nomine* Nicetas l. 7. de Gestis Man. Comn. *Moguntinum Cancellarium Frider. I. nominat, & aliis omnib. excellens* μέγας λογοθέτης τῶν σεκρέτων *dicebatur,* Pith. *Esse autem Cancellarios eos ipsos, qvi olim Sacri Palatij Qvæstores, qvibus legum dictandarum nomine Principis & Rescriptorum ad preces supplicum jus erat, rectè* Cujac. ad tit. C. de Petit. bon. sublat. & l. 4 C. de Collat. donator. *&c.* Pith. d. l. Panciroll. Thesaur. Var. Lect. lib. 1. cap. 4. Pollet. Histor. For. Rom. lib. 1. cap 4. Jac. Gothofr. ad L. 8. C. Th. de Jure Fisci. *statuunt, ac frustra à Marcilio idcircò suggillari JCtorum Principem Cujacium in comparatione Qvæstoris Palatij cum moderno Cancellario, non dignitates, sed muneris utriusq; officia ac partes spectantem, more suo i. e. doctè ostendit* Casaubonus c. l. *Cæterum apud Imperatores Germanicos & Francorum Reges non exigua fuit Cancellariorum signandis subscribendisq; epistolis, Edictis atq; Tabulis Regiis inservientium auctoritas, neq; ullum sine illorum recognitione legitur diplo-*

ma

ma antiqvum. Nominantur in Historicorum scriptis & schedis antiqvioribus sæpius Capellani & Archicapellani; *eò qvod in capella Palatina, ubi Regia Archiva asservabantur, publicis tabulis describendis insudarent, huicq; muneri ferè semper ex ordine clericorum adhiberentur. De qvibus Capellis & Capellanis eruditissima ex vetustissimis monumentis eruta, unà cum serie Archicapellanorum Palatij Francici à Clothario I. usq; ad Carol. Simplicem, videantur apud* Car. du Fresne in Glossar. voc. Capellanus & Capella. *De Archicancellariis Imperij qvidem, qvo nomine Electores Ecclesiastici adhuc in Rep. nostra insignes sunt, hic dici possent eximia: ast ne longiores simus, consuli poterunt de iis obviam ubiq; Scriptores Juris Publici, & inprimis, qvi hac in parte instar omnium esse potest, doctiss.* Mallinkrotius *in nunqvam satis laudatis ac intimiore rei Germanicæ antiqvitate & eruditione singulari refertissimis commentariis de* Archicancellariis & Cancellariis Imperialis Aulæ, *qvos legisse neminem pœnitebit. Illud prætereundum non est, in omnibus penè Europæ Imperiis, Regnis & Principatibus superiori & nostro seculo illustrissimam Cancellariorum dignitatem, & inter Palatinas, judicio Polleti apicem honorum & ambientis animi veluti honoristitium extitisse. Ut non immeritò* Marcilius cap. 6. Titi Sveton. Casaubono *cit. loc. & clariss.* Besselio in Animadv. ad Eginhart. Præf. de Vita Kar. M. *ineptire videatur, qvando Cancellarium hodiernum, re & nomine eundem esse cum veteris Romæ Cancellario existimat, sicq; Franciæ Cancellarium à loco summo &*

Regiæ Majestati proximo ad Cancellos secreti Regij retrahit, & fores tenendas committit. Sed de sublimis hujus officij præsenti amplitudine atq; excellentiâ, omnibusq; ad illud ornandum virtutibus, atq; exemplis præclarissimorum hominum, qvi eo immortali laude defuncti sunt, sigillatim & diligenter egere Herm. Kirchnerus in Morvillerio f. de Officio & Dignitate Cancellarii libris IV. & Rutger Horstius duobus hujus argumenti libris. *De Franciæ Cancellariis eruditum extat schediasma* Franc. Lanovii Mon. ord. minim. *de qvibus liceat hic verba incomparabilis* Budæi in Annotat. ad ϖ. de P. P. ed. Colon. p.m. 208. *adjungere, tum qvod ejus honoris majestas, ut ipse loqvitur, tum qvæ ad excellentissimi hujus muneris curam spectent, indè optimè intelligantur:* Cancellarius igitur, *inqvit*, in Francia, cujus id munus est, ex primæ sunt partes, videre ut nulla Principis constitutio, nulla Sanctio, nullum diploma, nullum rescriptum, nulli Codicilli Regii, non è Republ. atqve etiam è dignitate Reip. Principaliqve exeant. Cujus censuræ aut stilo Principum Majestas acta sua eximi nunqvam voluit. Deniq; qvi Principis præsentis Vicarius, & peregrè agente Principe interrex qvodammodo esse censetur jure ac propriè (ut arbitror) nomophylax, id est legum Præsidium, juris asylum, (id qvod de Papiniano qvondam dictum est) morum institutorumqve ara, æqvi boniqve columen appellari potest, atqve etiam esse debet. Id qvod etiam credere me cogit consensus ferè homi-

num

bis filius exceſſerat, tinctus iis artibus qvibus prima ætas ad humanitatem informari ſolet, natu licet minimus, tamen ob ſingularem indolem, maxima in ſpe deliciisqve parenti, *Complutum*, qvæ in Carpetanis princeps Academia eſt, (*f*) ad uberiorem ingenii cultum miſſus eſt: ubi celeriter antecellere æqvalibus ingenii gloria contigit. Verùm aſſiduis bellorum tempeſtatibus jacebant adhuc humanitatis ſtudia: Ciceronis nomen vix in Scholis túm audiebatur; nondum ſatis culta benè dicendi facultas: Græcæ litteræ mutæ, doctoribus carebant: ſine qvibus tamen diſciplinis, in Jure Civili enucleando excellere poteſt nemo, & reliqvæ ſcientiæ graviores qvaſi concreſcunt. Senſa enim mentis commodè eloqvi non poſſe, nec ad poſteros transmittere, niſi ruſtice, & inqvinate, hominis eſt, vel M. Tullio (*g*) judice, intemperanter

num inſtitutumqve qvoddam qvaſi per manus traditum, caput eum ac verticem juſtitiæ appellantium.

(*f*) *Deſcriptionem Academiæ Complutenſis, ſitæ in Regno Caſtellæ & à* Franc. Ximenio *Card. & Archiepiſcopo Toletano condita An.* ↄIↄ.Iↄ.XVII.(*qvo anno Ant. Auguſtinus natus fuit*) Melchioris de la Cerda, *vid. apud* Schottum in Bibl. Hiſpan. T. 1. cap. 2. *add.* Jac. Middendorp. lib. 7. de Academ. *& præcipue* Alvarus Gometius in vita Fr. Ximenii libr. 4.

(*g*) *Tuſc.* 1.

abutentis & otio & litteris. Studia verò hæc in Italia, diſciplinarum parente, jam tum colebantur vehementius, qvàm in Hiſpanicis Academiis: ſive id ſoli cœlive genio, ſive hominum indoli & induſtriæ, ſive otio deniqve & tranqvillitati Reip. acceptum eſt referendum. *Salmanticam* hinc â parentè miſſus, prima ibi Jurisprudentiæ fundamenta jecit gnaviter. (*b*) Verùm ut exoticæ merces & peregrinæ domeſticis ferè gratiores; & plantæ alio cœlo cultæ atqve inſitæ, ſvaviores ſæpe uberioresqve exiſtunt, miles deniqve is optimus, qvi patria procul ſtipendia fecit: idem in præſtantibus ingeniis uſu venire accepimus. Alieno enim cœlo ſtudiorum labor, & induſtria fit major, exacuitur enim, & qvaſi uſu exterorum ſplendeſcit ingenium, prudentiaqve paratur. Magnâ itaqve Italicorum ingeniorum ſubtilitate, doctrinâ & eloqventia, honeſtâ qvadam laudis contentione, qvæ ſtimulos optimis ingeniis addere ſolet, excitatus, cum de poſteritate ſerio cogitaret, cui ſe vixiſſe teſtatum aliqvando facere vellet, *Bononiam*, eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimisqve ſtudiis Juris præſertim Civilis affluentem cogitabat. Qvo in oppido Collegium ingentibus olim ſumptibus, ampliſſ. fortiſſimumqve virum Ægidium Albornotium Cardinal. in Hiſpanicæ gentis gratiam ſua pecunia exædificandum curaſſe

(*b*) *De Salmanticenſis Academiæ Statu, qvam Anno* cIↄ. CCCCIV *erectam Middendorpius c. libr. putat, videri uidem poteſt* Bibl. Hiſpan. d. T. 1. cap. 2.

raſſe inaudierat: (*i*) qvo erudiendi gratia, ex omnibus fere Hiſpaniæ urbibus præſtantiſſima ingenia qvotannis vocarentur alerenturqve liberaliter. Magnam hic ſtudiorum ſegetem, ex æmulatione, ut fieri amat, ingeniorum mutuâ colligi; aſſiduas hic diſſerendi exercitationes, ſcholasqve haberi, acceperat; ex qvo ludo tanqvam ex eqvo Trojano, meri heroes, qvi de Jure conſultoribus reſponderent, prodiiſſent: qvorum è numero nonnemo Hiſpaniæ clavum noſtra memoria ſummo cum imperio tenuiſſet. Bononiam itaqve parentum permiſſu excelſi animi & laborioſi juvenis tandem pervenit, anno altero Pauli tertii (*k*) Pont. Max. Ea in urbe paucis ante annis, *Carolus* Cæſar Imp. à *Clemente VII.* Pont. M. freqventi hominum concurſu, & qvaſi orbis terræ panegyri diademate coronatus, inunctusqve fuerat, more majorum Au-

 guſtus.

(*i*) *Ex* Joh. Geneſ. Sepulveda *in Hiſtor. Collegij Hiſpan. Bononienſis conſtat, conditum fuiſſe hoc ab Albornotio Collegium circ. An. M. CCC. LXV. ex eoq; viros ſapientia claros, (qvos ibi enumerat Sepulveda) nulla non memoria proveniſſe, qvi tum ſingulas civitates, tum univerſam Hiſpaniam doctrinâ & conſilio ſummoperè juvarint. Excerpta ex d. Sepulvedæ Deſcriptione Colleg. Bonon. & librr. qvos de Rebus Geſtis Albornotij conſcripſit in* Biblioth. Hiſpan. Tom. III. Claſſ. III. *leguntur.*

(*k*) *An.* cIↄ. Iↄ. *XXXV.*

guſtus.(*l*) QVÆ res urbem cæteroqvin claram per ſe, & nobilem ut Pontificiæ ditionis, reddiderat illu-

---

(*l*) *An.* cIↄ.Iↄ.XXX. *Memorabilis omnino hæc Caroli V. vel eo nomine eſt Coronatio, qvod nullus inſeqventium Imperatorum duplicem illam qvam tum à manu Pontificis accepit, Regni Longobardici ſcil. qva & Mediolanenſis* A. B. cap. 26. § 4. *dicitur, Mediolani qvippe aut Medœtiæ fieri ſolita, & Imperialem ſeu Romanam amplius deſideraverit, contenti ſolum Regni Germanici corona, qvam* Aqvisgranenſem d. §. 4. *nominat* Carol. IV. *qvia Aqvisgrani ſecundum* Bullæ ejus c. 28. §. 5. *peragi debebat, vel ex privilegio Aqvisgranenſibus à Frider. I. ſuper hoc negotio conceſſo, aut renovato potius, ſi à Carolo M. jam tale habuiſſe credas, vel potius ex inveterata & aliqvot ſeculorum uſu comprobata conſvetudine, qva ab Ottonis M. tempore ad Carolum V. Cæſarem usq;, qvi licet peſte Aqvisgrani ſæviente ritum coronandi tamen contra præſcriptum Aureæ Bullæ novari non conſultum putabat, Germanorum Imperatores penè omnes Aqvisgrani coronati leguntur.* Limn. in Jur. Publ. lib. 2. cap. 4. n. 6. ſeqq. & ex eo Knipſch. de Jur. Civit. Imper. lib. 2. cap. 1. num. 22. & 23. Rumelin. ad A. B. P. 3. Diſſ. 6. §. 5. & ibi Myler. in addit. *Et Ottonianæ inaugurationis Solennia qvidem Aqvisgrani peracta Witichindus Mon. Corbeienſ. antiqviſſimus rerum Saxonicarum ſcriptor tradit 2. Annal. pr. eruditiſſimis annotationibus illuſtrata à Bœclero in Otton. I. p. 281.* ſeqq. *Carolina*

roline autem Coronationis Aqvisgranensis Historiam & Pompa caremoniarumq; celebritatem d.23. Octobr. Anno 1520. Georgius Sabinus, sive ut alij volunt Phil. Melanchton & Hartmannus Maurus, Archiepiscop. Colon. Consiliarius, accurate descripsere. (qvi apud Schardium Rer. German. T.2. & Goldast. Polit. Imp. Part. 3. *extant ; & separatim inter scripta habentur, qvæ de Inaugurationibus, Coronationibus, electionibusq; Impp. à Maximiliano I. usq; ad Matthiam Cæsarem,* Hannov. ap. Wechelios *prodiere.) add. his* Sleidan. de Stat. Relig. & Reip. lib. 2. Limn. ad art. 30. Capit. Car. V. p. 318. seqq. *formam & solennitatem actus ipsius unctionis & Coronationis ex rituali libro Ecclesiæ Coloniensis exhibet* Freherus in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. cap. 6. pag. 166. *Sed hæc de Aqvisgranensi coronatione. Illa Lombardica & Imperatoria Corona* Bononiæ, *non Romæ, (qvi error crassissimus & Regio Historico plane indignus est* Scip. du Pleix Tom. 3. de l' histoire generale de France, *ob id recte notatus* Limnæo in Annot. ad Capitulat. Carol. V. p. 354.) *Carolo à P.M. magnifico tantoq; Principe digno apparatu, illustri Principum virorum freqventia, ad similitudinem Romanorum rituum, est imposita, & posterior qvidem biduo post priorem* D. Matthiæ *sacro & Cæsari natali die, & exindè auspicato, qvod eodem Franciscum Galliæ R. ad Ticinum vicerat, qvodq; postea translationem cessionemq; Imp. in fratrem factam esse vult* Zenocarus l. V. in Vita Caroli V. pag. 293. *Vid. de duplici hac coratione ap. Bononiam*

Henr.

Henr. Corn. Agrippa in Goldast. Polit. Imp. P.4. & ap. Schard. Tom. 2. Rerr. Germ. *add.* Masen. lib. 4. Historiar. Carol. V. & Ferdin. Imp. Zenocar. in vita Caroli l. 1. p. 47. *curante tum unctionis & consecrationis officium* Gviliel-mo Enckefort *S. R. E. Cardinali & Dertusensi atq; Ultrajectino Episcopo*, Mallinckrot de Archicancellar. p. 159. ed. Jen. *Sitne hæc Coronatio Pontificia necessaria, inter Juris Publici Doctores controvertitur, & in utramq; partem disputat* Limn. ad d. art. 30. pag. 341. seqq. & in Jur. Publ. lib. 2. c. 4. n. 60. seqq. *utrisq; tamen locis negativam recte amplectitur & contrariis argumentis inprimis d. c. 4. solide respondet, atq; probat ex sola Principum electione verum esse Imperatorem, & jus administrandi plene consequi, neq; coronatione Romana indigere, per* cap. 2. A. B. §. 5. Buxtorff. ad d. c. §. 38. lit. c. & d. Rumelin. ad A. B. P. 1. Diss. 3. §. 15. & Myler in addit. ibi & ad P. 3. Diss. 6. §. 6. *Inde est qvod Ferdinandus I. Imperator, qvi Romæ nec coronatus est nec coronari voluit, in Rec. Imper. Augustan. d. Ann. 1559. pr. disertis verbis dicat:* Er habe sich mit der Bürde der Administration und Verwaltung des heil. Reichs / auch anhangender Dignitæt, Hochheit / Regierung / Titul / Scepter und Cron des Römischen Keyserthums im Nahmen des Allmächtigen beladen. *Ast Carolo forsan necessaria fuit, qvia ad illam petendam, vi Capitulationis tenebatur, à qvo tamen obligationis vinculo modernum Imp. Leopoldum tacendo liberasse videntur Principes Electores.*

Illud

Illud firma ratione destituitur & praxi Imperialis curiæ, qvod dicitur, Coronatos à Pont. demum absolute Imperatores & Augustos nominari, cum non coronati Electi tantum Imperatores aut Reges Romanorum scribantur, spectantq; huc qvæ apud Sigonium lib. 7. de Regn. Ital. *habentur. Nam ex Recessibus Imperij Actisq; Publicis notum est, Carolum etiam post susceptam coronam Electi Imperatoris titulo ferè semper usum esse, alios verò Imperatores à Pontifice nunqvam inauguratos, simpliciter & sine additione Electionis aliqvando Imperatorio nomine insigniri*, Limn. ad Cap. 1. §. 1. A. B. O. 5. Conring. de German. Rom. Imper. cap. 13. Dn. Becmann. Notit. Dignit. Illustr. Diss. 4. cap. 1. §. 4. *Egregia qvoq; sunt, qvæ vir in Rempubl. literariam immortalium meritorum Bœclerus hac de re in Ottone M. differit, ex qvibus pauca hic adscribere non pœnitebit:* Qvotiescunqve, *inqvit p. 259.* lego Electi titulum ab ipso Imperatore nomini suo adscriptum, non possum inducere animum, qvin magnifico ac locupletante significatu, id est, in laudem Electionis, qvæ inter sacrosancta Imperii nostri mysteria habetur, qvæ Aurea Bulla ordinatur, qvæ Divinum humanumqve suffragium ostentat, accipiam. Electioni certe debetur nomen Imperatorium, non coronationi. Potest igitur coronatio taceri: Electio non potest. Qvid? qvod nomen Imperatoris, & elogium Semper-Augusti, qvæ non nisi Romæ coronatis olim indulta & hodie indulgenda multi putarunt, Electo addita

illuſtriorem. Hic in collegium ultrò invitatus Auguſtinus, licet ſuis ſe ſumptibus commode alere poſſet, commigravit. Opibus tamen patriis valere juſſis, ne his fiſus negligentius, ut fit, in ſtudiis verſaretur: ſic pontes à tergo militibus abrumpere ſolitos duces, neqva fugæ ſpes relinqvatur timidis, adoleſcens legerat. Nactus hic eos eſt doctores, qvi cæteris omnibus ingenii gloria antecellerent. *Paulo* enim *Pariſio* Juris Pontificii celebri interpreti, aſſidue operam dedit: qvi ob ſingularem pietati conjunctam eruditionem, mox in patrum purpuratorum Senatum lectus eſt: cui *And. Alciatus* Inſuber, ut in bello defeſſis integri recentesqve ſubmitti, ab Imperatore ſolent, ſuffectus, de ſuperiori loco dicendi perſonam ſuſtinuit, accitus inſigni honorario; princeps cùm eſſet ejus ætatis Anteceſſorum, propterea qvod eloqventiam, Græcarumqve litterarum, qvæ perpaucorum ho-

ſatis oſtendunt, non qvidem defectum aliqvem ſolennitatis, ſed perfectionem majeſtatis. *Cæterum qvi plura de triplici coronatione noſſe cupit, legat* Limn. in Jur. Publ. d. libr. 2. c. 4. & annot. ad Art. 30. Capitul. Carol. V. Petr. de Andlo de Imper. Rom. Germ. lib. 2. cap. 6. & Freher. ibi in not. Rumelin. ad A. B. P. 3. Diſſ. 6. §. 7. cum Addit. Myleri, Goldaſt. in Polit. Imper. P. 3. & 4. *videri qvoq; poſſunt ſcripta, qvibus inter Moguntinum & Colonienſem Electores de Jure coronandi Reges Romanorum ſuperioribus annis certatum eſt.*

hominum ſemper fuerunt, peritiam, ad jus illuſtrandum attuliſſet; ingenioqve cum intendiſſet, & Poëtica, ut *Jani Parrhaſii* diſcipulum poſſis agnoſcere plurimum valeret. Biturigas enim (qvod nuper Gymnaſium *Jac. Cujacio*, Toloſate, Juriſconſultorum Coryphæo florebat) *Ticinum* item & *Bononiam* Academias docendo Alciatus mirificè ea tempeſtate, ut & jus ipſum ſcriptis editis illuſtravit eductis, vel ut verius dicam genitis ſummis aliqvot Juris ſacerdotibus: in qvibus Auguſtinus noſter familiam ducebat: qvod in iis ipſis Juris enucleandi veſtigiis pedem ponere cogitaret. (*m*) *Viglius* item

---

(*m*) *Alciatum JCtum literatiſſimum, ex cujus libris qvaſi poſtliminio Jurisprudentia rediſſe viſa eſt in civitatem Romanam, & qvi* Catell. Cottæ *judicio*, lib. de Jurisperit. *Juris Civilis ſcientiam cum ſtudiis humanitatis optimè conjunxit, ut Præceptorem ſuum eximiè laudat Auguſtinus in Emendationum libris & alibi ſæpius, videri poterunt, qvæ de eo apud* Pancirolum de Claris LL. Interpret. *leguntur* l. 2. c. 16. *& qvæ* Imperial. in Muſæo Hiſtor. *habet. Rectè enim* à Claudio Minoe *in ejus vita dicitur, eum diſciplinarum liberalium, Hiſtoriæ omnis, Græcæ & Romanæ lingvæ ſubſidiis fretum, juris artem nitori priſtino reſtituiſſe, æmulatum veteres qvosdam magni nominis JCtos, Antiſtium Labeonem, Atteium Capitonem, Herennium Modeſtinum, aliosq́; qvi pares fuerint*

item *Zuichemus* Frisius princeps erat: qvi Galliæ Belgicæ Præses, negotiorum mole à scribendo, ut feliciter cœperat abreptus est. His igitur auditoribus ut imperator spoliis opimis, merito gloriabatur Alciatus. Antonius vero feriis, qvibus proferri res solent, cessaturqve æstivis mensibus ardente canicula, *Patavium*, celebritate commotus, discendi gratia, dum se æstus solis frangeret, secessit, mensesq; octo ibi hæsit cum doctoris auctoritate, tum loci amœnitate captus *Marianum* enim *Socinum* minorem diligenter audivit. Qvæ qvidem Socinorum familia, tres continenter insignes Jurisconsultos edidit; Marianum majorem & Bartholomæum libris editis claros: qvales J. C. vix singulos singulæ ætates ferre solent. Sic olim & *Muciorum* gens, qvæ tot una prudentes Juris emisisset, qvod satis multis civitatibus esse possent, in cœlum laudibus

---

fuerint in utriusq; lingvæ cognitione, artiumq; meliorum facultate. Atq; in eo optimè cum Modestino non contemnendæ auctoritatis JCto, teste Gordiano in l. 5. C. ad exhib. *comparari poterit Alciatus, qvod uterq; Poëticæ deditus, Solonem Apollini, Musas legibus conciliarit. Esse autem huic studio cum Jurisprudentia magnam adfinitatem & conjunctionem, ac antiqvis JConsultis familiares admodum fuisse Poëtas præclare, ut omnia, illud Altorffinæ Academiæ qvondam decus præcipuum,* Scipio Gentilis lib. 2. Parerg. cap. 2. & 3. *demonstrat. add.* Gribald. pr. libr. 3. de rat. Stud. Henel. de Veter. JCtis cap. 35.

bus ferri ſolet. Idem & *Auguſtinorum* gentis decus fuiſſe, ut plures ea Juriſconſultos, patrem, avum, proavum dederit, (*n*) Annalium Celtiberiæ memoriam evolvens, comperi. Hic & ſubſecivis horis, qvas alii tribuunt aleæ, intempeſtivis conviviis, aut ſomno, litteras amœniores libenter reſpexit, & *Lazarum Bonamicum*, diſertum hominem, Græcos etiam doctores, *Fazellum & Romulum Amaſæum* audivit. *M.* enim *Porcium Catonem* admodum ſenem, Græce diſcere non erubuiſſe acceperat. Et verò ſine his artibus eruditisqve lingvis, hiſtoriarum, antiqvitatisqve memoria, perfectum Juriſconſultum evadere poſſe neminem, & ſæpe ipſe diſſeruit, & ſcripto edito, ut poſteritas poſſet exaudire, teſtatum reliqvit. (*o*) Decurſo jam ſtudiorum

(*n*) *Habuêre aliqvando hoc illuſtres familiæ proprium, ut viris doctis JCtisq; egregiis orbem replerent, atq; de Socinis qvidem à Schotto hic nominatis legi poterit* Pancirolus de Clar. Leg. Interpret. l. 2. cap. 126. & 162. *de Mucia autem gente, qvæ Rom. Jurisprudentiæ velut domicilium fuit, cujusq; domus oraculum totius civitatis, doctiſſimus extat* Fr. Balduini commentarius, *add.* Ant. Auguſtinus de Romanor. Famil. *Sic Gallia Fabros, Pithæos, Bertrandos & Gothofredos magna Jurisprudentiæ nomina genuit, ac de Piſtoria gente, Miſnia noſtra gloriatur.*

(*o*) *Nimirum* in Præf. Lib. 2. Emendat. *ubi erudite contra eos diſputat, qvi ab omni elegantia alieni,*

legum verba ignorant, temporum rationem nullam habent, rudes deniq; & omnium aliarum rerum ignari, illud unicum dicunt, nihilo fuisse se Accursium aut Bartolum earum rerum peritiores, aut uno verbo, qvi Accursiana barbarie delectantur. In cap. 1. autem d. lib. ad Græca lingvæ studium ita adhortatur: Qvæ Græcæ lingvæ conjunctione melius intelliguntur, & velim ut ea omnibus juris civilis studiosis tam familiaris esset, qvam Modestino, Papiniano & Scævolæ fuit, aliisqve omnibus, è qvorum libris Digesta conscripta sunt. Nam & hæc ipsa, qvæ in manibus habemus, breviore tempore addisceremus, & Græcorum Consultorum interpretationibus juvaremur, ad ea qvæ amisimus restituenda. Nam si hi qvi primoribus labris Lingvæ Græcæ fructus gustavimus, profecisse nos aliqvid existimamus, vel levi sapore, aut odore ejus lingvæ: Si omnes simul in hanc rem incumbant, credendum est, maximos se fructus percepturos. *Et hic & principio statim* h. cap. *se suæ disciplinæ studiis impeditum, minorem operam Græcæ lingvæ dedisse, qvam ad ejusmodi res tractandas, opus esse videbatur, dicit Augustinus; Utrum autem hoc verè scripserit, censente ita qvodammodo doctiss.* Menagio in Amœnitat. Jur. Civilis, cap. 31. *an non potius modestiæ Augustini tribuendum sit, cum lingvæ Græcæ peritissimum fuisse, scripta ejus indicent, aliis judicandum relinqvo. Eqvidem; qvam grave malum sit in Jure Civili Græcarum literarum ignorantia suo incommodo*

curriculo, feliciter *Florentiam* Etruriæ metropolim se contulit, cum *Joanne Metello* Seqvano homine eruditissimo. Qvi cum ex studiorum, ut fit, similitudine, vetus necessitudo intercesserat: Pandectarum juris Civilis volumen immensum, Justiniani Imperatoris jussu, à Triboniano collectum, ejusqve temporibus, ut creditur, priscis admodum litteris exaratum, (qvi thesaurus olim *Pisis* allatus est, qvantivis precii religioseq; a Ducibus asservatus, tanqvam Apollinis oraculum consulitur) (*p*) cum Norica & nupera

modo deprehendit Claud. Cantiuncula in Paren. de ratione stud. legal. vide Anon. de JCto perfecto apud Reusnerum in Cynosur. Jur. cap. 4. Paul. Voët. de usu Jur. Civil. & Can. cap. 3. n. 3.

(*p*) *Cum vetustissimo Florentinarum Pandectarum Codice nullum omnino alium integritate ac fide comparandum, atq; in controversiis finiendis, ejus lectionem ab antiqvis JCtis semper prælatam, non tantum Taurellus in Præfat. edit. Pandect. Florentin. sed & ante eum Angel. Politianus lib. 10. Epist. 4. & Anton. Augustinus in libris emendationum passim testantur.* *Olim* Pisani Palladium *hoc Jurisprudentiæ Romanæ, qvæ sine isto non modo manca, sed pene nulla erat, asservabant, inde à Glossatoribus* litera Pisana *dicta, qvibus, capta Amalfitanâ Apuliæ civitate, à Lothario Saxone Imp. & Innocentio II. P.M. A.C. MCXXXVI. ob na-*

vatum in bello strenuè operam, in præmium datum fuerat. Pisis verò per Ginum Caponium *A. C. M. CCCC. VI. expugnatis, Florentini velut subjectionis symbolum ad se transtulêre, unde Pandectis Florentinis nomen.* Broeus in Histor. Jur. Chronol. Jac. Gothofred. in Histor. Jur. cap. 9. *Qvamvis autem magna sit vetustatis hic liber Tuscus, literis qvippe majoribus, (qvas capitales seu qvadratas vel unciales,* Ulpianus verò in l. 11. §. 3. ff. de Institor. act. *cui add.* Cujac. 7. O 29. *claras, ut de plano legi possint, nominant) absq; ulla interpunctione, & verborum distinctione more antiqvo & in monumentis vetustis usitato, scriptus;* Taurellus d. Præfat. & Ant. Auguft. lib. 1. emendation. cap. 4. & 9. Alb. Gentil. Diff. d. libr. Jur. civ. cap. 3. *ac proinde in tanta veneratione Florentiæ olim habitus, ut in curia loco celeberrimo, monachorum qvorundam summiq; magistratus diligentia & religione custodiretur, & non nisi gravi causa prolatus, accensis funalibus, à monachis & magistratu venerabundis capite aperto ostenderetur;* Politian. d. ep. 4. *qvâ solennitate eum tum temporis vidisse,* Budæus in annotat. Prior. ad Pand. ad. l. 1. d. J. & J. in fin. *memorat; hodieq; inter rara magni Ducis Hetruriæ cimmelia, duobus distinctis tomis, holoserico rubro ligatus, & clausulis argent. exornatis reperiatur: Rectè tamen ab Augustino hunc archetypum, aut Justiniani ætate scriptum esse, qvod* Marsilius Ficinus, *(qvem præsentem fuisse, cum iste liber reperiretur, uti* Hagmeierus lib. de Auth. Jur. Civ. & Can. cap. 4. *putat, ratio temporis planè*

non

non patitur, nisi Ficinum sec. duodecimo, qvo Pisani eum à Lothario accepêre, vixisse, contra Historiæ fidem absurdè statuas) Politianus d. ep. 4. & in Miscellan. cap. 14. *it.* Broeus in Histor. Jur. Chronol. *&* Steckius in Præf. ad observat. Anticrit. *aliiq; volunt, negatur* libr. 1. emend. cap. 1. *hisce verbis:* Magis probo eos libros, cum jus civile Byzantii traderetur, scriptos post aliqvot annos, qvam Justinianus è vita migravit. Fuisseqve studiosi alicujus viri in Græcia, non publicos, mihi sit verisimile, maximum ei rei signum est, qvod numerorum & verborum notis usi multis locis librarii sint, qvas notas Justinianus tribus constitutionibus fieri prohibuit. Hoc habent ab Justiniani temporibus alienum: Item menda freqventia partim sublata, partim scriptorem desiderantia. Qvæ ablata sunt, ostendunt ad alicujus libri exemplum eos libros emendatos: Qvæ adhuc deprehenduntur, indicant non ut singulare qvoddam Juris monumentum, ut nunc meritò habentur, initio habitos eos libros. *Consentiunt Augustino* Haloander in Præfat. ad Pandect. Mercer. in conciliat. Alciatus 2. Disput. 12. Duaren. 2. Disp. 9. Alb. Gentil. ç. 2. de libr. Jur. Civ. *Illud verò firmiter asserit* d. c. 1. *cum* Læl. Taurello in Præfat. ad L. Gallus. *unicum hoc esse exemplum, ex qvo omnes omnino, qvi hodiè extant Digestorum libri dimanarint. conf.* Thuan. libr. 1. Histor. Vitæ suæ Auth. Duck de Author. Jur. Civ. l. 1. c. 4. n. 10.

Gregorij Haloandri editione, summa fide diligentiaq; comparavit. (*q*) Hic *Lælio Taurello* egregio

licet huic asserto fidem Cujacius *habere nolit* 2. O 1. *Editæ tandem sunt Pandectæ ad exemplar Florentinum duobus Vol. in fol. Florentiæ apud Laur. Torrentinum elegantibus typis Anno Chr. M. D. LIII. studio Lælij Taurelli ejusd. Filij Francisci, cujus insignem in hac re operam eximie Posteritati commendat* Augustin. in Præfat. libr. 1. & 3. Emendat. & Scip. Gentil. 1. Parerg 7. *Omnium autem hanc optimam & Perfectissimam Pandectarum editionem meritò JCti amplectuntur; cum illum venerandæ antiqvitatis Codicem ultra decennium secum habuerit & pervolverit Taurellus, reliqvi verò ante eum & præsertim* Hugo à Porta *eum ne qvidem viderint, qvanqvam* Alber. Gentilis cap. 4. d. libr. Jur. Civil. *hoc in Taurello desideret, qvod in autographo Florentino nonnulla omiserit, nonnullaq; mutarit. Sed de hisce Pandectis Florentinis, earum variis editionibus, atqve Scriptura mendis itidem, & qvæ amplius eo pertinent aliqvando commodius ad* Alberic. Gentilis Dissert. de libris Jur. civilis *dicetur, cujus interea ibi vid.* cap. 2. 3. & 4. *it.* Jacob. Gothofr. Bibliothec. Jur. cap. 4. Riccius de libr. Jur. Civil. qvant. & qval. §. 36. & seqq. Bartholin. Dissert. 7. de Legend. libr.

(*q*) *Aliqvid humani passus est, si diversas Pandectarum editiones Schottus noster credidit, Noricam*

ricam & Haloandrinam, qvam unam eandemqve esse, JCtis cognitum. Vid. Alb. Gentil. d. libr. Jur. Civil. cap. 2. *Adornavit eam* Gregorius Haloander Zwiccaviensis, *de qvo* Adam. in vitt. Germ. JCtor. p. 60. *ediditq;* Noribergæ An. 1529. typis Joh. Petreji in 4to. *Codex enim altero anno* 1530. in fol. *& Novellæ Græcæ cum ejusdem interpretatione inseqventi anno* 1531. *lucem videre, cum ejusdem typographi. Qvas editiones forsan non viderat* Fr. Broeus, Antecessor Bituricensis, *qvando juris textum integrum & maximè emendatum circa an.* 1541. *demum Haloandrum publici Juris fecisse in* Jur. Chronol. Histor. *scribit; ad plures enim jam tum abierat Haloander & decennio post Noricam, ista Broei editio, qvæ Hervagiana est, Haloandri emendationes potissimum secuta, Basileæ prodiit. Non immeritò autem* Jac. Gothofr. in Bibl. Jur. cap. 4. *primam hanc Noricam editionem qvidem censeri debere putat, qvippe superioribus omnibus tersiorem & emendatiorem, utpote Pandectis, ex collatione Florentinarum manu Politiani olim factâ, editis, restitutisq; legum inscriptionibus, neq; tamen ubiq; Notas Politiani secutum Haloandrum, tum in textu, tum & qvoad ὀρθογραφίαν. Qvæ causa fuit curtoties Haloandri librum reprehenderet in suis emendationibus passim & sigillatim* 3. emend. 6. 7. 9. *& ad Tuscum illum emendaret Ant. Augustinus, cujus alioqvin laboribus tanqvam viri probi, & de jure civili benè meriti, non invidere se, tantumq; deferre cum ob eam diligentiam, qvam in edendis Justiniani libris adhibuit omnium*

gio & diserto ejus ætatis J. C. Florentiæ usus est familiarissime, doctissimo item candidissimoqve, & de litteris benè merito *Petro Victorio.* Hinc doctoris sui Alciati vestigiis insistens, qvot incredibile, & ipse juvandæ foris privatimqve Reipubl. & Philologiæ cupididate flagraret, discrepantes lectiones & emendationes, earumq; rationes, illas qvidem ex membranis antiqvis, has â se excogitatas, in eum libellum conjecit, qvem hinc Emendationum Juris titulo inscripsit,

maximam, tum ob Novellarum Constitutionum & Græcè & latinè à se primum editarum munus, qvantum sciat alium deferre neminem, diserte scribit 1. emend. c. 3. *Imò Haloandrum neq; Politiani, qvi indulgentia Laur. Medicis suos cum Florentino Codice contulerat test.* lib. 10. ep. 4. *sed* Bolognini *libris usum, seqventibus verbis indicat* 4. emend. 16. *Notas Florentinarum Pandectarum in commune se proferre Haloander profitetur* (in Præfat. ad Pandect.) *qvod & illustrius ad nomen & cautius ad fidem existimabat id dicere, qvam id qvod fecit, Bolognini descriptionem ex Politiani libris acceptam proferre se dicere. Qvamobrem nolim qvenqvam mirari, si tam multis locis aliud Florentiæ esse dicam, qvam in Norica editione sit. Nam neq; Politianus diligentissimus semper fuit, neqve qvæ ille sibi soli describebat notis qvibusdam, qvales qvisq; suas freqventer habet,* Lud. Bologninus *homo neq; natura acutus, neq; institutione eruditus satis, & Græcarum literarum expers descripsit ut oportuit. vid. ejusd.* 3. emend. cap. 1. & 3.

psit, moxqve non tam popularis auræ captandæ, qvam benè merendi studio excidere adolescenti sibi, annos vix nato qvinqve & viginti, passus est. (r) Qvo libello, si molem spectes, in speciem, exiguo, sin rerum utilitatem, ponderumqve momenta æstimes, sinuosis aliorum

I 5 volu-

(r) *Ann. M. D. XLIII. Cogitabat autem vir eruditissimus & lumen Jurisprudentiæ nostræ clarissimum, in cujus fulgentissimis monumentis veterum Consultorum lumen elucet, (judicio* Vertranii de Jure liberorum cap. 18.) *principio, non tantum id, qvod pro certo putaret Florentina emendatione mutandum esse, conscribere: sed qvod in Florentinis ipsis libris mancum aut mutilum aut incertum esse existimaret, & uno verbo, omnes qvinqvaginta Pandectarum libros ad illorum scripturam, à qvibus orti sunt, reducere. Sed cum de cursu studiorum domum revocatus esset, selegit saltem insigniores qvosdam locos, qvi illi aut ob Tuscos libros mendosi, aut ob suam illis de rebus opinionem non rectè interpretati esse videbantur, eosq; qvatuor istis Emendationum atq; Opinionum libris collocavit, hisq; id ab eo actum est, ut illorum optimorum scripturas qvippe qvæ sola ut fuerit, sic esse debeat, maximam lucem libris aliis afferre ostendat. Addit aliqvando qvæ sua sit opinio, de rebus ab his ignoratis, qvi dicendi & latinè loqvendi artem, ut cæteras disciplinas, qvas omnes veteres JCti complecti videbantur à Juris scientia alienas arbitrantur. vid.* Præf. emendatt. *præmissa.*

voluminibus, anteponendo, (magnum enim librum magnum malum Callimachus Criticus appellabat: (s) Domitius vero Piso libros thesauros esse debere judicabat) Italiam, qva patet, nominis fama conturbavit, nomenqve cum omni posteritate adæqvavit. Adhæc plurimos exteros homines suo juvandæ Jurisprudentiæ exemplo incitavit, ut iisdem ingressi vestigiis Itali, Galli, & Belgæ, homines doctissimi, politiorem illam (qva hodie sæculi aurei felicitate, depulsa omni barbarie, fruimur) Juris Civilis tractationem amplecterentur. Hoc amplius effectum est, ut nostra etiam memoria, Galli & Belgæ Juris antiqvi studiosissimi, (qvos honoris causa libenter nomino) *Balduini, Revardi, Curtij, Duareni, Contij, Connani, Goveani, Hotomanni, Russardi, Cujacij*, ceteri scriptis ad immortalitatem comparatis, jus vetus adhibita Philologia mirifice illustrarint. (t) Hâc tanta celebritate

(s) *Athenæus. Plin. in Præfat.*

(t) *Addit hisce Doctor meus perpetuâ venerationes colendus* JCtus summus Dn.Hammerus Diss. de testam. implic. n. 9. *Taurellum, Robertum, Tiraqvellum; Zasium, Brissonium, Pancirolum, Pithœos, Gentiles, Petitum, Donellum, Giphanium, Gutherium, Lectium, Broeum, Merillium, Fabros, Freherum, Heraldum, Bitschium, Strauchium, & qvi in prima cera poni debet, illud seculi nostri & elegantioris Jurisprudentiæ illustre ornamentum Jacobum*

britate famæ abſentibus etiam, qvi aliqvid de ingeniis ſtudiisqve judicare aut poſſent aut vellent, notus Auguſtinus, Romam venit. (*u*) Qvam urbium dominam (*x*) terrarumqve deam eſſe, urbem etiam æternam indigitari didicerat, *Paulo III.* decimum jam annum Eccleſiæ Chriſtianæ clavum tenente, moxqve ſingulari hominis doctrina explorata, duodecim viris St. litium judicandarum, hoc eſt, ſacri pallatii judicibus adſcriptus, omniumqve ſuffragiis dilectus, *LudoGometio* J.C. Hiſpano & Epiſcopo ſucceſſit. Pontifici & Eccleſiæ fidelem operam navavit, ea integritate, atq; innocentia, ut difficile ſit dictu, abſtinentiane majore vixerit, an in Jure dicundo ſeveritate graviore ſit uſus. *Julius III.* Pontif. Max. ſextum poſt annum ſuffectus, adeò Antonium dilexit, ut & intimis con-

---

cobum Gothofredum, viros digniſſimos, qvibus, ut de Gutherio Reineſ. lib. 3. var. lection. cap. 16. cenſet, *in comitio vel in memoriæ fano togatæ ſtatuæ cum elogio ponantur: Atq; poſuiſſe iſtos clariſſimos JCtos Sexcentis exemplis præter oculos dicit, ſine humanioribus literis genuinam Jurisprudentiæ imaginem, ſingularumq; conſtitutionum ſenſum plenius velle aſſeqvi, eſſe aqvam tundere in mortario.*

(*u*) *MDXLIV.*

(*x*) Martialis & Frontin. 2. de aqvæ duct. urb. Rom.

consiliis adhibuerit, (*y*) legatumqve summa cum auctoritate, in Britanniam insulam opibus florentissimam miserit, (*z*) cum Rex vere Catholicus *Philippus II. Mariam* reginam, Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ neptem, duxit uxorem: *Reginaldi Poli* Cardin. præstantissimi auspiciis, & insulanis pacem Ecclesiæ, tranqvillitatemqve, exoriens veluti Sol, attulit. Sed rerum inconstantiam, miramqve vicissitudinem! ut nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuo bonum: nec enim diu gaudere paceqve frui datum. Immatura enim Reginæ, fœminæ lectissimæ mors, (*aa*) ætatis octavo & tricesimo (nata enim uno ante Augustinum anno) Ecclesiæ, Reiqve publicæ Romanæ, ex insperata lætitia, summum attulit mœrorem. Sed & alterum tristitiæ argumentum oblatum. Hac enim tempestate, flagrante bello Gallia, Carolus mundi vanitatum pertæsus, & regnorum mole fessus, tot victoriis de Gallo & Turca, rebusqve gestis, omnibus, qvi ante illum fuerunt

(*y*) *cIↄ. Iↄ. L.*

(*z*) *Ann. cIↄ. Iↄ. LV. eo consilio ut grates Philippo Regi & uxori Mariæ ageret, ob reditum Regni Britannici ad Ecclesiæ Catholicæ sinum, simulq; proponeret, rationem unicam illius in fide retinendi fore, si aberrantibus qvodcunq; apud exteros perfugium occluderetur. vid.* Sfort. Pallavicino in Histor. Concil. Trident. Libr. XII. Cap. X. §. 5.

(*aa*) *cIↄ. Iↄ. LVI.*

fuerunt, Auguſtis comparandus, imperio ſua ſponte abdicavit, faſces depoſuit, filioqve tradidit, & apud Carpetanos in ſolitudinem, ut qvod reliqvum eſſet vitæ curriculum, totum rerum divinarum contemplationi precibusqve ad Deum Opt. Max. fuſis impenderet, ſeſe abdidit, (*bb*) raro ac pene inaudito, ætatum omnium exemplo, poſt Lotharium Imp. Caroli Magni nepotem: (*cc*) Revertit ex Anglia Romam Augu-

(*bb*) *An. M. D. LVI. De Abdicatione Carolina inſigni ad omnem poſteritatem, ejusq; ſolennibus legendus* Thuanus Lib. 16. & 17 Hiſtorr. circa fin. & Wilhelmus Godelevæus in Hiſtorr. Abdicationis Carol. apud Schard. Tom. 2. rerum German. & Goldaſt. Polit. Imperial. Part. 7. Diſc. 1. Limn. lib. 2. Jur. Publ. cap. 11. n. 6. ſeqq. & *ad* Procem. Capitul Ferdin. I. p. 443. ſeqq. *ubi ex Receſſ. Imp. Auguſtan. de Anno 1559. cauſæ hujus abdicationis adducuntur, ætas & perpetua corporis imbecillitas. confer.* Dn. Fritſchii Tract. de Reſignationibus.

(*cc*) *Qvi diviſo inter filios regno, traditisq; majori natu Ludovico, qvem antea jam conſortem fecerat, Imperij faſcibus, Prumienſe monaſterium ingresſus, ibiq; in vita monaſtica mortuus An. DCCCLV. VI. Cal. Octobr.* Autor incert. Annal. Francor. ap. Pithœum ad h. an. Friſingenſ. Chron. l. 6. cap. 1. Abbas Stadenſ. in Chron. ad h. a. Onuphr. Panvin. Rom. Princip. l. 3. Bœcler. in Lothar. I. p. 103.

Auguſtinus, *Paulumq;* ejus nominis *qvartum*, Apoſtolicæ navis gubernaculo admotum comperit, (*dd*) urbemqve armis militaribus Hiſpanorum cinctam, metuqve nuperæ direptionis (*ee*) conſternatam. Tandem armis poſitis, redditur Eccleſiæ otium atqve Tranqvilitas. Poſt ab ipſo *Alliſanus Epiſcopus* creatus, miſſusq; Pontificia auctoritate ad Ferdinandum Cæſarem in Germaniam: qva honorifice obita legatione gregem ſibi creditum adiit, eumqve omni humanitatis genere & liberalitatis eſt proſecutus. Hinc non diu, ut motoriam egiſſe fabulam ſuis ingratiis, *Siciliam* inſulam, opibus florentem, & frugibus, ut horreum Italiæ, atqve Hiſpaniæ appellandum videatur, Philippi Regis Catholici auctoritate atqve auſpiciis luſtrare juſſus, integre id munus obivit, ut & Regi gratum officium præſtiterit, & inſulanis jus ſancte adminiſtrarit. Reverſus iterum in Hiſpaniam eſt, ut optimo Regi, cui debebatur, rei geſtæ ratio redderetur. Ea eſt enim imperandi optima conditio, inqvit Tacitus, [*ff*] ut non aliter ratio conſtet, qvam ſi uni reddatur. Mox *Ilerdenſium Epiſcopatus* a Pio qvarto nec opinanti traditur & repugnanti: Sed victus precibus ceſſit, nam & *Petrus Auguſtinus*, natu major frater, eo ipſo tempore Oſcam [non procul inde ſitam, antiqviſſimam Hiſpaniæ Academiam, qvo jam

dd) *Ann. cIↄ. Iↄ. LV.*

ee) *Ann. cIↄ. Iↄ. XXVII. prid. Non. Maji.*

ff) *Lib. I. Annalium Cap. 6.*

jam inde à Q. Sertorii temporibus Hispanica juventus erudiendi gratia;mitti solet,] (gg) Episcopus tenebat. Inde *Tridentum* uterqve profectus est, (hh) qvo indicta Synodo Oecumenica, tanqvam ad Panegyrim, ex omnibus orbis partibus doctissimorum simul ac pientissimorum hominum, sarciendæ Ecclesiæ Catholicæ concordiæ,conventus fiebant. Augustinus itaqve ut erat Ecclesiasticarum rerum usu peritissimus, sacerdotum illis temporibus mores paululum à majorum gravitate degenerantes, solutamqve disciplinam ad pristinum decus continentiamqve revocandam censuit: ratus qvod res est; Hinc tanqvam à capite, corporis medicinam ut membra convalescant, inchoandam. *Propter* nos, inqvit cum Jona Propheta, (ii) *hæc tempestas in Gallia Germaniaq; exorta est*. A domo itaqve DEI auspicandum. Occurite Patres labenti Reip. Præclare Augustinus: & perhonesta oratio. Meminerat enim Numantiam Carthaginemqve superari, evertiqve à Scipione Africano minore, non ante potuisse, qvam correcta militum, qvi jam luxu, otio, deliciisqve pridem enervati languebant, disciplina. (kk) Legibus itaqve de ordinum disciplina san-

gg) *Plutarchus in Sertorio.*

hh) *In Catalogo Patrum qvi ad Concil. Trident. convenêre, Svavis Histor. Concil. Trident. subjuncto, nomina eorum leguntur.*

ii) *Jon. Cap. 1. vers. 12.*

kk) *Livius Libro LI. & LVI.*

ſanciendis adfuit, juvitqve in partem. Anno poſt tertio, rurſum in Hiſpaniam navigavit & Ilerdæ Eccleſiam rexit optimis & legibus & inſtitutis: Eccleſiaſticos ritus, precesqve, qvibus Sacerdotes adſuefierent compoſuit: *& collectionem Canonum antiqvam Anſelmi Lucenſis*, qvarti Juris Pontificii compilatoris, edidit. (*ll*) Annos

(*ll*) *Sitne hæc collectio ab Auguſtino edita, qvod Schottus aſſerit, & ex eo refert in Abaco Patrologico Vir eximiè doctus, Gothofredus Olearius, dubium, mihi valdè videtur. Primo etenim de hâc editione neq; apud alium, neq; apud* Stephan. Baluzium *omnis antiqvitatis atq; inprimis Eccleſiaſticæ peritiſſimum virum*, in Præfatione ad Ant. Auguſtin. librr. de emendatione Gratiani, *ubi tamen de collectionibus Canonum Romanæ Eccleſiæ eruditè & prolixè diſſerit, nihil qvicqvam, ſed aliam Lucæ Dacherij, cujus Codice mſcr. antiqviſſimo uſus ſit ibi §. 19. promitti & hoc affirmari invenio, ipſum Auguſtinum de hujus collectionis autoritate, cum* lib. 2. Dial. 5. de emendat. Grat. *tum inde multum dubitaſſe, qvod in vetuſtis Codicibus, qvos vidiſſet, nullus titulus adfuiſſet, neq; nomen auctoris, atq; inſuper nonnullorum Romanorum Pontificum inſerta vidiſſet decreta, qvi vivo Anſelmo ad Apicem Epiſcopatus non perveniſſent; adeoq; potiùs conjecturam feciſſe de Hildeberto Cenomanenſi. Cui d. l. non ſolum ſuffragatur Baluzius, ſed addit præterea, qvod neq; vetuſtus Anſelmi vitæ ſcriptor, à Sebaſtian. Tengnagelio editus, neq;* Sige-

Sigebertus Gemblacensis, illorum temporum scriptor, neq; Trithemius, qvi multos libros viderat, ullam Anselminæ collectionis mentionem faciant. Miror deinde Schottum in Indice scriptorum Augustini nostri, hanc collectionem Anselmi planè præteriisse, atq; à Criticis Gregorianis inter manuscript. Codices positam fuisse. Hinc facilè adducor, ut credam lapsum Schottum, & forsan sub hac Anselmi collectione, qvod ex verbis seqventibus colligo, intellexisse qvatuor illas Decretalium collectiones antiqvas, ab Augustino primum prolatas, qvæ tamen ab illa Anselmi multis modis differunt. Fuit hic Anselmus Patria Mantuanus, Lucensis post in Tuscia Episcopus, Gregorio VII. Pont. qvem contra Henricum Imp. & Gvibertum Antipapam scriptis defendebat, admodum charus, mortuus Ann. 1086. In collectionem suam canonum, si ipsi tribuenda, omnes Pseudo-Isidori Epistolas in partes discerptas, eum inseruisse, testis est doctissimus Blondellus in Pseudo-Isidor. Prolegom. cap. 18. *Proinde verè Juris Pontificij, novi scil. illius & à veteris universæ Ecclesiæ canonico planè diversi, stabiliendæ qvippe tantum Pontificis potentiæ ergo inventi, & compacti ex suppositititiis Romanorum Episcoporum, à Clemente usq; Siricium epistolis, ab imprudentissimo illo nebulone Pseudo-Isidoro prolatis, & novellis eorum constitutionibus, qvi post Karoli M. tempora sedem Apostolicam occuparunt.* Baluz. d. Præf. §. 1. seqq.] *qvartum compilatorem nominat Schottus, præsertim si primum hujus adulterini Juris, An. 829. effictt, & in publicum protrusi, auctorem*

facias Isidorum Mercatorem, seu potius impostorem. Cujus neqvitiam summam, falsasq; ejus mendaciorum merces, publicæ luci accuratissime, graviq; censura exponit, vir exqvisitissimæ eruditionis, & incomparabilis industria David Blondellus, *in libro isto aureo, cui titulum fecit* Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes; *atq; dilucide* in Prolegom. *ostendit, mentiri falsarium Isidori nomen, patriamq; Hispaniam, eosq; errare vehementer, qvi cum* Hincmaro, Ivone, Trithemio & Possevino, *Isidoro Episcopo Hispalensi An. 636. jam mortuo, hæc figmenta tribuunt. Qvin potius Germano-Francum vel Gallo-Francum ex sermonis barbari & idiotismorum affinitate, qvam habet cum scriptoribus temporum Karoli Magni, artificem harum epistolarum fuisse censet, maximamq; suspicionem imposturæ cadere in* Benedictum Levitam, Moguntiacensem; *cum enim primum epistolas secuisse, & sine mentione titulorum in capitulare Karoli M. & Ludovici Pii locasse: accedere styli identitatē in Epistolis supposititiis, similemq; periodorum inconcinnam constructionem, tum etiam qvod isto tempore frater Eulogij Cordubensis, Isidorus, conditione vitæ mercator, ex Hispania exul, inter Germano-Francos, & qvidem Moguntiæ habitaverit: ex qva urbe scriniisq; præsulum Moguntinorum circa tempora* Othgarii Archi-Episcopi *promanarunt spuriæ istæ Epistolæ, & procul dubio ibidem conscriptæ sunt, potuitq; Isidori nomine abuti eo inscio vel volente Benedictus. Late hæc* Blondellus *proseqvitur* in Prolegom. Cap. V. & VI. *add. qvæ habet Germania nostra*

post

nos ipsos sedecim ei Sacerdotio summa pietate, ac religione præfuit. Post longo satis intervallo, à *Gregorio tertio decimo*, Pontifice verè Maximo, & bonorum omnium parente optimo, *Tarraconensis Archiepiscopus* renunciatus, hanc Ecclesiam ad extremum usqve spiritum Præsul qvartus & tricesimus, sanctè innnocenterqve, administravit: vixitqve jucunde in hâc urbe, propter Antiqvitatis R. impressa vestigia, theatrum, circum, titulos, nummos & inscriptiones; qvibus referta urbs est, ut & moenia omnia Romane loqvi videantur. Romanorum enim hic portus nobilis, hæc statio, huc cursus fuit: eratqve citerioris olim Hispaniæ caput *Tarraco*, qvæ pars ulteriorem, Bæticam nimirum, & Lusitaniam magnitudine longe superabat. Hæc illa Tarraco est, jam inde à veterum Scipionum temporibus clara urbs, cum populus Romanus cum Carthaginensibus de imperio totius Hispaniæ vitaqve contenderet: ut de Græcis *Polybius* (*mm*) prudentissimus scriptor; de Latinis *Livius* (*nn*) memoriæ prodiderunt. [item Plinius major

---

post funera non intermoriturum decus Hermannus Conringius de Origine Jur. German. cap. 16. *&* *celeberrimus JCtus* Strauchius Amœnitat. Juris Canon. Ecl. 1. Cap. V. Dominus Mastricht. in doctiss. Histor. Jur. Eccles. n. 220, & seqq.

(*mm*) Lib. III. Histor. cap. 76. *&* Lib. X. cap. 20.

(*nn*) Lib. XXVIII.

major Scipionum opus appellare non dubitat.] (oo) sed institutum urgeamus, qvando ad extre-

(oo) Lib. 3. Histor. Natural. cap. 3. *nempe qvod Scipionum tempore ædificiis aucta, atq; Colonia jus consecuta sit, urbs antiqvissima & opulentissima qvondam, ac totius fere Hispaniæ metropolis.* Strabo, lib. 3. & Mela lib. 2. cap. 6. de Situ Orbis. *Plura de hâc urbe vid. ap.* Johan. Gernndensem Episcop. Paralip. lib. 5. *&* Lud. Marinæum de reb. Hisp. lib. 3. *&* Joh. Marian. rer. Hispan. lib. 2. c. 14. *add.* Hoffmann. in Lexic. Univers. *&* Baudrand. Lexic. Geograph. verb. Tarraco. *Provinciæ Tarroconensi nomen dedit hæc Urbs, sive cum antiqvioribus Geographis Ptolomæo, Strabone, Mela & Plinio in tres partes Hispaniam dividas, Tarraconensem scil. Bæticam & Lusitaniam; sive in qvinq; Provincias distingvas, qvod Appius qvidam tempore Constantini Pij ap.* Joh. Gerundens. Paralip. lib. 1. *factum vult, Lusitaniam nimirum, Bæticam, Galleciam, Caribaginensem & Tarraconensem, qvarum intuitu primitus qvinq; ibi metropolitanas sedes erectas credit* Car. à S. Paulo in Geograph. Sacra lib. 7. n. 4. *Emeritensem, Hispalensem, Bracarensem, Carthaginensem & Tarraconensem; sive deniq; hisce qvinq; Provinciis sextam Tingitanam, ex Rufi Festi breviario, aut, ut est in Notitia Imper. Occidental. atq; in indice Sconhofiano, septimam, Baleares, Hispaniarum Diœcesi addas. Ex qvibus Lusitania, Bætica, & Gal-*

Gallecia Consulares Provinciæ, Tarraconensi cum reliqvis Præsidales erant, extatq; Constantini Aug. ad Julianum Præsidem Tarroconensem in l. 1. C. Th. de tempor. cursu & repar. rescriptum. *conf.* Notit. Imper. Occid. *& qvi eam scriptis suis maximè illustravit*, Phil. Berberius Præses Tholosanus eruditiss. Pithan. Diatr. 1. cap. 5. p. m. 61 seq. *Qvem tamen & dictum auctorem Geographiæ Sacræ. JCtus & Polihistor summus,* Jac. Gothofredus, *merito erroris redarguit* in Commentar. ad L. 15. C. Th. de Pagan. Sacrif. & templis &c. *qvæ in Justin. Cod. l. 3. est, qvando in d. L. inscriptione:* Macrobio PP. Hispaniarum & Procliano Vic. qvinqve Provinciarum: *1. vocem Hispaniarum in textum irrepsisse, 2. Macrobium Præf. Prat. Galliarum hic indicari, 3. Hispanias qvinq; provinciarum appellatione hic comprehendi, censent. Eruditè enim demonstrat siglis istis PP. aut tertium P. addendum, aut sine interpunctione si legatur, Pro Præfectum (non Pro-Prætorem, qva* Gutherii lib. 2. de O. D. A. cap. 7. *sententia, cum nullus tum fuerit Hispaniæ ProPrætor.) significari, sive Vicarium, qvi pro Præfectis, diæceses regere dicuntur in* l. 4. C. Th. de Proxim. com. disp. atqve ap. Aurel. Victorem & Ammian. Marcellinum. vid. l. 1. §. 4. ϖ. de legat. 3. *Habuisse autem Hispaniam Vicarium, qvi sub dispositione Præf. Prætor. Galliarum erat, ex Notitia Imp. & ex l. 1. de Burgariis & l. 10. tit. 7. lib. 6. C. Th. patet, talemq; Macrobium hunc fuisse, peremtorio argumento ex l. 61. C. Th. de Curs. Publ. præ-*

extremum usqve vitæ actum, fabulæqve catastrophen, tristem illam qvidem, sed inqva sunt omnia, pervenimus. Obiit enim Augustinus naturæqve concessit, sibi qvidem suo tempore (dici enim non potest, qvam corporis his compagibus cum Paulo solvi optaret) Reip. vero, Ecclesiæqve DEI laboranti, nobisqve nimis præpropere. Ætatis qvidem septuagesimo abiit

---

clarè evincit Gothofredus, ac simul indicat non qvinq, Provincias Hispaniarum hic, sed per Gallias, duas Aqvitanicas, & tres Lugdunenses intelligi debere. Errat igitur Lazius in commentis suis, sive Commentariis Reip. Rom. & cum eo Pancirolus, qvi ex inscript. h. l. Præf. Prætorio peculiaremHispanias habuisse, contra Historiarum, atq, antiqvitatis fidem, temere asserunt. Guther. d. cap. 7. *Et hac qvidem de Provincia Tarraconensi: de Archiepiscopatu, qvi urbem adhuc celebriorem reddit, videndus omnino* Auctor Sacræ Geographiæ libr. 7. num. 10. & Johan. Vasæus in Chron. Hispan. cap. 20. *Baudrand qvatuordecim Urbes Episcopales suffraganeas eidem annumerat, ast non nisi undecim in Notitia antiqva leguntur. Hodie vero Tarraconensis Archiepiscopi metropolitano juri tantum Dertusanam, Ilerdensem, Barcinonensem, Vicensem sive Ausonensem, Gerundensem, Urgellensem seu Urgelitanum, Elnensem sive Helenensem, Celsonensem, & Perpinianensem subjici, testis certissimus* Aub. Miræus de Stat. Relig. lib. 1. cap. 17.

abiit è vitâ. (pp) Cum autem domicilium Romæ Antonius haberet, *Pontificiarum* causarum judex æqvissimus, & qvasi rerum ac fortunarum suarum sedem ibi, si arbitratu suo perpetuo vivere licuisset, collocasset; horis subsecivis, qvibus a negotiis publicis, laxamenti aliqvid dabatur, ad corporis animiqve relaxationem, cum eruditissimis hominibus, qvi domum ejus assiduè discendi gratia freqventabant, *Octavio Paragatho, Gabriele Faerno, Basilio Zancho, Onuphrio Panvinio, Pyrrho, Ligorio, Paulo Manutio,* (qq) *Aldi F. Carolo Sigonio, Latino Latinio, Fulvio Ursino, Metello item Seqvano,* qvi XI. ipsos annos in illius contubernio jucundissimè vixit: cæterisq; domi suæ, qvæ illis oraculum verius Delphico esse videbatur, de urbis Romæ antiqvitatibus, inscriptionibus, numismatis, rerum gestarum memoria, & Scriptoribus antiqvis Græcis atq; Latinis, omniq; adeo Philologia, & interioribus litteris, libenter disserebat, & instar apis

 undiq;

(pp) *Septuagesimum ætatis annum, & qvi amplius excurrunt duo tresve menses Augustino finem vitæ attulisse cum Schotto,* Thuanus Histor. lib. 84. Pancirolus lib. 2. de Clar. Legum interpret. cap. 188. *memorant: Bucholcerus qvidem & Petr. Joh. Nunnesius an. ætat. LXIX. ponunt, sed verior videtur priorum opinio, præsertim cum eam epitaphium Tarracone ipsi positum & infra ex Bullartio adjectum confirmare videatur.*

(qq) *Cujus lib. 2. extant epistolæ 6. 7. 8. 9. 10. ad Augustinum scripta, laudis ejusdem ubiq; referta.*

undiq; decerpebat, qvibus Spartam qvod ajunt, illustraret suam. Hoc otium *M. Varronem, & Festum Pompejum* illustravit, (*rr*) aliisq; ut legi & intelligi possint, & calamistris munerent ii, qvi majori & otio abundabant, & subsidio, in manus tradidit: nullum deniq; acroama jucundius, qvam hujusmodi litteratissimorum virorum in exedra

(*rr*) *Cum P. Diaconi culpa effectum sit ut in Festo Festum ipsum difficile sit agnoscere. Huic rei qvidem teste summo Criticorum* J. Lipsio var. lection. libr. 3. c. 27. *Ant. Augustini diligentia qvam vehementer incitabat P. Mann.* libr. 9. & 10. *magnam opem attulit, vid.* Dionys. Gothofr. admonitio in Sext. Pompej. Festum. *Qvippe qvi multa Festi propria loca, ex vetutissimis membranis restituit, atq; ex ingenio etiam & opinione sua qvadam emendavit. Sed qvanqvam ille optimis aliqvibus libris usus sit, & ingenio ac judicio in veterum scriptis tanto sit, qvantum in paucis cognoscatur, videtur tamen ipsi, eum pauca vel fugisse, vel præteriisse. Qvare post Augustinum.* Jos. Scaligeri *atq;* Fulv. Ursini *opera insignis Festum emendatiorem dedere, ita tamen ut* Andr. Dacerii *eruditioni atq; industria plurima adhuc emendanda & restituenda in Festo relicta fuerint. De qva editione vid.* Acta Eruditor. Lipsiens. An. 1682. mens. Jun. p. 174. *Varronis autem Augustinum nostrum vindicem, assertorem, patronumq; unicum habendum, imo ejus potius Æsculapium existimandum, testatur* Turneb. li *b*. . Adversar. cap. 17.

exedra consessum atqve coronam; nullum Senatum præstantiorem sibi videri dicebat. Merito itaq; a nostri sæculi prudentibus Augustinus, ut apud M. Tullium *Q. Mucius Scævola, Jurisperitorum eloqventissimus & eloqventium Jurisperitissimus*, publicis in Scholis (fremant licet omnes æmuli & indocti homines) honoris gratia nominatur. Magna vero & pæne incredibilis in eo ad extremum usq; spiritum memoria, (qvæ est Jurisconsultorum propria,) semper viguit, aucta assiduis lucubrationibus, discendiq; cupiditate: qva una re veterum videatur concessisse nemini: ut qvantum ætate mala vires magis minuebantur, eo animus indies, magis magisq; crescebat doctrina: & hebetata oculorum acie, animus verum cernebat acutius. Ut autem adolescens Jus civile egregie & illustravit, Augustinus, & aliis viam, qvam insisterent, monstravit, munivitq; sic matura jam ætate atq; judicio, Jusqveq; Pontificium eadem alacritate, ut sacerdotem, Episcopum atq; adeo Christianum Jurisconsultum decebat, accurate sibi recensendum emendandumq; putavit. Adhæc, ex qvo Tridentino Concilio domo revertit, Concilia Oecumenica qvatuor, qvæ B. Gregorius Pont. Max. qvatuor Evangeliis subjungere & æqvare non dubitavit. collectis in Italia ex omnibus Bibliothecis exemplaribus Græcis, Græce edere cogitabat. (ſſ) Qvod ea canonum col-

 lectio.

(ſſ) *In apparatu horum conciliorum, qvod dolendum maximè, animam Augustinum nostrum DEO red-*

lectio, eo magis indigere hac lucubratione videretur, qvo infeliciori nata erat sæculo, excompilationibus Burchardi Wormatiensis, Ivonis Carnotensis. Deus dedit Cardin. Anselmi Lucensis,

reddidisse, *auctor est* Thuanus Histor. Libr. LXXXIV. *Sunt autem qvatuor ista Concilia œcumenica, de qvibus tam magnifice sentit Gregor. lib. 1. ep. 24. registri ap. Grat. c. 2. dist. 15. & qva Isidorus Episcop. Hispal. lib. 6. Etymol. cap. 16. instar qvatuor Paradisi fluminum totam principaliter fidem complecti scribit*, Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. & Chalcedonense I. *Qvæ Gregorij & Isidori verba, num etiam ad qvatuor posteriora Concilia œcumenica pertineant, disqvirit* Ant. Augustinus libr. 2. de emend. Grat. dial. 6. p. m. 400. *& ipse qvodammodo dubitare videtur; Falsum certe esse Innocentium III. dilucide ibi notat, qvando in cap. 11. de renunc. qvod in Coll. 3. cap. 5. est, uni ex qvatuor Principalibus Conciliis Catholicæ Ecclesiæ tribuit Canonem C. Polit. Concilij, qvo Episcopis vitam Monasticam amplexis, reditus ad eandem dignitatem probibetur. Qvem errorem non animadvertisse Anton. Dadin. Alteseram do ctiss. Antecessorem Tholosanum in Commentar. ad d. Pontif. Decretal. miror eqvidem. Ostensum enim jam est à Criticis Gregorianis ad Can. 45. VII. qv. 1. non Concilij Constantinopol. sed illius sub Joh. VIII. à Photio Patriarcha in templo S. Sophiæ habiti, ex tribus à Balsamone & Gvil. Beveregio in Actis hujus Concilij, editis, secundum hunc esse Canonem. Qvod*

Quod & Gonzalezius in not. ad d.cap.11.n.4. *observat, ac insuper videri potest* Petr. de Marca de Concord. Sacerdot. & Imperii lib. 5. cap. 21. §. 12. *Quatuor hæc Concilia, (quorum & sequentium quatuor œcumenicorum picturam in Vaticana Bibliotheca,* Angelus Rocha in Bibl. Vatican. p. 57. *seqq. describit) cum apud Collectores conciliorum, de quibus Acta erudit. Lipsiens. Ann. 1684. pag. 348. consuli possunt, reperiuntur; tum inprimis in Codice antiquissimo Canonum Ecclesiæ universæ Græce & latine legi possunt. Quod vetustissimum Ecclesiæ monumentum, pristinæ integritati restituit & ab interitu vindicavit vir Ecclesiasticæ ἀρχαιολογίας peritissimus* Christoph. Justellus, *additis notis & præmissa eruditiss. præfatione Paris. 1610. 4o. iterumq; publicavit filius ejus,* Henricus Justellus cum Gvil. Voello in Bibliotheca Juris Canon. veteris Parif. 1661. *ac denuo recusum cura doctiss.* Gerhard. Theodori Meieri *Helmstad. 1663. 4o. cum ejusdem relatione Historica de Collectionibus Canonum. Continentur autem hoc Codice universæ Ecclesiæ, alio & diverso plane, â Codice Ecclesiæ Orientalis, post Trullanam Synodum edito & ex Manuscripto Ecclesiæ Pictaviensis à* Joh. Tilio *Meldensi Episcopo, in lucem iterum protracto,* Strauch. diss. de Orig. Jus. Can. §. 5. & in Amœn. Jur. Can. Ecl. 1. cap. 1. Mastricht. Histor. Jur. Ecclesiast. n. 63. & 64. *Canones Concilii Nicæni XX. Ancyrani XXV. Neocæsariensis XIV. Gangrensis XX. Antiocheni XXV. Laodiceni LXX. Constantinopolitani VII. Ephesini VIII.*

Chal-

Chalcedonensis XXIX. ac ita ducenti septem canones una continuata numerorum serie, de qua Jac. Leschass. rii!consultatio de controversia, inter Paul. V. & Remp. Venetam consulatus. *Perstringit qvidem titulum, huic Codici à Justello inscriptum,* Fransf. Florens in Diss. de Orig. Jur. Canon. P 2. *dum specioso & generali nimis titulo, ita decorari eundem scribit, cum cautius & prudentius inscribatur Collectio Canonum Orientalium, qvia plurimorum Conciliorum Canones in eo omissi; sed excusat patrem Christophorum, Henricus Justellus in* Præf. Biblioth. Jur. Can. *levesq; Florentis rationes putat: cum necesse neutiqvam sit, ut illa Collectio, qva Codicis universæ Ecclesiæ titulo gaudeat, omnes Conciliorum canones, à singulis Ecclesiis receptos, & editos compleatur, sed sufficere videatur, qvod primis Ecclesiæ temporibus, qvibus editus fuit hic Codex, illo solo nec alio uteretur Ecclesia universalis in disceptandis de disciplina controversiis. Recte tamen à Meiero in* relat. Histor. de Collect. Canon. *observatus, ab initio hunc Codicem non ab universa Ecclesia, sed à sola Græca usu receptum fuisse. Nam Romanam diu nec Constantinopolitanos, nec Ephesinos, nec Chalcedonenses canones admisisse, & cum eos admisit, fecisse tantum dicis causa. Hinc Codicem canonum Ecclesiæ Romanæ per* Joh. Wendelstinum *Moguntiæ primum Anno 1525. & Parisiis 1609. postea editum, tres modo Constantinopolitanos, nullos Ephesinos, non omnes, sed Ecclesiæ Romanæ accommodos Chalcedonenses Canones habere. Qvare non immeritò Christ. Justellum, Dn.* Mastricht. in Histor. Jur.

Eccles.

Ecclef. n. 46. *reprehendit, qvod in Præfat. hanc Moguntinam & Parisinam editionem, Codicem genuinum universæ Ecclesiæ complecti crediderit: præsertim cum in notis p. 221. edit. Helmstad. Canones Ephesini Concilii in Codice Moguntino desiderari & ejus loco Synodicam epistolam Ephesini Concilii, una cum XII. capitulis contra Nestorium Wendelstinum adjunxisse scribat, qvæ tamen non sit Ephesini concilii, sed Cyrilli duntaxat & Synodi Diœceseos Ægypti. Cæterum qvod auctoritatem hujus Codicis attinet, hoc singulare in eo Florent. animadvertit eandem vim & robur qvinq; particularia Concilia in illo contenta in judiciis ecclesiasticis obtineant, atq; ipsa qvatuor œcumenica, adeoq; inter ea non esse distingvendum. Qvippe qvæ uno volumine continentur, & à concilio œcumenico confirmata sunt, nimirum in can. 1. Chalcedonensis concilii: Canones qvi à sanctis Patribus in una qvaq; Synodo, hucusq; constituti sunt, observari æqvum censuimus: qvæ verba cum generaliter & indistincte observantur de omnibus Synodis, recte qvoq; de particularibus illis qvinq; accipienda, uti* Zonaras & Balsamo *notant ad d. can. sigillatim tamen postea, ne qva inde difficultas oriretur, in duabus Synodis œcumenicis VI. can. 2. & in VII. can. 1. particularium conciliorum nomina, qvæ confirmantur fuere expressa. Cui confirmationi qvoq; Occidentalis Ecclesia in can. de libellis Dist. XX. consensit. Neqve canones hujus Codicis auctoritatem tantum canonicam à Synodorum confirmatione, sed insuper civilem & vim legum Sacratissimi Imperatoris nostri Justiniani con-*

constitutione in Nov. 131. cap. 1. *sunt adepti: Ubi per* κανόνες ἐκτεθέντας *intelligi illos, qvi qvatuor œcumenicis expositi seu in formam Canonum redacti fuerant, per* βεβαιωθέντας *vero canones priorum qving; provincialium conciliorum, qvi in Codice Ecclesiæ universæ continebantur, ab ipsis qvatuor conciliis confirmati, à* Chr. Justello in Præfat. Florente in d. P. 2. Strauchio in Amœn. Ecl. 1. c. 1. *demonstratum. Nec aliter hanc Novellam interpretatur* Theod. Balsamo ad cap. 2. tit. 1. Nomocan. Photii. *Ut proinde recte Strauchius reprobet Rittershusii aliorumqve sententiam, qvi tantum qvatuor œcumenica concilia à Justiniano approbata putant. Sed de hujus Codicis collectione, aliisq;, tum anterioribus tum posterioribus antiqvis canonum collectionibus tam orientalis qvam occidentalis Ecclesiæ, præter laudatum sæpius Strauchium* in Amœn. Ecl. 1. cap. 1.2.3.4.5.6. *vid* Fr. Florens Diss. de Orig. Jur. can. P. 2. & 3. Justelli Præfatio & Meieri relat. Histor. *ac inprimis* Mastricht in Histor. Jur. Eccles. *Illud adhuc monendum in Codice isto universæ Ecclesiæ, pro authentico antiqvis semper & recentioribus habito, plures qvam XX. canones Nicænæ Synodi non reperiri. Et viginti qvoq; tantum numerat ipse codex Romanus Moguntiæ editus, & can. 13. dist. XVI. licet enim cap. præcedens septuaginta canones statuat, tamen nec ipse Ant. Augustinus libr. 1. de emendat Grat. Dial. 20. qvid certi de illorum numero definire audet, & Sardicenses canones pro Nicænis habitos fuisse vult, & Contianum Scholium à Correctoribus Romanis deletum, qvod pro suppositititiis reliqvos canones*

nes habet, frustra infringere conatur. Nam geminas illas Athanasii & Marci epistolas, tanquam spurias & suppositities, qvippe non antiqvioris, sed mediæ ætatis Ivonis Carnotensis testimoniis fundatas, cum Baronio rejicit Cabassutius in Diatrib. de numero Canon. Nicæn. n. 2. & 6. *non secus ac Ægyptiorum Episcoporum epistolā ad Felicem II. Accedit qvod viginti tantum Canones Cæcilianus Carthaginens. Episcopus ex Nicana Synodo, cui ipse interfuit, domum retulerit; neq; major eorum numerus in exemplaribus Nicanæ Synodi Attici C. Polit. & Cyrilli Alexandrini Episcop. in Synodo Carthaginens. A. C. 419. prolatis.* doctiss. Gvil. Bevereg. in Synod. ad d. Conc. Carthagin. & Cabassut. in al. Diatrib. n. 1. *Gelasius quoq; Cyzicenus in Actis Nicani concilii XX. solum canones refert, & de totidem saltem testatur Historiæ Ecclesiasticæ scriptor eximius,* Theodoretus lib. 1. cap. 8. *Qvamvis enim Rufinus viginti duos hujus Synodi canones enumeret, non tamen ideo numerum constitutionum auget, sed duas duntaxat partitur. Dederunt qvidem* Alphonsus Pisanus, & Franciscus Turrianus *Jesuitæ, LXXX. canones Nicanos ex Arabico translatos, qvos ab Alexandrino Episcopo, duos Pii IV. Pont Max. legatos retulisse ferunt; sed pro veris hos non agnoscit ipse Augustinus in d. Dial. 20. & falsos atque suppositios esse, vel exinde Cabassutius d. l. n. 8. & seqq. dilucide ostendit, quod Canones illi Arabici, ex vicenis illis indubitatis canonibus adversentur; v. gr. can. arab. 36. qvo Episcopus Æthiopicus Alexandrino subjicitur, cui tamen Nicani Patres*

Juris-

lectio. eo magis indigere hac lucubratione videretur, qvo infeliciori nata erat sæculo, excompila-

Jurisdictionem omnem intra Ægypti Libyæ & Pentapolis fines limitant, idem ex can. arab 37 & 38. probat. Beveregius præterea in annotat. ad procem. & paraphrasin Arabicam in Canon. Concil. Nicæn. p. 211. & 212. *ab ipsis Ægyptiis in qvæstionem hos octoginta canones, vocari, erudite ibi & ex manuscr. Ægyptiorum docet, ac plerosq; non nisi XX. agnoscere, reliqvos vero, à Melchitis & Nestorianis introductos esse. Inde facile judicium fieri poterit de* Abrahami Echellensis Maronitæ *versione LXXXIV. Canonum Nicenæ Synodi & Dissertatione de eorum auctoritate, qvæ in Tom. II. Conciliorum edit. à Labbeo & Cossartio p. 393. legi poterit.*

Procul dubio error ille, seu fraus omnis de octoginta Nicænis Canonibus, *ex fraudulenta Zosimi Pontif. Collectione orta, qvæ continebat Nicænos XX. Amyranos XXV. Neocæsarienses XIV. Sardicenses XXI. omnes numero LXXX. Hanc collectionem sub Nomine Canonum Nicænorum callide Patribus CCXXVII. in Synodo sexta Carthaginensi congregatis obtrudere, conabatur, & inprimis ut Sardicensis Concil. can. 4. qvo appellatio ad Romanum Pontificem conceditur, confirmaret; sed irritus hic fuit conatus, & allatis authenticis Attici & Cyrilli concilii, Nicæni exemplaribus, fraus ista delecta, ac principio statim hujus Carthaginensis Concilii 20. tantum Canones probati & recepti sunt. Vid.* Meieri relat. §. 7. Mastricht, histor. Jur. Ecclesiast. n. 67. & 68.

pilationibus Burchardi Wormatienſis, Ivonis Carnotenſis, Deus dedit Cardin. Anſelmi Lucenſis, & Gratiani monachi: (tt) qvi & ipſi, ex Sanctorum Patrum Eccleſiæ Catholicæ ſcriptis, hinc inde Sententias in claſſes redigere, & ad capita revocare conati ſunt. Qvemadmodum ante ex infinitis prope veterum prudentum reſponſis, Tribonianus I. C. Juſtiniani Imp. Juſſu, Pandectarum volumen collegerat, extinctis veterum, unde tabulas illas naufragii deſumſerat, libris. Sed cum utriqꝫ â librariis temporumq; injuria malè accepti ſint, melior tamen Gratiani conditio fuit, qvod ejus fontes integri exſtent, Pandectarum vero maximam partem perierint, exceptis nuper in Gallia repertis, *Cai, & Ulpiani* L *inſtitu-*

(tt) *De antiqvis hisce aliisq; Canonum collectionibus Eccleſiæ occidentalis hic plura & ſingularia addi poſſent, ſed cum ad reliqvorum qvoq; JCtorum vitas properandum ſit, conſuli de iis poterunt doctiſſ. ſeculi noſtri Canonici Juris interpres* Franc. Florens. in Diſſertatione de Origin. arte & auctor. Jur. Can. P. 2. *qvæ à Dn. Maſtricht in Hiſtor. Jur. Eccleſ. n.65. longe lateq;, ſed fruſtra conqviſita, Parti primæ ejus Operum Pariſiis 1679. à J. Doujatio editorum, præfixa comparet,* Steph. Baluzius in Præfat. ad Ant. Auguſtin. de emendat. Gratiani §. 17. & ſeqq. Eman. Gonzalez Tellez Anteceſſor Salmanticenſis in Apparatu de origin. & progreſſu jur. Canon. §. 46. 47. 48. 49. 50. Maſtricht Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici.

institutionibus, fragmentisq; legum. (*uu*) *Juliani* item

(*uu*) *De fragmentis legum & reliqviis veterum JCtorum, qvæ in unum volumen collecta edidit* S. Leewius doctiss. JC. Lugd. Batav. 1678. 8. *eruditissime disserit* Jac. Gothofr. in Biblioth. Jur. civ. Rom. cap. 1. & 2. *atq; Caji, è cujus Institutionum libris qvatuor, qvæ supersunt* Jac. Oiselius JC. Lugd. Bat. 1658. in 8o. *cum doctiss. notis edidit, & Ulpiani à Schotto hic enumeratis fragmentis, inprimis addenda Collatio legum Mosaicarum & Romanarum, à* Petro Pithœo, *summo librorum antiqvorum & veritatis puriorisq; doctrinæ investigatore, in lucem primum ex antiqvissima Seqvanorum aut Mandubiorum potius Bibliotheca, in qva per annos octingentos & amplius latuerat producta, teste Cujac. 13. O. 10. editaq; Lutetiæ ejusdem notis luculentis A. 1572. Auctorem ejus Licinium Rufinum JC. esse credidit Tilius, Cujacius & Bertrandus; sed rectè à Pithœo judicatur tanti hanc collectionem non esse, qvæ aut Licinii, aut JCti alicujus paulo clarioris ingenium & acumen desideraret; & Gothofredus in* Bibl. Jur. c. 2. n. 10. *professione JCtum non fuisse colligit, ex præf. tit. 7. Vixisse autem hic compilator, qvicunq; tandem sit, Christianus certe, prout ex suscepti argumenti ratione constat, videtur Pithœo Theodosii Junioris temporibus, post consulatum qvidem ipsius XV. (f. XVI.) qvo Codex Theodosianus, ex qvo constitutionem unam retulit, editus legitur, habetq; hac in parte consentientem* Brocum in Histor. Jur. Chronol. & Gothofr. d. c. 2. *Qvi*

tamen

item Antecessoris *Constitutiones,(xx) & Theodosianu* L 2 *codex*

tamen in Prolegom. Cod. Theodos. cap. 3. *mutata sententia, sexti seculi scriptorem & Cassiodori coævum ex styli paritate putat:* Parerg. *Monacho cuidam ante Justiniani tempore hoc scriptum tribuente, quod etiam* Frehero 1.9. *jam placuisse videtur. De utilitate hujus libelli triplici, utroq; loco apud doctiss. Gothofr. plura leguntur, ubi simul eo animo compilatorem istum scripsisse existimat, ut à Romana Jurisprudentia, veterumq; JCtorum scriptis, Imperatorumq; Constitutionibus, homines ad sacram scripturam ceu fontem juris traduceret: & forte etiam ut JCtorum fastum reprimeret.*

(xx) *Julianus hic Antecessor fuit Constantinopolitanus, non Patricius aut & consul, quod* Svaresius in Notit. Basilicorum, & doctiss. Strauchius in dissert. de Beryto cap. 4. §. 13. *sed absq; certo fundamento statuunt. Quamvis enim hoc nomine ab Alciato appelletur* lib. 2. Parerg. cap. 46. *Rectè tamen animadvertit Augustinus noster in Præfat. ad Juliani Constit. & ex eo Broeus in Histor. Jur. Chronol. confundi ab Alciato hunc Julianum cum eo, cui iisdem titulis Prisciani libri inscripti extant; propterea quod Prisciani libri sub ejus discipulis descripti sint An. 527. ultimo Imperii Justini Imp. anno, Mavortio consule, illius autem consulis annus præcedat collectionem Novellarum, post mortem Justiniani demum factam, quinquaginta pene annis. Rejiciunt quoq; laudati auctores eorum opiniones, qui Præfectum Prætorio, ad quem aliquot Græca Constitutiones Lampadio & Oreste* Coss.

Coff. datæ leguntur, vel constantiensem fuisse & temporibus Irnerii epitomen Novellarum scripsisse putant; cum priorem qvidem sententiam ratio temporis non patiatur, neq; eo nomine se appellasse epitomatorem nostrum in ullis veterum libris reperitur; alteram vero plurima antiqvorum scriptorum testimonia & præsertim Ivonis Carnotensis qvi verba ejus refert, evincant. Vertit autē hic Julianus Novellas Justiniani latinè, non qvidem integras, & ad verbum, sed in epitomen contractas, resecatis prologis & epilogis; eoq; libro sub Novellarum, non Juliani nomine, Irnerius, Bulgarus, Azo, Johannes Accursius cæteriq; interpretes usi sunt. Græce & latine doctissimum fuisse Strauchius d.§. 12. & 13. *asserit, ad eumq; spectare* Theæteti *epigramma*,

Τȣ̃τον Ιȣλιανὸν, νομικῆς Φα〈ό〉ς· εἶπον ἰδȣ̃σα,
Ῥώμη καὶ Βερόη, πάντα Φύσις δύναται.

qvod Alciatus statuæ inscriptum lib. 2. Disp. c. 27. & *qvi eum seqvuntur Salvio Juliano, Edicti perpetui conditore, minus recte tribuit. Refert Svaresius c. l. hanc Juliani epitomen ab Ambrosio Calmadunensi, Mantuæ repertam sub titulo Joh. Consulis de variis qvæstionibus; editamq; primitus cum Longobardorum Legibus à* Nicolao Boerio. *Post* Ludovic. Miræus, *adjutus inprimis Æmar. Ranconeti, admirabili & stupenda disciplinarum omnium, juris potissimum civilis, ac utriusq; literaturæ cognitione, præditi viri, atqve Cujacij & Ludov. Russardi, vetustissimis ac integerrimis exemplaribus, hasce Juliani Constitutiones pleniores correctioresqve Lugduni 1560. edidit. Hanc secuta* Antonii Augustini *nostri editio, Ilerdæ 1567. una cum paratitlis, Indicibus, variis*

lectionibus & obscurorum verborum Juliani significationibus. Cui tandem successit Basileensis A. 1576. fol. ap. Pernam ex Bibliotheca Petri Pithoei, *qvi in Præfat. Mirai editionem, ut pleniorem, reliqvis præfert, multaq; ad Augustini diligentiam accessisse credit, si de ea inaudiverit illud Hispaniarum ornamentum, vid.* Gothofr. Biblioth. Jur. cap. 4. *Usum harum constitutionum Anton. Augustinus noster in Præfat. ad Julianum ita commendat:* Post divini, & humani juris conditores, ii qvi propius absunt ab illis, qvi leges conscripserunt, ut pote qvi verbis utuntur communibus, & sensa norunt legum latorum, habere debent apud nos majorem in eisdem legibus interpretandis auctoritatem. Illiqvoqve, qvi in singulis artibus, aut disciplinis ita excellunt, ut principes dicantur, & duces aliorum, auctoresve familiæ; in maximo honore sunt: qvales Cassianorum & Proculeianorum Longinus, & Proculus. Sic postea ex Papiniani domo, tamqvam ex eqvo Trojano plurimos nostri juris auctores ortos fuisse novimus. Qvæ cum ita se habeant; ea Juliani nostri vetustas est, ut vel Sola ejus auctoritas maximum apud omnes pondus habere debeat. Itaqve cum eadem dicit, qvæ ceteri, possumus eadem pro certis ducere, neqve aliqva ratione dubitare, cum tanto testimonio confirmentur. Cum vero solus est in sua sententia; verisimile est non sine causa motum esse, & nisi contrarium certa ratione, aut scripto legum constet, probabilius

Codex (yy) in partem juvant: juvant & Græci, qvi Romanorum leges Græce exſcripſerunt, Theophilus, Hamenopolus, & βασιλικὰ qvæ vocan-

---

eſſe debet, id verum eſſe. Sed fingamus eſſe qvædam aut ſupervacanea, aut etiam falſa: qvotus enim qvisqve liber hujusmodi nævis caret? at ea eſt utilitas ceterorum, ut condonari debeant, ſi qvæ hujusmodi reperiantur. Erit fortaſſe, qvi ordinem accuſet rerum tractandarum; cum de eadem re diverſis conſtitutionibus agatur: & cum eadem conſtitutione de rebus variis conſcribatur. Ad id non Juliani magis, qvam Juſtiniani erratum eſt, & libri Novellarum conſtitutionum collectoris, in qvo non ſolum non ea diſtincta ſunt, qvæ tractantur, ſed ne ipſæ qvidem conſtitutiones ſecundum ordinem temporum collocatæ ſunt. *Qvapropter non immerito ſummus Cujacius 8. O. 40. cum propter antiqvitatem, tum propter eruditionem hominis, eos iniqvo fert animo, qvi veterem hunc Novellarum interpretem rejiciunt temere ac aſpernantur.*

(yy) *Nobiliſſimum omnium Codicem Theodoſianum merito contra iniqvum* Amayæ Salmanticenſis Anteceſſor. *judicium defendit editor ejus noviſſimus* Anton. Marvillius, in Præfat. *egregieq; utilitates docet, qvæ partim inde ad Juſtinianeum, atq; adeo ad fori uſum rerumq; actum redire poſſunt; partim qvæ ad Hiſtoriæ lumen & Politicam ejus ævi faciem faciunt. De Cujus compoſitione, autoritate, uſu aliisq; ad codicem hunc ſpectanti-*

us

vocantur. (zz) Sacro vero Juri Illuſtrando, poſt duos Antonios Gallos, *Democharem & Con-*

L 4 *tium*

bus, legenda viri eruditiſſimi ſui ſæculi, & interpretum Principis Jac. Gothofredi Prolegomena, *variæ & ſingularis eruditionis pleniſſima; cujus de hoc Codice inſignis locus in* Diſs. de Interdict. Chriſtianorum cum Gentil. commun. *extat, qvem hic adſcribere non pœnitebit:* Qvod unum, *inqvit,* & ſincerum hodie conſtitutionum Imperatoriarum ἔδαφος ſupereſt, imo ſacrarium, qvod non ſine multiplici initiatione, perq; majora myſteria, unqvam adiri poteſt.

(zz) *Magna ex parte acceptam ferre nos debere accuratiorem juris civilis cognitionem Interpretibus Græcis, eorumq; fere legum interpretationes præferendas* Fr. Balduinus & Viglius *jam pridem docuere: qvi poſterior una cum* Gregor. Haloandro *primum libros Juris Græcos JCtorum ſcholis intulere, plura hac in parte & præclara qvavis præſtituri, niſi hunc præmatura mors, illum vitæ ratio aliò traxiſſet. Qvibus tamen in hoc inſigni ſtudio, duo ſumma illa prudentiæ Græcæ nomina,* Enim. Bonefidius, *&* Joh. Leunclavius *feliciter ſucceſſere. Neq; mirum Græcos præferendos, cum plurimi paulo poſt Juſtinianum vixerint, & in ipſa qvidem urbe Conſtantinopolitana, qvæ, cum Berytenſium metropolis terræ motu interiiſſet, Romæ autem legalia ſtudia ob continuas barbarorum incurſiones neglecta jacerent, (neq; enim aliis locis*

qvam

qvam tribus hisce Jus civile sub denarum auri librarum pœna, doceri debebat per Constit. Omnem §. 7.) *una supererat, verba sunt Balduini in* Protheoria Novell. *& Imperii & Studiorum sedes, nostrarumq; Legum custos fidelis; atq; in ea adhuc extabant integri libri veterum JCtorum, ex qvibus commodissime potuerunt cum certas legum interpretationes haurire, tum saniores & purgatiores scripturas observare Voluminum Justinianeorum, qvas nondum corruperat scribarum incuria, ut Basilicorum præcipue & Vulgarium Codicum collatio manifeste demonstrat. Vid.* Galvanus in Præfat. ad Dissert. de Usufr. *Sed de Interpretibus Græcis inter qvos* Thalelæus *Cujacio 13. O. 33. doctissimus & τῆς νομικῆς ὀφθαλμὸς audit, ac præsertim de libris ad Post Justinianeam* atq; adeo Græcam *jurisprudentiā pertinentibus, ac nominatim de vasto illo Basilicorum opere, (de qvo inclemens libet judicium apud Dn. Taborem in Racem Crimin. ad tit. arbor. furtim cæsar. th. 15. p. 418. reperiatur, ex hisce tamen fontibus insignem illam, & invidendam propemodum in jure Civili scientiam, hausisse Cujacium credit* Hagemeierus libr. de author. Jur. civ. & can. cap. 5. in fin. *& Fabrotus omnia fere observatu digna, inde in aureos suos observationum libros transtulisse eum testis est in* Præf. Basilicorum,) *alibi forsan commodius dicetur: videri, interim poterit* Gothofr. in Biblioth. Jur. cap. 5. & 6. *&* Svaresius in Notitia Basilicorum. *Illud de* Constantino Harmenopulo, *Nomophylace & Judice Thessalonicensi, qvem primum Theodor. Amad. Svallembergius Græce edidit*

tium (aaa) qvi in Gratiani collectaneis elaborarunt Ilerdæ *Collectiones antiqvas integras* Aselmi Lucensis, ut dixi, foras dedit, opus rarum & L 5 utile.

---

didit Parif. 1540. â Schotto hic adducto, notandum, non seculo duodecimo hunc JCtum floruisse, qvod Freberus, Svaresius, Broeus, Gothofredus, ac Philip. Labbe censuere, sed sub imperio Annæ Palæologinæ filiiq; ipsius Johannis Palæolog. circa A. C. 1345. vixisse & scripta composuisse, præclare observat doctiss. Lambecius in Commentar. Biblioth. Vindobon. Cæsar. libr. 6. P. 1. p. 39. seqq. *adducto hanc in rem ex Cod. manuscr. Philothei, Patriarchæ Constant. testimonio.*

(*aaa*) *Laudabilis sane fuit duorum istorum* Antoniorum *Gallorum, qvibus tamen merito qvoq; suos illustres Antonios,* Augustinum *&* Goveanum *opponit Hispania, industria, qvam in emendatione Gratiani ante Augustinum & Romanos censores posuere: Et vel maxime in Præfatione editioni Corporis Juris canonici â se adornatæ, præmissa, Contius ostenderat multa ex incertis & suppositititiis scriptis in suam collectionem inseruisse Gratianum; qvam tamen qvod Curiæ Romanæ adversa videretur mutilaverat Antverpiensis librorum censor, de qvo ipse Contius conqveritur* lib. 1. lect. subcesiv. c. 10. Blondell. in Prolegomen. Pseudo-Isidori cap. 19. p. 111. *Vestigia tamen fraudis in fin. Præfat. secundæ Contii supersunt, in qva aperte profitetur, apocrypha & com-*

utile. (*bbb*) Qvadraginta ad hæc dialogis *de Gratiani*

---

mentitia plurima Gratianum collectioni suæ admiscuisse. Qvod & repetit in not. ad C. Septuaginta Dist. XVI. & ad inscriptionem c. 2. Dist. XXI. ibi: Item Anacletus: ubi qvod inducitur Contius, majorem se reqvirere probationem (qvod forte Demochares addidit, vel Antverpiensis corrector,) ipse præstiterat in sua præfat. sicut ostendunt notata ab eo ad C. judicantem XXX. qv. 5. Qvare jam intelligi poterit cur Augustinus lib. 1. de emendat. Grat. cap. 20. in fin. *fraudis hujus Antverpiensium forsan ignarus, Contium ea de re nihil in Præfationibus suis habere scribat, credatq; Scholium can. septuaginta additum, Molinæi non Contii esse, cujus tamen revera est, si loca citata ex editione Antverpiana diligenter comparentur.* Fr. Florens in Præf. de method. & auctoritat. Collect. Gratiani. *Ubi simul addit Romanos correctores notas Contii ad dictos Canones omisisse, & cautius qvidem qvam Antverpiensis censor, qui Præfationem qvidem mutilasset, notas vero citatas imperite reliqvisset, in qvibus idem dicebatur qvod in Præfatione. Notat præterea, Contii editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuisse in editione Antverpiensi absq; delectu, ita ut non raro pugnantia inter se inserta fuerint. Neq; enim eandem semper fuisse Democharis sententiam qvam Contii, qvi & longè eruditior & ingeniosior erat.*

(*bbb*) *In annotationibus ad p. 144. lit. (ll) jam ostensum est, falso Antiqvas collectiones, ab Augustino primum*

mum editas, Anselmo Lucensi adscribi à Schotto nostro, cum eum ipsum, non inter Decretalium, sed potius Decretorum collectores referat Augustinus, & in Præfat. collectionibus istis præmissa, satis indicet qvatuor esse decretalium compilationes, qvæ post Gratiani Decretum colligi cœpere. Illarum prima tempore Alexandri III. P.M. approbata, auctorem habet. Bernhardum Circam, Papiensem Præpositum, *post Faventinum Archiepiscopum, unum ex tribus Bernardis Jure Canonico claris, qvorum alter Parmensis, alter Compostellanus. Extant in primam hanc doctissimæ Augustini nostri & luculentæ notæ. Alteram adornavit qvidem* Gilbertus Abbas & Alanus Antisiodorensis Episcopus, *sed nomen iis præripuit* Johannes Gallensis *vel* Vallensis *Volaterranus, qvæ XII. ann. post primam prodita Alexandri IV. compilatio dicitur. Tertiam à* Bernardo Compostellano *ex registris Innocentii III. sub nomine Romanæ Compilationis cœptam, publica primum auctoritate ejusdem Pontificis, an. XII.* Petrus Beneventanus *edidit. Qvarta est ejusdem Innocentii in qva & LXXI. capitula Lateranensis Concilii, & reliqva hujus Pontif. rescripta, per qvinq; annos à tertia collectione, emanata, continentur. De his atq; seqventibus antiqvis Decretalium collectionibus, qvas post primam Augustini editionem ope Codd. Jac. Cujacii & Nicolai Fabri auctiores emendatioresq; fecit Cl.* Carol. Labbæus, *ac cæteris qvæ qvatuor ipsas insecutæ sunt, legi possunt præter Augustinum* in d. Præfat. Franc. Florens in Dissert. de Orig. arte & auctorit

ctorit. Jur. Can. *P. 3. p. 34.* & in Præfat. de method. & auctorit. collect. Gratian. Gonzalez Tellez in Apparat. de Origin & Progressu Jur. Canon. n. 51. & seqq. Strauch. Dissert. de Orig. & libr. Jur. Canon. §. 14. & seqq. & in Amœnit. Jur. Can. Eclog. 1. cap. 8. & 9. Mastricht in Histor. Jur. Ecclesiast. n. 338. & 346. seqq. Duck de author. Jur. civ. lib. 1 cap. 7. n. 6. seqq. Riccius de Juris Rom Qval. & Qvant. aphor. 77. *Usum harum collectionum Jurisprudentiæ Canonicæ Professoribus, non saltem tanqvam utilem sed etiam necessarium, cum ex fontibus ipsarum decisionum rectius veritatis cognitio hauriatur, suo exemplo injungit* Gonzalezius d. l. n. 53. *Qvod & ante eum summus Cujacius sæpius docuit, sine illis vix posse qvenqvam bene jus Canonicum interpretari. Antiqva enim Decretalis semper plenior & integrior, cum Raimundi plerumq; omnes decurtatæ adeoq; supplendæ, declarandæ & illustrandæ sint ex antiqvis collectionibus, eoq; recurrendum, ubi vel textus emendandus, vel decretalis in dubium vocatur.* Alber. Gentil. de libr. Jur. Can. cap. 3. Strauch. Amœn. Jur. Can. Ecl. 1. cap. 14. *Sed huc potissimum spectant verba ipsius Augustini in* Præfat. Collectionum ad Gregor. XIII. *Nam & ipsa illa antiqvitatis cognitio, ut in cæteris rebus proprius accedit ad ipsarum rerum originem, & ut fontium purior est haustus, sine illis sordibus, qvæ in rivulis & Lacunis hærere solent, sic in his pleno gurgite atq; dilucidiore veterum scriptorum sententiis fruimur. Multa sunt à Raimundo*

tiani emendatione disseruit. (*ccc*) Ea vero tempe-
state

mundo detracta, qua nisi legantur, vix relictorum sententiam deprehendimus. Ex unius sape rescripti corpore plura veluti membra sub variis titulis posita, si iterum conjungantur, multo facilius cognoscuntur. Inscriptionum hic quoq; & nominum certior scriptura est, & errata nostrorum librariorum, tum in his, tum in aliis plerisq; corrigimus. Origines itaq; & fontes singularum Decretalium juvabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoavit primum in editione Antverpiensi; adnotatis etiam quibusdam ex quinta Collectione manuscripta. In Romana vero editione, idem Franc. Pegna vir doctissimus, unus ex selectis Correctoribus Romanis, præstitit accuratius, & adnotavit initio cujusq; decretalis. Quinta tamen collectione non usus est Pegna. Quare singularia sunt, qua ex ea Contius adnotavit. Neq; tamen vel Contius vel Pegna omnes origines indicaverunt Decretalium editarum ante Gregor. IX. Suppleri possunt ex libris Registrorum Innocentii postea editis, & aliis scriptoribus. Nam ad registrorum literam recurrere debemus ut vel emendetur Decretalis, vel ejus auctoritas probetur. Quam viam quoque indicat Innoc. IV. in Prafat. Apparatus sui in Decretales, Fr. Florens Præfat. de Method. & author. Collect. Gratian.

(*ccc*) *Qua circa Gratiani collectionem notanda veniunt, prater* Fr. Florentem in Præfatione de methodo & auctoritate collectionis Gratiani,

qua

qvæ in Operum Part. 1. *p.* 41. *habetur,* & *reliqvos in not. lib (tt) p.* 161. *relatos,* Strauchius Differt. de Origin. libr. & auctor. Jur. Can. §. 13. & in Amœn. Jur. Can. Ecl. 1. cap. 7. & Ecl. 6. c. 2. 3. & 4. Alber. Gentilis Diff. de libr. Jur. Can. cap. 3. *annotarunt. Errores ejus innumeri plane & craffi caufam dedere Auguftino, fcribendi de emendatione Gratiani libros duos,* 40. *Dialogis diftinctos; qvorum genera figillatim in Dialogis iftis eruditiffimis apertiffimè exponit & corrigit, breviter autem in* libr. 1. Dial. 1. *indicat: Sæpe erratum effe video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum, & aliarum rerum, qvæ poftea exemplis apertiora fient. Sæpe falfæ funt infcriptiones, & qvæ conciliorum funt, Pontificum Maximorum effe dicuntur; & qvæ funt unius Epifcopi inferioris, Romano Pontifici, aut concilio generali, vel provinciali tribuuntur. Ex hoc genere funt illa, qvæ ex Concilio Martini Papæ, aut Hadriani Papæ fumta effe feruntur, qvæ vel Martino Bracarenfi, & Græcis conciliis, vel Engelramo Epifcopo, vel Hadriano ad Engelramum infcribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrofii, Auguftini, vel Hieronymi verba effe dicuntur, qvæ aut nunqvam extant, aut aliena funt. Illa qvoq; ipfa, qvæ infcriptiones habent veras, non recte referuntur. Sæpe enim contrarias fententias referri fcimus, fæpe valde præcifas. Jam vero qvæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, qvafi fint aliorum fcriptorum: ac fæpe aliud Græce, qvam latine fignificant. Emendatio-*

dationes istæ Augustini, auctore vivo non prodiere, sed demum post mortem à Schotto editas credit Baluzius, qvas cum ad finem perduxisset, allata ad illum editione illa Juris Canonici, per correctores Romanos emendata, novis additionibus auxit, qvæ in fine singulorum dialogorum extant, Correctores illos interdum admonens peccasse. Cum autem antea duæ tantum editiones extarent, una Tarraconensis, altera Parisina, & rarissimæ neq; vario characterum genere excusæ essent, cum Præfatione & doctiss. notis Baluzii Parif. ap. Fr. Muguetum *lucem aspexere. Tandem hos dialogos una cum suis & Baluzii notis edidit* Gerh. von Mastricht. JC. præmissa Juris Ecclesiastici erudita sanè & luculenta historia. *Cæterum non alienum erit exactissimum & verissimum Ant. Augustini judicium ex* epistola Canonibus Pœnitentialibus præfixa *de Collectione Gratiani ejusq; auctoritate, hic adscribere.* Est etiam delectus habendus & ratio auctoritatis constituentium; in qvo video multos Juris Pontificii Studiosos vehementer decipi, qvi Gratiani collectiones parem vim cum Gregoriona habere putant: cum tamen Gregorius IX. Pontificia auctoritate usus, omnibus in eo Volumine Decretalium contentis vim legis statuerit. Gratianus unius Magistri & Monachi personam gerens, ea, qvæ refert non majori pollere potuit efficere auctoritate, qvam antea fuerint. Itaq; si qvæ sunt ab eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex conciliis gene-

nera-

ſtate commodum, optimus Pontifex *Gregorius tertius decimus* qvi & ipſe juvenis Bononiæ ſuæ, Juris Anteceſſor fuerat; ſupplicibus præterea libellis rogatu, *Michaëlis Thomaſii*, (qvi nuper Ilerdenſis Epiſcopus magnò ſuo relicto deſiderio, vita deceſſit) de ſacrorum Canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda reſtituendaqve negotium, & doctis hominibus Romæ, in his *Petro Ciaconio*, homini, ut doctiſſimo, ſic ad antiqvos Scriptores inſtaurandos bono publico tanqvam de coëlo delapſo, & Academiis omnibus dederat; perfectumq; eſt tandem aliqvandò, ut nunc minus turbide rivuli illi decurrant: multas tamen ut Antonio ſpicas legendas, his ipſis duobus libris reliqviſſe videantur. *(ddd)* Nec his contentus, ad artem redigere, qvod in Jure

neralibus ſumta; ea, ſuprema illa poteſtate, qva excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At qvæ ex Provincialibus conciliis, aut ex Epiſcoporum, aut aliorum Sanctorum libris, aut epiſtolis accepta ſunt, ea generalem Auctoritatem non habent. Accidit autem ſæpe ut falſæ ſint apud Gratianum inſcriptiones ſingulorum capitum. Ita fit ut ne illa qvidem capita vim legis obtineant, qvæ dicuntur eſſe ſumta ex Romanorum Pontificum, aut ex generalium conciliorum decretis: ſed neceſſe eſt adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis diſtingvamus.

(ddd) Qvid præſtiterint Correctores Romani ſeu Critici Gregoriani in emendando Gratiano ipſi in Præfat.

fat. Corporis Canonici ad lectores indicant. Unum tamen in illis reprehensione dignum putat Baluzius in cit. Præfat. & in not. ad Gratian. XVI. qv. 7. c. 35. *qvod Gratianum purum putum, id est, cum nævis ac erroribus suis, qvemodo citari persæpe solet, exhibere noluerint; sed pleraq; in textu & in capitulorum inscriptione mutaverint, qvæ eodem cum fructu legentium potuissent adnotari in margine, qvod Demochares & Contius fecerant. Sunt etiam nonnulla ab iis interpolata apud Gratianum, qvæ vere qvidem sunt auctorum unde primo sumta, sed qvæ tamen non extant in locis unde Gratianus ea accepit. Hinc enim fieri scribit doctiss.* Baluzius in not. ad Gratian. VIII. qv. 1. c. 3. *ut Gratiani collectionem hodie non habeamus, sed collectionem Correctorum Romanorum inhærentem Ordini à Gratiano servato. Indicem autem selectorum virorum sub Pio IV. & Pio V. emendationi Gratiani ab eisdem præfectorum,* Ant. Augustinus lib. 1. dial. 20. de emendat. Gratiani *talem subjungit.*

Sanctæ Rom. Eccl. Cardin. nomina.

M. Antonius Columna Romanus.

Hugo Boncompagnus Bononiens. postea Gregor. XIII. P. M.

Alexander Sfortia Romanus.

Gvilielmus Sirletus Calaber. De qvo Nicius in Pinacoth. vir illustr. P. 1. Imag. 148.

Franciscus Alciatus Mediolanens. vid. de eo Ni-

cius in Pinacoth. P. 1. Imag. 47. & Gvid. Pancirollus de Claris LL. Interpret. lib. 2. cap. 169.

His additi sunt ab eod. Pio V.

Gvido Ferrerius Vercellens.

Antonius Carafa Neapolitanus.

Doctorum Nomina.

Felix Montaltus Gener. Ordin. S. Franc. postea Card. hodie P.M. Xystus V. dictus.

Christophor. Patavinus Gener. Ord. S. Aug. eremitar.

Thomas Manricus Ord. S. Domin. Magister Sacri Palat.

- - - Lucatellus Bononien. Postea Regii Lepidi Episcopus.

Josephus - - - - Veronen. Ord. S. August. postea Sacrista Palatii & Episcopus Signinus in Campania.

Franciscus Turrianus Hispanus, postea Societ. JEsu.

Marianus Victorius Reatinus, postea Episcopus Amerin.

Michael Thomasius Majoricensis, postea Episcopus Ilerdensis. Hoc potissimum hortante & urgente susceptam Romæ emendationem Gratiani, ejusq; industriæ inprimis tribuendum, quod Gregorii XIII. auctoritate jus Pontificium elaboratum

tum sit, scribit Schottus in Bibl. Hispan. Tom. 3. class. 4. p. m. 601.

Hieronymus Parisetus Regiensis.

Antonius Cucius Mediolanen.

Joh. Marsa Hispanus.

Franciscus Leo Hispan. postea Societ. JESUS.

Additi sunt

Melchior Cornelius Lusitanus.

Latinus Latinius Viterbien,

Arnoldus Pontacus Gallus, postea Episcopus Vasatensis. De quo Fr. Elorens in præfat. de method. & auctor. Collect. Gratian. p. 55. *Doleo tamen & moneo, nec abs re, unicum Gallum Arnoldum Pontacum, & serò adhibitum, (emendiationi scil. Gratiani) reliqui omnes fuerunt aut Itali aut Hispani.*

Petrus Ciacconius Hispanus. De vita & scriptis hujus doctissimi hominis vid. præter Thuan. Histor. lib. 84. & Nicium in Pinacoth. viror. illustr Imag. 112. Andr. Schottus in Bibliothec. Hispan. tom. 3. class 3. p. m. 556. *ubi hoc simul notandum: Castigationes ejus in Gratianum, lucem non aspexisse, sed ab eclearum paginas discissas esse, offenso quorundam rumoribus, ac si ad se laudem editionis omnem rapere vellet.*

Franciscus Pegna Hispanus, cujus sunt additiones Decretalium sine nomine, (notas intelligit marginales Decretalium,) quia templum Dianæ incendisse

Jure Civili M. Tullius aliqvando cogitarat, cœpit Antonius Jus facrum, nimis diffufe, nec fatis via & ordine traditum: edita nunc *Epitome Juris Canonici* ad artem Methodumq; revocata ea parte qvæ de *perfonis* eft: altera enim *de rebus ipfis* & tertia *de Actionibus atq; Judiciis*, qvo ordine Juftinianus Imp. Inftitutiones edendas curavit, in adverfariis adhuc latent. Verendum itaq; qvod invitus refero, atq; utinam falfus augur aliqvando deprehendar, ne parentis immaturo interitu, partus ille aut pofthumus fit, nec fatis politus exeat: aut qvod Deus ne fiverit, perpetuo delitefcat. Qvam enim partem Veneris Apelles inchoatam reliqvit, nemo pictor eft inventus, qvi abfolvere auderet. *(eee)* Qvanta in eo Præfule integritas? nihil ut gratiæ, ne in proximis qvidem agnatis unqvam tribuerit. Tros Tyriusq; illi nullo difcrimine habitus. Qvanta temperantia in victu cultuq; corporis qvanta comitas, & morum facilitas! qvanta gravitati conjuncta humanitas, qvanta in rebus maximis ac difficillimis aggrediendis, ferendisq; animi excellentia; ad exitumq; perducendis conftantia! qvanta in jure dicundo æqvi-

cendiffe vifus eft. Inqvirit in hac ultima Ant Auguftini verba Baluzius in not. ad Dial. 20. lib. 1. de emend. Grat. p. 695. *& plura hujus doctiffimi & laudatiffimi viri fcripta ibidem recenfet.*

(eee) Cic. 3. Offic.

æqvitas! in providendo acumen! in omnibus deniq; rebus æqvabilitas! Idem semper vultus sive adversa, sive secunda inciderent; eadem frons, eademq; mens. Nemo domesticorum viginti retro annis, iratum vidit, adeo domitas perturbationes animi habebat. Castitas vero tanta, ut fœminam nunqvam credatur attigisse: cum libris enim fidis sodalibus, assidue colloqvens, otium, commerciumq; matronarum devitabat. Singularis vero illius & prædicatione digna maxime semper exstitit in egenos beneficentia, ac liberalitas; qvos & audiebat ipse libentissime stipem postulantes, & qveritantes de injuria potentiorum: qvare â congressu suo arceri prohibebat, qvod Christi membra esse prædicaret, ejusq; personam hic sustinere, se bonorum Ecclesiæ dispensatorem esse duntaxat. *Utinam*, inqvit, *sacris idoneus reperiar. Res hæc, ut & vita hæc vitalis, non mancipio, sed usui tantum datur, â Principe illo Deo, in qvo vivimus, movemur & sumus. Ei subducenda ara ad assem est, extremo judicii die, qvo omnes nos manifestari ante tribunal illius oportet.* Hi sermones illius qvotidiani, hæc cogitationes, hic mens defixa, humana omnia, Principumq; amicitias, qvæ donis aluntur augenturq;, facile contemnebat. Calices itaq; & vasa argentea pignori opponi: libros etiam, (qvos & optimos, & innumeros pecunia sua undiq; collegerat & tanqvam mutos magistros auro cariores habebat,) alienare jubebat, si in annonæ caritate pecunia deesset a-

lendis pauperibus. Hac vero, qvæ vera est, liberalitate, ne singula qvæ sunt innumera, consectari videar, effectum est, ut tam inops â pecunia decesserit Augustin⁹, ut ei cum Divo Augustino, (qvem sedulo ut nomine, sic & re ipsa vitaqve exprimebat,) vix suppeteret sumtus, qvo efferri honeste posset; *Thesaurizabat nimirum in coelo, ubi nec fur, nec tinea, damnum opibus adferre possunt.* Auctoritate deniq; tanta valuit, justitiæq; fama, de qvo & alterum exemplum habemus, ut etiam adventus sui nuncio exspectationeq; prædones agri Tarraconensis omnes terruerit fugaritq;. Qvis enim antea vicus satis tutus ab illorum injuria videbatur, qvis non ager grassantium sicariorum insolentiam formidavit? qvis qvæso iter faciebat, qvi non se in latronum fore potestate timeret? Hic Antonius ut alter Hercules, monstrorum domitor, Augiæ stabulum perpurgavit, agrum lolio & zizaniis, oram omnem monstris liberavit. Ut enim Sol tenebras radiis suis discutit, sic adventu suo agrum latrociniis infamem pacavit. Alii captivi latrones adducti, vinctis post terga manibus, alii vero ejus se potestati dediderunt, pœnas pleriqve more majorum dederunt. Proh Deum immortalem tanta vel unius hominis & qvidem togati, in studiisq; educati incredibilis virtus, famaq; justitiæ & severitatis, tantam tam brevi tempore lucem, tranqvillitatemq; Reip. adferre potuit? Eat nunc Pompejus, qvi suam in bellis conficiendis celeritatem summam jactabat, qvod intra

intra qvinqvagesimum diem bellum pyraticum cum Cilicibus prædonibus, & grave & periculosum confecerat. Cedat huic Antonio, qvantum arma togæ, & laurea, laudi Ciceronis concessit. Noster enim citius agrum Tarraconensem latrociniis, furtis, rapinis, stuprisq; infestum purgavit, ignonimiæqve nota exemit. Ignoscebat, qvi deliqvisset prudens, nemini, neqvidem si nobilis, si proximus cognatus is esset; ne & qvid ipse tale posthac committeret, & cæteri essent ad injuriam tardiores, â flagitiisq; exemplo deterriti, abstinerent. Ratus qvod res est, non posse alios in officio continere eum, qvi se ipse non contineat ab avaritiæ sordibus, & cupiditate: neq; severum esse judicem in alios posse, qvi sibi ipse non imperet, nec animi perturbationes domitas habeat, neq; alios in se severos esse judices velit. Erat adhæc, qvando & id ad auctoritatem conciliandam pertinet, summa in eo corporis dignitas, statura procera, egregia corporis membrorumq; habitudo, robusta ad extremam ætatem valetudo ac firmitas, incessus gravis, in aspectu gravitas comitati conjuncta, in sermone lepos concinnaq; brevitas. Jocis etiam urbanis interdum & salibus utebatur, sed cum litteratis hominibus. Ocelli perexigui, & flava coma; hebetata, ut fit assiduis lucubrationibus, oculorum acies: vitreis ita qve perpetuo usus est. Deniq; in toto corpore ea dignitas eluxit, qvam imperio dignam Euripides judicavit. Te igitur postremũ appel-

labo Antistites optime, iis verbis qvibus M. Varronem tuum, togatorum doctissimum M. Tullius(*fff*) olim affatus est: & Divũ, IsidorumBraulius(*ggg*) patriæ tuæ Episcopus: qvos tu singulares viros unus hac ætate repræsentabas. *Tu nos libri in orbe, & urbe peregrinantes errantesq; tanqvam hospites, qvasi domum deduxerunt, ut possimus aliqvando, qvi, & ubi essemus, agnoscere. Tu ætatem Patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum munera, tu domesticam publicamque disciplinam, tu sedem regionum, & locorum, tu omnium divinarum humanarumq; rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimumq; doctis hominibus omninoq; Latinis litteris luminis attulisti, & Jure cum Divino, tum Civili facem prætulisti.* Maxima in illo ut dixi cognitio Antiqvitatis, summa scientia juris antiqvi, legumq; Romanarum, & familiarum: multæ in eo, ut Romæ natus videretur litteræ, & elegantia sermonis Latini. Ciceronem etiam senex legebat assidue, ut eloqventiæ principem. Juris vero tanta in eo accuratio, ut veterum aliqvis, præstantissimorumq; prudentum, Paulus, Ulpianus, aut Papinianus ab inferis exstitisse, ac revixisse, vel animam ex Pythagoræ sententia recepisse illorum videretur. Qvanta porro Historiarum, antiqvarum qve rerum Græciæ & Italiæ explicata cognitio! Jus Pontificium & Civile ita illustravit: hoc adolescens: senex illud; ut principem illum Juris-

(*fff*) *In A. ad. qv.*

(*ggg*) *Præf. Etymol. Isidori.*

Jurisconsultorum, nostriq; ævi florem delibatum, uno ore gentes omnes prædicent. *(bbb) Joannes Terrasius Dertusanus Episcopus* designatus, Tarraconem commodum iter habens, peropportune Antonio in morte, postrema illa officia exhibuit, eidemq; Catholicæ matris nostræ Sacramenta illa contulit omnia, qvibus juvari morituri more majorum solent. Ille vero ut spero & opto,

 in

(bbb) Elogia & Judicia doctissimorum hominum plurima, ipsius Augustini Dialogis de Emendation. Gratiani præmissa, legi poterunt, aut apud Hanckium de Roman. rer. Scriptor. lib. 1. P. 1. cap. 71. & lib. 2. P. 2. cap. 71. *Qvare hic duorum saltem JCtorum testimonia adjiciam, alterum Summi* Cujacii, *qvi lib. 1. Obs. 9. JCtum elegantem & tersum, & libr. 3. O. 29. doctissimum JCtum & sanctissimum Episcopum; libr. 12, O. 28. autem Optimum & doctissimum virum nominat, cui omnes non modo juris sed & bonarum artium studiosi tantum debeant, uti debere etiam se palam profiteantur multi, qvantum homo homini debere potest bono publico nato. Alterum est* Paul. Busii, qvi in Præfat. Commentar. ad Pandect. *cum auctores juris ex qvibus profecerit, refert, ita de Augustino scribit: Inter qvos si primum nuncupaturus sim Principem ac de Jurisprudentia meritissimum, non video qvis Ant. Augustino Tarraconensi Archiepiscopo sit conferendus. Non minimus inter primos Jurisprudentiæ reformatores apud Germanos*

in beatorum ſedibus, ubi ſumma felicitas eſt; Dei Opt. Max. aſpectu aſſidue perfruetur: qvem qvidem nunc tantum videmus in ſpeculo & ænigmate, illic autem â facie ad faciem, ſicuti eſt, videbimus.

---

nos Oldendorpius erat, Alciatus inter Italos, complures inter Gallos, & Gallis ac cæteris etiam facile præſtantior Cujacius, poſt eum Duarenus, Donellus, Hottomannus, Connanus: Sed Antonius Auguſtinus libere ſcribam (qvia ſine affectu) nulli veterum eſt virtute ſecundus, non hoc qvia multitudine ſcriptorum excellat, ſed qvia præſtantia ac utilitate. Eſt qvoq; inſigne rariſſimæ eruditionis de Auguſtino documentum, qvod ſolus à Joh. Bapt. Cardona Epiſc. Dertoſ. in Conſilio de Biblioth. Reg. S. Laurentii in Hiſpania, *dignisſimus judicatus fuerit, qvi ſi incolumis fuiſſet, huic amplisſimæ Bibliothecæ præficeretur.*

PET.

PET. JOHANNES NUNNESIUS (a) Valentinus, Orator, & Philosophus egregius, hoc in amicitiæ ergo Epitaphium composuit.

D. O. M.

SS. EUCHARISTIÆ. S.

ANT. AUGUSTINUS ANT. PROCANC. F. CÆSARAVG. PALATII. APOST. AUDITOR. EPISC. ALLIFAN. PAULI IV. AD PHILIP. ET FERD. REGG. LEGAT. SICILIÆ CENSOR. ILERD. EPISC. MAX. PLAUSU TRID. CONC. INTERFUIT. INDE AD TARRAC. ARCHIEP. TRANSLATUS. JURIS ET HUMANITATIS VINDEX CLARISSIM. JUDEX INCORRUPTISSIM. ELEEMOS. LARGIT. EXCELLENS. ORACULUM SAPIENTIÆ TERSESTRE. EDITIS AUREIS LIBB. ATQ. EDENDIS RELICTIS. HOC SACELLUM S. S. EVCHARISTIÆ. P. C. CHRISTUM AC S. THECLAM TUTELAREM EX ASSE HEREDD. FACIENS.

OBIIT PRID. KAL. JUN. AN.
M. D. XXCVI. ÆT. LXIX.

Aliud

(a) *Vitio enim typographico in Biblioth. Hispan. & in edit. Dialogorum de emendat. Grat.* Humesius *nominatur. Vitam autem hujus Nunnesii descriptam invenies in* Biblioth. Hispan. Tom. 3. class. 5. p. m. 611.

Aliud Epitaphium, Augustino nostro Tarracone positum exhibuit, *Isaacus Bullartius* in libro cui titulus, *l'Academie des Sciences & des Arts, Tom. I. libr. 3 p. 236.* ubi simul vitam Augustini præmittit, desumtam integram ex Schotti orat. Funebri, omissis tamen plurimis necessariis, & imprimis Viri doctissimi scriptis. Verba autem ejus ita habent.

D. O. M. S.

ANT. AUGUSTINO DOMO CÆSAR'-AUG. ROMÆ OLIM IN URBIS ET ORBIS LUCE STLITIUM JUDICAND. EX ALLIFANO ILERDENS. EPISC. TARRACON. ARCHIEP. IN PAUPERES MUNIFICO. O. B. DE ANTIQVIT. ET LITTERIS MER. JURIS CIVIL. ET PONTIFICII INSTAURAT. IN HOC ÆDIS SACRÆ D. THECLÆ VIRG. ET MART. A SE AMPLIATÆ MEMBRO ET AD ARAM CORPORI CHRISTI CONSECRATAM. IN SPEM RESURRECT. QVIESCENTI. S. P. TARRAC. P. H. C. ET COLLEG. CANONIC. PARENTI OPT. LIB. MER. PON. CUR. VIXIT ANN. LXX. MENS. III. OBIIT DAMNO PUBLICO PRID. KAL. JUN. M. D. LXXXVI.

Scripta

SCRIPTA ANTON. AUGUSTINI,

Sequitur jam Catalogus scriptorum Augustini, qualem Schottus confecit, & Bibliothecæ Hispanicæ inseruit, à nobis tamen multis modis auctus.

LIBRI AB ANTONIO AUGUSTINO Archiep. Tarraconensi partim conscripti, partim illustrati.

I. Qvibus humanitatis studia illustravit.

In M. Terentium Varronem de Lingva Latina emendationum notæ. *Romæ 1557. 8o.* una cum Jos. Scaligeri, Adr. Turnebi, & Petr. Victorii notis in Opera Varronis, ap. *Henr. Steph. 1581. in 8. & Dordrechti 1619. in 8.*

In Sex. Pompejum Festum Notæ Venetiis & Parisiis.

Annotat. ad M. Verrii Flacci qvæ extant de Verbor. Significatione. *Venet. 1560. 8.*

Dialogi Undecim Numismatum Græcorum, Romanorum & Hispanorum, Antiqvitatum item & Inscriptionum Veterum Hispanico sermone scripti, editi *Tarracone ap. Philipp. Mey 1575. 4o.* Bis iidem Dialogi Italice redditi sunt cum figuris æneis & Buxeis; Una versio est *Dionysii Octaviani Sadæ,* qvæ prodiit *Romæ 1591. in fol apud Gvil. Faciottum,* cum ejusdem Sadæ auctario: Altera est, incerti interpretis, nec

nec bibliopola nec anno ibi expressis, locus tamen editionis Roma perhibetur. in 4o. Prodiere qvoq; Italice, *Romæ 1600. & 1625. fol.* Continentur autem in istorum Dialogorum. I. Qvid numismata, & an monetæ sint annumeranda; deq; fructibus qvinq; ex iis capiendis. II. De Virtutibus ac Diis Gentium in Nomismatis eorumq; utilitate. III. De Provinciis, Urbibus & fluminibus in Nummis. IV. De ædificiis Romanorum in Nummis. V. De Animalibus, qvæ qvibus Diis sacra, & de Instrumentis. IV. De Nummis Africæ, Galliæ & Hispaniæ. VII. De *Tarraconensis* Hispaniæ nummis & Barcinonensibus, ac de *Toletanis*. VIII. De cæteris Hispaniæ *Tarraconensis* Nomismatis, it. Bæticæ ac deniq; Lusitaniæ. IX. De Inscriptionum veterum usu, deq; Barcinonensi ad S. Justum, ac de centesimis & semissibus usuris. X. De Inscriptionibus antiqvis Ciceronis ævo, & aurei seculi, ac de Viris Romæ maxime illustribus. XI. De Nummis confictis, ac falsis inscriptionibus. Latine Dialogos istos XI. reddidit Andr. Schottus S. J. addito duodecimo Dialogo, de Prisca religione & Diis Deabusqve Gentilium, Marte scil. Jove, Neptuno, Vulcano, Mercurio, Apolline, Junone, Vesta, Minerva, Cerere, Diana, Cybele, *Antverpiæ apud Henr. Aertsium 1617.* fol. Numismatum iconibus seorsim editis, à *Jac. Biæo* æri graphice incisis. Iidem Dialogi una cum XII. Schotti, numismatibus

Caro-

Caroli Ducis Croyiaci, commentario C. Gevartii illustratis, accesserunt. *Antv. apud eund.* 1654. *fol.* Judicium de his Augustini Dialogis invenies apud *Ezech. Spanhem. de usu & præstantia Numism. in Præfat. secund. edit.*

De XXX Romanorum gentibus & familiis, cum Fulvii Ursini familiis, qvæ in antiqvis numismatibus, ab Urbe condita ad tempora Augusti reperiuntur, cum figuris, *Romæ ap. hered. Franc. Tramezini* 1577. *fol.* Ursini familias recognitas & auctas, iterum edidit *Carolus Patin Med. D. Paris.* 1663. *fol.* addito in fine Augustini nostri ejusdem argumenti dicto libro. Qvem librum de familiis, qvoq; impressum invenies *Lugduni apud Franc. Fabrum* 1592. 4. cum annexis excerptis saltem ex Ursini de familiis Romanis commentariis. De utriusqve labore liceat hic judicium adscribere Cl. Ruperti in epist. 21. p. 63. (inter epistolas Th. Reinesii ad Profess. Noricos) *Omnium, inqvit, conatus, in describendis scil. Romanorum familiis, superare visi sunt A. Augustinus & F. Ursinus. Qvorum ille tantum XXX descripsit, hic eas qvarum in nummis suis mentio. Illam omnes inferioris ævi Aurelios, Claudios, Julios &c, veteribus Aureliis, Claudiis, Juliis sine auctoritate, sine nota, sine discrimine inseruisse nollem, qvum novi homines, qvi ad dignitates conscenderunt, nomina ac prænomina libenter ac licenter assumserint, ut bene docet Salmasius ad Probum Vopisci. De hoc minime falsum est judicium* Rutgersii 4. Var. 2.

Fuisse

Fuisse Virum diligentissimum & Romanæ antiqvitatis qvantumvis scientem: sed lapsiones ejus ejusmodi esse, ut non aliter excusari possint, qvam si reliqvis ejus in literas meritis condonentur.

Bibliothecæ Ant. Augustini librorum manuscript. Græce & Latine Index, *Tarracone apud Philipp. Mey. 1586. 40.*

Epistola ad Hieron. Blancam, de Cæsaraugustanæ Patriæ communis Episcopis, atq; Conciliis, cum Fastis Arragonensium ejusdem Blancæ edita, & in Bibliothec. Hispan. *T. 1.* cap. 5. p. 125.

II. Qvibus Jus civile illustravit.

Emendationum & Opinionum Jur.civil. lib.IV. (qvibus maxima Juris civ. pars ex Pandectis Florentinis emendatur & declaratur.) It. ad Modestinum, sive de Excusationibus liber singularis: & ad Lælium Taurellum JC. de Militiis epistola. *Venetiis apud Juntas 1543. 4. Lugduni 1560. 1574. & 1591. & 1650. in 8. Basileæ per Oporinum, fol. Heidelberg. 1594. 8.*

De Legibus & Senatus Consultis Roman. adjunctis LL. antiqvarum & S. Consultorum fragmentis, cum notis Fulv. Ursini. *Rom. 1584. in 4. Paris. 1585. fol. & Lugdun. 1592. 4. & ibid. 1606. fol.*

De Propriis nominibus τῶ πανδέκτῳ Florentini cum notis. *Tarrac. ap. Phil. Mey. 1579. fol.* Index librorum veterum JCtorum, ex qvibus Pan-

Pandectæ concinnatæ ſunt exinde deſumtus, una cum Jac. Labitti Indice prodiit *Genev. 1585. in 8. & Lugdun. 1637.*

Juliani Antecesſoris Novellarum Juſtiniani epitome cum notis & Paratitlis, & Conſtitutionum Græcarum, qvæ deſunt in Cod. Juſtin. collectio & interpretatio. *Ilerdæ in 8. 1567.* & cum ejusdem Auguſtini ſcholiis & variis lectionibus ex Bibliotheca P. Pithoei, *Baſileæ apud Pernam in fol. 1576.*

Leges Rhodiorum navales, militares, & Georgicas Juſtiniani, ex Auguſtini Bibliotheca prodiiſſe meminit Simlerus in Biblioth. Gesner. easq; ad exemplar Auguſtini Sim. Schardium *Baſil. 1591. in 8.* edidiſſe, teſtis *J. Gothofr. in Biblioth. Jur. cap. 4. p. 74.*

Repertorium Deciſionum Rotæ. Extat in Deciſionibus Theod. Rubæi. *Romæ 1637. fol. Lippen. Bibl. Jurid. p. 474.*

III. Qvibus Jus Canonicum, resque ſacras exornavit.

Antiqvæ Collectiones Decretalium cum eruditis Notis. *Ilerdæ fol. 1576.* Cura Carol. Labbæi iterum cum Jac. Cujacii aliorumq; annotationibus editæ *apud Sebaſt. Cramoiſ. Pariſ. 1609. fol. & ibid. 1621. fol.* addita huic editioni Aub. Miræi Notitia Epiſcopatuum.

Canones Pœnitentiales, qvi præter alios pœnitentiales libros Rabani Mauri Abb. Fuldenſis Pœnitentium librum continent, cum ejusdem

notis. *Tarracon. 1581. & Venetiis 1584. in 4. & Parif. 1641. fol.*

Dialogorum XL. de Emendatione Gratiani, libri duo, *Tarracon. 1587. 4. & Parif. 1607. & ibidem cum Præfat. & notis Steph Baluzii apud Fr. Muguetum* . . . . Qvam ultimam editionem recenfuit, & præmiſſa Jur. Ecclefiaſtici Hiſtoria fuisq; additis notis, denuo inprimi curavit *Gerh. von Maſtricht. JC. Duisburgi ad Rhenum, 1677. in 8.*

Conſtitutiones Provinciales, item & Synodales Tarraconenſium. *Tarracone in 4.*

Epitome Juris Pontificii Veteris in tres Partes, de Perſonis, de rebus, & de Judiciis: qvarum prima pars edita *Tarrac. 1586. fol.* reliqvæ duæ cum prima *Romæ 1611. & 1614. It. Parif. 1641. fol.*

De Pontifice M. Patriarchis & Primatibus, Archiepiſcopis &c. *Romæ 1617. fol. in Biblioth. Henſian. p. 19.*

De Perfecto JCto & Epiſcopo. *Parif. 1607. 4. Lippen. Biblioth. Jurid. p. 171.*

IV. *Libri nondum editi.*

Secunda & Tertia pars Epitom. Jur. Pontif. veter. Et notæ in aliqvot titulos Part. primæ jam editæ, latentq; Romæ apud Carthuſianos. Editas tamen has duas jam partes eſſe, ex claſſe præced. patet.

Juris Pontificii Inſtitutiones M. S. de qvibus Franc. de Roye, Antecell. Andegav. Procem. Inſt.

Inst. Jur. Can. *Utinam edita essent Juris Can. Institutiones, qvas ab Ant. Augustino scriptas fuisse ait doctiss. Baluzius ad Decretum Gratiani; procul dubio iis me totum dedissem, nec ullatenus manum admovissem calamo.*

Concilia Græca & Latina, qvæ Romæ nunc Pontificum liberalitate in Vaticana typographia excuduntur.

In Pandectas Florentinas Index verborum omnium; & Variæ Lectiones.

Ad Hadrianum liber singularis. Item ad Edictum. Qvale nam sit Augustini scriptum ad Edictum invenire hactenus non potui, at ille ad Hadrianum libellus continet Collectionem Canonum LXX. Hadriani I. P. M. in gratiam Ingelrami S. Angilrami Episcopi Metensis, ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis, atqꝫ decretis Præsulum & Principum Romanorum factam & traditam Ingelramo Anno 785. Indict. 9. 13. Kal. Oct. Non Hadriani, sed ipsius Angilrami capitula illa esse, vult *Baluzius in Præfat. ad A. Augustin. de emendat. Gratian. §. 4.* Qvi ea ex novitiis veterum Pontificum epistolis ut plurimum collegerit, & Hadriano obtulerit, ut causæ suæ præsidium qværeret. Qvam sententiam de Ingelramo auctore, non improbat qvidem Dn. Mastricht, præsertim cum *Hincmarus Rhemens. Archiepisc. in libro adversus Hincmarum Laudunensem cap. 24.* de hujus collectionis auctore jam dubitanter loqvatur, qvod ipse

Auguſtinus qvoqve facit, *libr. 1. de emendat. Grat. Dial. 3.* Oſtendit tamen *in Hiſtor. Jur. Eccleſ. ex Blondello n. 161. & in add. p. 205.* non Ingelramum ex Pſeudo-Iſidori epiſtolis ſuppoſititiis, ſed hunc ex Ingelramo ſua hauſiſſe & eo transtuliſſe. Ad hanc ergo collectionem notas ſcripſit Romæ Auguſtinus, in qvibus Patronus licet epiſtolarũ Pontificiar. ſit; multa tamen annotaſſe videtur Blondello *in Prolegom. cap. 19. ad Pſeudo-Iſidor.* qvæ plurimarum auctoritatem vehementer labefactant. Cur autem inter libros nondum editos referatur à Schotto, non video, cum ipſe Auguſtinus hunc Romæ ediderit. Habetur qvoqve in *Tom. V. Conciliorum Binnii.*

Fragmenta veterum Scriptorum, Poetarum & Oratorum Latinorum, ab eo olim collecta: nam Hiſtoricorum veterum edidit nuper Fulvius Urſinus in Plantiniana officina Antverp. & aliorum cum ſuis ad ;eos qvi extant, Hiſtoricos Latinos notis. *Ann. 1595. in 8.*

Notæ in Pœnitentiale Romanum M. S. *in Biblioth. Heinſian. p. 20. n. 393.*

VITA
ANTONII GOVEANI
Lusitani JC.
Descripta
ab
Andrea Schotto, S. J. in *Biblioth. Hispan. Tom. II. Class. VII.*



Atus in Lusitania (*a*) τρηχεῖα ἀλλ' ἀγαθῇ κουροτρόφῳ. Adolescens in patria, post *Lutetiæ* sub patruo *Jacobo Goveano* Collegii Barbarani præfecto feliciter litteris operam navavit: Junxit & Græca ac Philosophiam ex Aristotelis potissimum scriptis, pro qvo propugnare orta in judicio lite cum *Petro Ramo*, ac disputare publice non recusavit, allato in forum exemplari Græco Philosophi. Juvenis natu grandior, tres fere annos in juris civilis studio operam dedit *Æmilio Feretto* Avenione profitenti, suæ memoriæ facile principi; (*b*) qvemqve parentem alterum appel-

(*a*) *In oppido Julia Pacensi teste* Schotto, in Biblioth. Hispan. Tom. 3. class. 2. p.m. 475.

(*b*) *Virum hunc Principem omnium seculorum perpetuis laudibus, nominat ejus discipulus* M. Vertranius Maurus de Jure liberor. cap. 42. M. Mantua, (*non vero Fichardus; cui Clutenius in Præfat.* *ad*

appellare lib. 2. de Jurisdictione non dubitat: neqve ex eo tempore à Jurisconsultorum libris longius umqvam oculos dimovit. *Tolosa* mox tanta in studio assiduitate, tantaqve est usus contentione, ut majore non posset. (*c*) Ea adhæc litterarum præsidia attulerat, qvibus vulgo destituti, tamqvam illotis manibus, ad juris sacra irrumpunt: puta litterarum, Historiæ & Philosophiæ omnis rudes. (*d*) Florebant ea tempestate

ad d. Vertranii libr. falso tribuit) in epitom. Viror. illustr. *Eloqventium Iperitissimū & Iperitissimorum eloqventissimum fuisse, scriptaq; ejus non modo æqvasse expectationem, verum etiam longe superasse doctrina & eloqvio dicit. Sed de Feretto Plura in vita ejus, à Heleno Ribitto scripta, & ex recensione nostra bono cum DEO aliqvando prodituræ. Hic auctor Goveano fuit ingrediendi rectam solidamq; Civilis sapientiæ viam; prout ex epistola Feretti ad Goveanum, qva suas Institutionum notas eidem consecrat, cognosci poterit.*

(*c*) *Verba sunt ipsius Goveani in fin. libr. de Jur. accrescend. ad fratrem Andream.*

(*d*) *Posse autem hominem aliqvo ingenio, industria aliqva, aliqva latinarum, Græcarumq; literarum intelligentia, veteris memoriæ Pop. Rom. non ignarum, in Dialecticis exercitatum, ob qvam unam artem, longe & æqvalibus, & iis, qvi ante ipsum fuerant, JCtis præstitit Serv. Sulpitius: Philosophiæ demum non insolentem, ac rudem: Cui Labeo*

state in Gallia variis in Gymnasiis Juris civilis lumina, qvi & inter eloqventes Jurisconsultissimi, & inter Jurisconsultos eloqventissimi merito haberentur. Vigebant *Alciatus, Viglius, Ferettus, Duarenus, Corasius, Contius*: & in Belgio *Revardus, Curtius, Balduinus, Gabr. Mudæus*, ætatisqve suæ familiam ducens *Jacobus Cujacius*: (â qvo etiam mirifice Goveanus prædicabatur) (e) qvibus omnibus eadem mens, jus Romanum ab injustis possessoribus barbaris ac rabulis vindicandi,

beo Antistius, qvia egregie operam dederat, multa in jure innovavit: Posse, scribit in fin. d. libr. de jur. accresc. *eum in qvo hæc sint, per se in scientia Juris aliqvid conseqvi haud vulgare. Esse autem artem hanc præterea neq; ita facilem, ut simul aspici cognosciq; possit neq; ita difficilem ut cognoscendæ vix ætas sufficiat. Posita omnia esse ante oculos, posita in usu qvotidiano, communiq; hominum vita, in foro, ac judiciis agitata, neq; ita multis aut difficilibus literis contineri.*

(e) *Huic enim ex omnibus qvotqvot sunt aut fuere, Justinianei Juris interpretibus, si qværamus qvis unus excellat, palmam deferendam censet in* not. ad tit. 6. Ulpien. *cum qvo consentit* Guther. d. O. D. A. lib. 1. c 3. *Tantum enim Cujacius ingenium admirabatur Goveani, ut etiam à jure tractando se deterritum fuisse diceret, si homo Lusitanus tanto ingenio tamq; subtili labores civilium studiorum serio suscipere voluisset.* Masson. in vita Cujac.

dicandi, qvibus cum indoctiſſimis;atqve infantiſſimis hominibus, pro juris Civilis dignitate juſtum ac pium bellum ſcriptis gerebant. *Qvo in bello, inqvit Goveanus, & acie ſi nihil potero, vota ſaltem, pro victoria faciam, qvorum numqvam niſi ſero damnabor.* Edidit accurate ſecundas *de Jurisdictione* cogitationes duobus libris adverſus *Eguinarium Baronem*, primum ætatis ſuæ Biturigibus Juris Doctorem, qvi omnem eam qvæſtionem difficilem ac reconditam, diſſenſionibus etiam auctam adeo obſcure ac perplexe tractabat, ut ſtudio tenebris rem implicaſſe, ac minime dilucide tractaſſe videretur, qvo ſaltem obſcuritas vel imperitos in admirationem raperet, vel

---

Cujac. *Hinc* Antonius Faber *qvi paſſim in Conjecturarum libris Goveanum JCtum acutiſſimum, doctiſſimum & perſpicaciſſimum nominat, in* Præf. libr. 7. & ſeqq. Conjectur. *ad Petr. Fabrum ita de utroq; judicat: Tulit ætas noſtra maximos in Jurisprudentia viros non paucos, ſed præcipuos, ſi qvid mei ingenii eſt, (cæterorum pace dixerim) Anton. Goveanum & Jac. Cujacium. Illum ut mihi qvidem videtur, multo feliciore ingenio ad Jurisprudentiam natum: ſed qvi naturæ viribus tam confideret, ut diligentiæ laudem ſibi non neceſſariam, minus etiam fortaſſe honorificam putare videretur. Hunc contra minus lucido præſtantiq; ingenii acumine, ſed qvi aſſiduo labore ea qvoq; ſe adſeqvi poſſe crederet, qvæ ſolis ingenii nervis parari qveunt.*

vel doctos & ingeniosos a reprehendendo deterreret. Stylum tamen Antonius hic temperavit, ut viri auctoritatem apud studiosos summam minime læsisse videretur: cujus præstanti ingenio excellentiqve doctrinæ tantum tribueret ut ei componeret paucos, anteponeret vero neminem, à qvo non tam animo diffidere, qvam judicio dissentire videri vellet. *(f)* Scripserat adolescens in *Ciceronis Vatinianam* Interrogationem, & *in duos priores ad Atticum libros* ac *de legibus*, & in *Topica* ejusdem ad Trebatium I. C. Juris id circo exemplis referta: scripsitqve & *Variarum* in Jure Civili *lectionum* libros pereruditos, ut & alii æqvales Observationum, Animadversionumqve; qvibus humanitatis studiis leges adqve adeo ceteras illustrari posse disciplinas ostendunt. Citat alibi notata à se de *prætoribus & proprætoribus*, qvæ haud scio an evulgarit. *Cadurci* jus annos aliqvot magno concursu docuit, & *Valentiæ* Delphinatus anno à CHRISTO nato M. D. LV. ad tit. *de vulgari & pupillari substitutione* dictabat. *Tolosæ* VI. antea

 anno

(f) *Prolixius hæc ipse Goveanus in* lib. 1. de Jurisdictione. *In qvibus commentariis* Ant. Faber, lib. 4. Conjectur. cap. 4. *omnia qvæ ad tractatum de Imperio & Jurisdictione pertinent à veteribus omnibus ignorata, tam dilucide, vere & eleganter explicari scribit, ut magnus ille vir, cum in aliis qvidem juris partibus alios longe superasset, tum in eo maxime tractatu se ipso ingeniosiorem fuisse videatur.*

anno Andreæ (g) natura atqve animo fratri, beneficiis vero parenti, librum *de jure accrescendi* inscripsit. (h) *Gratianopoli* ad *legem falcidiam*, qvæ perdifficilis est, dictabat anno M.D.LXVI. (i) Qvarto post anno, uxorem ibi domum duxit, ex

---

(g) *De Andrea fratre* Schott. in Biblioth. Hispan. Tom. 3. class. 2. p.m. 475.

(h) *De hoc libello* Hottomann. in Antitribon. cap. 6. *Duorum famosissimorum & celeberrimorum Franc. Duareni & Anton. Goveani hac de materia, (scil. accrescendi) libri scripti & vulgati, plane referti sunt istiusmodi qvæstionibus, qvæ melius decerent bonum Grammaticum, qvam Philosophum Politicum de ratione & æqvitate loqventem, qvalis esse debet JCtus. Atq; hoc loco factum, inqvit, Goveani notandum est, qvi in publicum edito libro, de qvo diximus, postqvam Duarenus item de ea re scripserat, sed prorsus aliter qvam ipse: Goveanus post decennium circiter librum suum retractavit, his verbis in præfatione operis usus:* Sententiam hujus legis ut ante me fortasse nemo, ita neqꝫ ante hunc diem ego intellexi. *Sed de ista Goveani retractatione hactenus nihil plane in editionibus Lugdunensibus, An. 1564. & 1599. invenire potui, incertus igitur unde hoc Hottomannus desumserit.*

(i) *Videtur hic Schottus temporis rationem minus recte observasse, fieri enim non potuit ut Prælectiones suas ad L. Falcidiam anno demum 1566. habuerit Govea-*

ex eaqve liberos sustulit, *Petrum & Manfredum*, qvorum illum Petrus Bertrandus Cadurcorum Episcopus (*k*) in baptismatis fonte susceperat. *Taurinis* Allobrogum decessisse fertur libellorum supplicum Magistar apud Sabaudiæ Regulum, & Consiliarius. Annos natus vix sexaginta.

Goveanus Grationopoli, qvi easdem jam An. 1560. Michaeli Hospitalio *Franciæ Cancellario inscripserat.*

(*k*) *Consecravit huic Petr. Bertrando, primum Grandis Sylvæ Abbati, suam ad l. Gallus de lib. & posthum. interpretationem, & Animadversionum librum Goveanus.*

SCRI-

SCRIPTA GOVEANI JURIDICA.

De Jurisdictione adversus Egvinar. Baronem libr. duo. *Jenæ 1596. 8.*

Ad L. Gallus Aqvil. de liber. & posth. *Jenæ 1596. in 8.*

Ad tit. de Vulgari & Pupillari substitutione.

De Jure Accrescendi liber unus *Jenæ 1596. in 8.*

Ad tit. ad L. Falcidiam.

Lectionum Variarum libri duo. *Colon. 1575. Venet. 1585. Jenæ 1596. in 8.*

Animadversionum liber unus.

Opera hæc Jurid. uno Volumine edita *Lugduni 1564. fol. apud Ant. Vincentium & ibid 1599. in 8. & fol.*

Ad Literas humaniores spectantia.

Epigrammata & epistolæ qvatuor. *Lugdun. apud Gryphium 1540. in 8.*

Virgilii opera castigavit & Terentii comœdias suis versibus restituit. *ib. apud Gryph. 1541.*

Porphyrii Isagogen eleganter transtulit. *ibid. d. an.*

Enarratio in Ciceronis Orationem contra Vatinium.

Commentar. in Topica Ciceronis. *Paris. 1545. in 8.*

In

In ejusd. libros de Legibus. *Parif. ap. Richard. 1553. & 1556. in 4.*

In duos priores libros ad Atticum. *Parif. 1544. 4.*

Critica Logices Pars.

Refponfio ad Petr. Rami calumnias pro Ariftotele. *Parif. apud. Colin. 1543. in 8.*

Pollicitum præterea Goveanum commentarios in Terentium & integram Ariftotelis Organi converfionem, teftis *Simler. in Epitom. Biblioth. Gesner.*

ELO-

ELOGIUM FRANC. HOTMANI, J. C.

AD V. C. JACOBUM BONGARSIUM BODRIANUM,

AUCTORE

PETRO NEVELETO DOSCHIO, J. C.

CLaros armis togave homines post excessum in litteras mitti vel viventium interest: ut & nos præmii post prælium spes foveat, & habeant qvod cum fructu æmulentur posteri. Factitatum id priscis illis probatisqve seculis cum laude & gratia. Multi qvin immò imperio, militiâ, doctrinâ illustres, suas ipsi res gestas vitamq; suam scriptis ad memoriam commendaverunt posteritatis, sine offensione, sine invidia. Nolo illos dicere qvi viventibus panegyricos, tanqvam Imperatori in acie interq; tela adhuc versanti cecinerunt, epinicium, si non potius tanqvam innuptis epithalamium. Ridiculum id maliq; exempli. Et in Olympicis post certamen demum coronatus victor publicè præconis voce renunciabatur: neq; Roscius ipse plausum mihi nisi post actum expresserit. Nos igitur ei qvi vitæ hujus mimum commodè transegerit, plausum manibus dare tum demum fas est, cum exemtus mortali-

tati,

tati, cum receptus coelo eſt. Neq; eorum morari calumnias æqvum, qvi cum ipſi *laudanda facere ſemper neglexerint, laudari qvoq; ineptum putant.* Qvi enim meritæ laudis parcus eſt alieno in negocio, immeritæ prodigus eſt in ſuo. Conſtet modò laudis meritum modusq; & rerum veritatem adulatio ne corrumpat. Hoc ſincerè præſtaturum me in iſto ſcripto profiteor: ex animi mei ſententia uti nec odio qvidqvam nec gratiæ dabo: contentus hominis ſeculorum memoriâ digniſſimi vitam breviter & perſummа rerum faſtigia, ſed ex fide, noſtris hominibus ad imitationem proponere. Etſi vereor ut fruſtra; ridentur enim in hac mundi effæta ſteriliq; virtutum ſenecta, ne dicam, multantur boni mores honeſtiq;, niſi qvod apud paucos qvosdam adhuc in precio eſt virtus. Qvorum inter primos eſſe te mihi cum ſit compertiſſimum, Bongarſi, operæ precium facturus videor, ſi hanc meam qvalemcunq; opellam nomini tuo inſcripſero, qvi Hotmanum viventem probatum tibi amicumq;, & doctorem, officiis & amore proſecutus es, & mortui famam liberosq; conſtanter diligis. Otmanorum gens, qvæ jam ante centum, & qvod excurrit annos Lutetiæ Pariſiorum viget floretq;, ac in multas diffuſa propagines, claras honeſtasq; familias pleraſq; matrimoniis & adfinitate complectitur, orta eſt ex Sileſia germaniæ provincia, ejusqve metropoli Wratislavia: ubi nomine hoc familiæ complures, patritiæ omnes, dignitate opibusqve inter præ-

præcipuas: â qvibus & aliæ in Lusatiam, Misniam, Cliviam, diversasqve regiones deductæ, veluti coloniæ qvædam. *Lambertus* ex ea gente Ludovici VI. regno militaturus in Galliam cum venisset, haud ita multo post larem in ea primus fortunarumq; sedem Lutetiæ Parisiorum constituit, ducta in uxorem prædivite & honesta *Jaqvelina Via*, civis Parisini filia. Ex ea plures illi liberi: qvorum natu major *Joannes* honestis artibus tantas opes consecutus est, ut redimendo Francisco regi ad Ticinum capto ingentem pecuniæ vim solus fide sua curaverit, summo Galliæ bono, summa sua cum laude. Joannis istius nepos *Franciscus*, etiamnum Christianissimo Principi gratus & in Consistorio sacro, pecuniarumqve fiscalium administratione adsiduus, alter item nepos Carolus regiis præfectus ratiociniis. Ex Lamberto etiam prognatus *Lambertus* alter coenobii Sanmauriciani Prior apud Sylvanectum: &, qvi Francisci hujus nostri parens fuit, *Petrus* liberorum duodeviginti novissimus. Natus hic Lutetiæ, & dignitatibus postmodum â Principe ob virtutem ornatus, primum sylvis fluminibusq; regiis, qvæ in Gallia, Præfectus: ubi qvam innocenter, qvam sapienter isto functus sit munere testatur incisum in æs decretum illustre publicè propositum apud *Compendium* Picardiæ oppidum non ignobile. Inde in supremi Senatus Parisiensis collegium adlectus Principi bonisq; omnibus amorem æqvi boniqve probavit. Tali

patre

patre Fr. Hottomannus, cujus vitam ſcribere inſtituimus, fratrum novem, ſororis unicæ maximus natu, Anno 1524. natus eſt Auguſti die 23. & Franciſci nomine appellatus de *Franciſci Alegræi* Comitis Jognienſis, qvi eum de ſacro fonte ſuſcepit, nomine. Mater illi ſpectatæ pudicitiæ virtutisqve *Paulla Vedoni* filia ex *Marleorum* antiqva & nobili familia, qvæ ex Picardiæ provincia oriunda non procul Lutetia, Vaugianum & Faleſiam dominio hodieqve tenet, & veteri cum Piennæ Marchionibus aliisqve in vicino illuſtribus familiis adfinitate juncta eſt. Fratres, *Philippus* Pariſienſis Prætoris adſeſſor, *Joannes* Infendii dominus, Regis Secretarius, *Antonius* in Regni ſenatu primario doctrina ſcriptisqve qvibusdam clarus. Nam octo alii apud regni proceres nonnullos gratia cum valerent, ipſo ætatis in flore fato functi. Puer hic â parentibus maturè traditus eſt claris eo tempore bonarum litterarum doctoribus: qvorum curæ ita reſpondit curâ ſuâ, ut jam tum ingentem de tali indole ſpem conciperent, futurumqve olim augurarentur inter ſummos, qvem puerum cæteris qvamvis ætate provectioribus antiſtare perſpiciebant, ut ſunt *αὐτίκα καλὰ φυτὰ δῆλα ἃ μέλλει κάρπιμ' ἔσεσθαι.* Anno certè decimo qvinto ætatis Aurelianam ad ſcholam miſſus eſt, qvæ tum juris Romani diſciplina & Anteceſſorum eruditione habebatur florentiſſima. In ea legitimæ ſcientiæ fundamenta jecit tam feliciter, ut triennio poſt ſummo magiſtrorum conſenſu, gratulantibus cunctis tam incredibilem profectum, publicæ Prolytæ ornaretur

insignibus. Revocatus inde ad parentem, & forensi militiæ initiatus, cum senatoriæ dignitatis suæ successorem illum paternus amor sibi destinaret, qvamvis patronos in illo regni senatu caussas magna cum accuratione & doctrina agentes, qvamvis Curiæ augustam illam majestatem admiraretur, subinde tamen ad studia humaniora jurisqve Rom. delicias revertebat: ita â natura comparatus ut, â forensibus spinis ac jurgiis planè abhorreret, Plinianum illud in animo habens: *Nos qvi in veris litibus terimur, multum malitiæ, qvantumvis nolimus addiscimus.* Legum igitur antiqvitatumqve Rom. studiis cum se involvisset, abdicatâ forensi exercitatione, tum temporis, &, ut ipse alicubi scribit, penè puer libellum *de gradibus cognationis* adjuncto diagrammate publicavit, â doctissimis viris in precio habitum, & mox â qvodam haud ignobili Jurisconsulto probatum ita, ut eum suis in Institutiones commentariis vehementer commendatum insereret. Erat tum tempus illud cùm regiis edictis tanqvam divinæ majestatis hostes, publiceqve tranqvillitati adversi ignibus addicebantur, qvi in cultu rituqve veteri religionis tantillum reprehendebant. Horum caussæ cum faveret hic noster, eiqve post ista neqve in patria, qvæ homines illos exterminatos volebat, neqve apud patrem religionis patriæ tenacem, tutum esset subsistere, consilium capit profectionis, & Anno 1547. Lugdunum venit, ubi primum nobilem illum ad titulum Institutionum *de actionibus* commentarium edidit, Jurisconsultis etiam magnis

gnis gratum ob Latini sermonis elegantiam & Rom. antiqvitatis exqvisitam scientiam. Graviter sanè & iniqvo animo tulit pater filii istam secessionem, qvem ad opes & dignitates evehere cogitaverat, *cum eò impendi laborem a filio voluisset, unde emolumentum ac honos spectatur.* Igitur destitutum se fremens, spe etiam matrimonii honorati & prædivitis, qvod filio propediem videbatur conciliaturus, excidisse, & ipse filium præbitis annis fraudatum destituit. Huic tam acerbæ calamitati filius vocem illam animosam opposuit: *Habeamus aqvam, habeamus polentam; Jovi ipsi de felicitate controversiam faciemus*: & in urbem Eqvestrium (*a*) (ubi tum magni viri Hottomanno & comuni exilio & amicitiæ nexu conjunctissimi, docebant,) ad humaniorum qvæ dicuntur litterarum professionem honorificè â Senatu Bernensis Reipub. evocatus, cujus in ditione urbs illa, se contulit. Ibi indefesso studio vigiliis continuatis,

O 2 cum

(*a*) *Qvam urbem hic eqvestrium nominat Dosibius,* Lausanna *est, ita forsan dicta propter Vicum seu plateam eqvestrem qvam habet, immunitatibus ac privilegiis gaudentem, in qvo Romanorum Reges certis ceremoniis excipere moris erat. Sita est ad Lacum Lemannum, regionis Vaudi in Helvetia caput. Cathedralis qvondam ibi Ecclesia, nunc Academia. Vid.* Hoffmann. Lexic. Universal. voc. Lausanna. *Docuisse autem primitus ibi Hottomannum ob religionis causam patria profugum* Thuanus Histor. libr 99. *memorat.*

cum curando corpori ægrè pauculas horas concederet, M. Tullii orationes commentariis luculentissimis, Platonis, Aristotelis, Plutarchi opera magna ex parte interpretatione Latinâ illustravit: ita tamen ut omnia ad juris illius Romani, cui se totum addixerat, disciplinam referret, neqve Ciceronis orationes sine legum Rom. subsidio, neqve illas admodum sine Ciceronis adminiculo perfectè intelligi posse dictitans. (b) Post hos in illa schola exsudatos labores, *Claudiam, Gulielmo Aubelino, Bruerio & Francisca Bracheta* genitam, duxit in uxorem, raræ virtutis virginem. Patria huic Aurelianum Galliæ urbs: genus antiqvitate, adfinitate, opibus notum, & illustrioribus qvibusqve ea in regione familiis Briconetorum, Robertetorum, Albaspineorum, Moruilleriorum, Ruzeorum, aliorumqve innexum. Cum vero passim inclaresceret ob insignem eruditionem cum bonis moribus conjunctam, â Senatu Argentoratensis inclytæ urbis (qvam tum temporis illustrabant *Sturmius, Sleidanus*, alii, qvibus ille statim gratus) ad juris civilis professionem postulatus est, & civitatis

(b) *Eadem mens erat Fr. Balduino, JC. summo, Ciceronis scil. scripta, magnam Romani Juris Studiosis adferre lucem, tantumq; sibi otii optabat, ut Jurisprudentiam Ciceronianam colligere possit, & eam, ut instituerat, in locos communes digerere. Qvid enim, inqvit* in epist. de optim. Jur. docend. discendiqve rat. *dignius Romano Jure? Qvid ea acceptione gratius esse posset?*

tatis jus oblatum. rarum id ea in urbe & multis frustrà expetitum. Hoc docendi munere dum fungitur, illos in *Justiniani Institutiones & de verborum, qvæ ad jus pertinent, significatione commentarios emisit.* geminum opus tam emeritis laudatum, qvàm dupondiis necessarium, qvorum in gratiam & alios libros vulgavit complures. Fama certe hominis tàm latè pervagata est, ut nobilissimi qviqve è remotissimis Germaniæ, aliarumqve provinciarum regionibus adolescentes ad tanti nominis Doctorem certatim advolarent. In his referre juvat *Richardum Baronem Streinium*, Cæsarei postmodum consilii Præsidem, stemmatum familiarumqve Rom. descriptione clarum. (c) Qvidam etiam Principes hominem ad se allicere adnisi sunt vehementer: interqve hos Albertus senior Prussiæ Dux, ex Illustrissima Brandeburgicorum Principum gente, Consiliarii in aula sua dignitatem, mensæ Principalis honorem, juris Rom. cathedram in Regiomontana Academia, amplumqve & opimum salarium obtulit. Sed inprimis Illustrissimi fratres Landgravii Hassiæ, qvi eum sæpè ad Marpurgensis Academiæ suggestum, semel etiam per Hubertum Giphanium virum eruditissimum, benigne & liberaliter invitarunt. (d) Audio

(c) *De qvo Vid.* Hanckius de Romanar. rerum scriptor. lib. 1. P. 1. cap. 75. & libr. 2. P. 2. c. 75.

(d) *Summam hanc Illustrissimorum Principum in deferendo amplissimo docendi munere, benevolentiam,*

dio & â Saxoniæ Principibus potentiſſimis Lipſiam vel Wittebergam evocatum: & ab Eliſabetha illa Britanniæ regina ad ſcholam Oxonienſem ornandam olim expetitum. Inciderunt interim ea tempora, qvibus è cœlo deſpiciens ſcelera noſtra, DEUS ultioni eorum ſe accinxit iratus, ac tum cœperunt

--- --- --- --- omnia fatis
In pejus ruere ac retro ſublapſa referri.

Excidii hujus noſtri auctores & artifices commemorare neqve loci hujus eſt, neqve inſtituti. Aliis dicta ſunt qvæ omnes ſenſimus, qvorumqve finem vereor (& omen qvidem DEUS avertat) ne niſi cum imperii noſtri fine videamus. Turbato igitur mari hoc noſtro, qvi ad clavum navis ſedebant Principes regii Sangvinis qvidam, cum hoc ſibi curæ eſſe publice privatimqve teſtarentur, ne

--- --- --- ſubverſa jaceret
Priſtina majeſtas ſoliorum & ſceptra ſuperba,

non militares tantum gladios, ſed viros prudentiâ rerumqve uſu præſtantes opus eſſe ſibi intellexerunt, neqve improvidè: cum ſit

Sæpè

---

tiam, cum prolixa grati animi teſtificatione, eximie prædicat ipſe Hottomannus in epiſtola dedicator. Qvæſtion. Illuſtrium ad Wilhelmum & Præfat. Commentar. de Uſuris ad Ludovicum fratres, Haſſiæ Landgravios.

Sæpè acri potior prudentia dextrâ:

ac inter cæteros iſtiusmodi notæ, Fr. Hottomann. ad ſe pro imperio vocatum, admiſſionum in regia Navarrena magiſterio ornatum, in conſilio rerumqve actu habuêre. Ab his paullo poſt, immò & ab ea qvæ tum minorem annis regem regnumq; adminiſtrabat, in Germaniam bis miſſus eſt de Regis Regniqve rebus legatus, & auxilium â Cæſ. Ferdinando ordinibusqve Germaniæ rebus ruentibus petere juſſus. Exſtat dicta tum ab eo in comitiis Imperii Francofordienſibus oratio, ut eloqventiæ & civilis prudentiæ teſtis, ita verum nimis nimisqve malorum, qvibus tamdiu oppreſſi jacuimus, vaticinium. Adjunctus deinceps eſt *Franciſco Colinio Andelotio*, Illuſtri viro in Germaniam ad pecuniæ militumqve ſubſidium implorandum profecturo, fœminâ illâ rem totam tum procurante ad ſalutem filii Caroli IX. cujus Regis legati nomen cum emolumentis obtinuit hic noſter. Reverſus inde Argentoratum, cum magnis iteratisqve precibus â magno illo *Joan. Monlucio*, Valentino Epiſcopo, rogaretur, ut Valentinæ florentis qvondam, tum verò occidentis Academiæ inſtaurationem in ſe ſuſciperet, adſenſus eſt libens, homo pacis qvam belli artium, ac patriæ bono natus: & qvam lateritiam invenerat, marmoream intra triennium reliqvit. Illius ſanè conſilio factum eſſe conſtat, ut, qvæ in Gratianopolitana civitate inſtituta erat olim Academia, Valentinæ uniretur, ne duarum ſcholarum vicinia damnoſa magis eſſet

qvàm utilis. (e) Usus est tum amico & studiorum socio *Enimundo Bonefidio* probo doctoqve viro & qvi nunqvam â labore studiorum qviesceret. Notus ille eruditis, sed notior multo futurus, si non illum immatura mors rapuisset, & forteàn Hottomanni de se Judiciū an vaticinium impleturus, qvi eum summo inter ævi hujus Jurisconsultos loco futurum ominabatur, si vita suppeteret. (f) Triennio post Biturigas profectus est comitante qvæ

(e) *Hinc ut Instauratorem Academiæ Valentinæ nominatim Hottomannum celebrat Enim. Bonefidius, Rector tum hujus Academiæ, in programmate ad Studiosos juris Anno 1565. ejusqve commentarios in titulos ff. de Testamentis primum ibi conscriptos, ipsis egregie commendat.*

(f) *De Bonefidio hic addenda, qvæ* Thuanus libr. 59. Histor. *scribit: Eodem Anno Jcil. 1574. VI. Eid. Febr. Genevæ, cum tantum XXXVIII. annos exegisset, fato functus est Enim. Bonefidius, Chabovii ignobili vico in Valentino agro apud nos natus, homo probus & simplex, qvi cum pedem patriæ nunqvam extulisset, tamen Hebraicis, Græcis & Latinis literis ita egregie instructus erat, ut in celeberrimis Orbis Academiis operam Studiis dedisse sub præstantissimis magistris crederetur: in juris autem scientia, qvam Valentiæ profitebatur, adeo excelluit, ut Jacobus Cujacius, qvi Principatum illius tenebat, alicubi scripserit, si moriens rogetur, ut olim Theophrastus, non alium habere se, qvem discipu-*

qvæ suum deserere doctorem non sustinebat juventute, & invitante Margaretâ Francicâ Allobrogum & Biturigum Principe, ac palatium suum illi ad habitandum ultro offerente præter annuum stipendium. Vetus eâ in urbe Juris schola & Antecessorib. *Alciato, Barone, Duareno, Cujacio, Contio,* aliisqve nobilitata. (*g*) Invidit huic scholæ tantam

discipulis suis posset ostendere. Post tumultum Parisiensem à Fr. Hottomanno invitatus Genevam concesserat, ubi jus Orientale, cujus jam specimen aliqvod ediderat, majori opera illustrare aggressus, morte post biennium superveniente, spem de se tanto viro conceptam fefellit. Cui me nunc tanqvam Præceptori de me secundum ipsum Cujacium & Franc. Roaldesium, qvibus simul eodem tempore operam Valentiæ navavi, optime merito, hoc monumento parentare æqvum justumqve duxi.

(*g*) *Docuere enim ibidem, præter relatos à Doschio, Nic. Boerius, Nic. Russardus, Franc. Raguellus, Fr. Balduinus, Ægid. Hortensius, Hugo Donellus. Et postea Em. Merillius, Fr. Pinssonius, Fr. Broëus, Joh. Mercerus, ejusqve filius Jacobus, JCti excellentes. Conf.* Limn. Notit. Regn. Franc. libr. 5. cap. 11. *Ut proinde Vir summus Jac. Gothofredus,* in Præfat. Animadversion. Juris, *Bituricensem Academiam, ut olim in Orbe Romano Berytiensis, matrem & Nutricem Legum, sedere & audire, merito dixerit. Nulla adhuc schola, scribit* Cujacius ad Margaritam Valesiam Sabaud. & Biturig. *Du-*

cem

tam felicitatem qvod per totam Galliam mox recruduit civile latrocinium. Qvinto enim post adventum eam in urbem menſe, eccè ſubitò pacis aureæ

Occidente ſole, inhorreſcit mare:
Tenebræ conduplicantur, noctisqve ac nimbum
occæcat nigror.

Aurelianum igitur, qvo partium duces jam antè convenerant, cum Biturigis hærere tutum non eſſet, profugit. Ab iis in conſilium gravioribus in rebus adhibitus, fidem, prudentiam, moderationem ſuam omnibus comprobavit, cum & militarem licentiam adverſum ædes ſacras privatorumqve bona, qvantum in ſe, cuperet repreſſam; & Bleſenſem urbem juris in ea dicundi cauſsâ, ſedandiqve, qvi ut in urbe nuper capta metuebantur, tumultus gratia miſſus, integram & incolumem, qvantum licuit, conſervavit, ſolam inde continentiæ, æqvitatis, induſtriæ famam referens. Nimirum ab adminiſtrata innocenter provincia

Semper pauperior redit poteſtas.

Menſe ſeqventi pace initâ, an potius imagine pacis, cum duces illi oppidis à ſe captis præſidia ex pacto

---

cem Bituricenſi ſimilis, in qva omnes jus docent caſte, pure, cordate, ſine fuco, ſine fallaciis: aut ſi qvis tentet ſeqvius, non ſedilia, non ſolia, non, ut paucis omnia complectar, genius ſcholæ ferat: transferat potius ſtatim mutetqve illum, qvisqvis ſit, in meliorem formam.

pacto deduxissent, ea statim ab adversariis occupata milite senserunt. Sensit noster tempestatem imminentem, & in *Sacrocæsariense* oppidum (qvod in Bituricensi est provincia ad Ligerim diuturnâ obsidione & saguntina fame notissimum) se abdidit, ibiqve ad belli illius exitum substitit. Vix oppidum istud intraverat, cum ecce â *Martinengo* qvin per fraudem occupatâ jam portarum unâ, caperetur, minimum abfuit. Accurrit & noster cum armatis civibus, mori inibi paratus, qvam procerum qvorundam sub oculis, qvibus se notabilem patriæ libertatis amore fecerat, post contumelias & ludibria per tormenta spiritum offundere. Liberatum tamen oppidum, & pulsis hostibus actæ Deo servatori gratiæ populariter. In ea sede qvantumvis lituis circumqvaqve perstrepentibus, ad solita remedia & malorum recurrit solatia. Sacros codices, cumqve iis Augustini qvædam, qvæ penè sola secum habebat, diligenter & piè perlegit, excerpitqve qvæ usui essent. Libellum deniqve effingit verè sacrum de sacro. *Consolationis* nomen illi, qvam nuper â filio editam lecturi sunt qvicunqve pietatem amant, & Latinæ lingvæ novum satis istiusmodi in re nitorem. Tandem Biturigas redit ab eadem Margareta revocatus, cui charus fuit inter paucos. Ibi cum *Donello* collega suo, viro per doctrinam & pietatem clarissimo, vixit summo consensu, & ad juventutis Germanicæ petitionem Feudorum jus interpretatus est. Vix dum annus unus aut alter exierat, cum dies ille cruentus nunqvam sine gemitu, semper

per cum horrore nominandus, innocentium per universam Galliam summa decussit capita, & per omnes ordines promiscuè & impunè grassantibus improbis, vulnus istud lethale inflixit moriturae mox patriae: instillantibus in aurem adolescentis Principis, & â tam immani facinore abhorrentis qvibusdam voces has auctoribus suis dignissimas:

Sceptrorum vis tota perit si pendere justum
Incipit.

Eripuit tamen divina benignitas Hottomannum sitientibus ejus sangvinem inimicis. (*b*) Statim enim atqve de Castellonii vulnere intellexit, homo prudens, & qvi post fulgetram istiusmodi exspectandum esse tonitru horrendum dicebat, urbe excessit, frustra postea qvaesitus sicariis. Heic iterum cladem accepit res ejus familiaris amissâ supellectili, & qvod magis doluit qvòdqve jam antea semel acciderat, direptâ Bibliothecâ: (*i*) qvo ex naufra-

(*b*) *Discipulorum suorum, ac pracipue Germanorum, ope infami illi Laniena, qvam ad exemplum Parisina reliqva Urbes incredibili immanitate seqvebantur, subtractum una cum Donello*, Thuanus lib. 52. Histor. *refert, latiusqve nefandas, & miseratione dignas infausto illo die clarissimorum hominum cades exponit.*

(*i*) *De binis Bibliotheca sua direptionibus, (qvo vulnere nullum gravius sibi imponi potuisse scribit) qvibus*

naufragio pauculas vix tandem collegit tabulas. Neqve unqvam postea induci potuit, ut in patria consistendum sibi judicaret: non Andegavensis ipsius Ducis literis inflexus, non promissis, non deniqve cum ab eo Magister supplicum apud se libellorum dictus esset: hoc sæpè usurpans, *Frustra Neptunum accusat, iterum qvi naufragium facit.* Ad Allobroges igitur iterum tanqvàm in portum se refert, scriptisqve aliqvot eruditis contra fidem, immò per fidem ipsam cæsorum innocentiam constanter tuetur: & qvidem adeò efficaciter, ut qvi mollem putabant futurum ejus in tanta calamitate animum, prolixis pollicitationibus hortarentur ab istiusmodi scriptionis genere abstineret: qvibus ille hoc tantum reposuit, *Nunqvam sibi propugnatam causam qvæ iniqva esset: nunqvam qva jure & legibus niteretur, desertam præmiorum spe vel metu periculi; opprimi enim in bona caussa melius, qvàm male cedere. Non modò non excusandum parricidium, ultro etiam defendendam caussam innocentium.* Dignæ voces eo homine, qvi probitati atqve industriæ, non divitiis neqve ambitioni studeret. Igitur cum *instituta majorum tueri, sapientis*, & periclitanti patriæ non succurrere impii esse intelligeret, sanandis patriæ charissimæ vulneribus nobilem illum hominumqve sermonibus jactatum *de regni*

Galliæ

---

qvibus multas suas lucubrationes magno cum animi luctu ac mœrore perdiderit, vehementer conqveritur Hottomannus in Præf. Institut. Dialect. & epist. dedicat. ad Michael. Varronem.

Galliæ statu libellum & qvibusdam non impunè post paullò impugnatum emisit, qvo imperii illius initia, fundamenta, progressum, disciplinam, leges servando & amplificando regno latas, ex veterum auctorum scriptis in lucem revocatas ante oculos posuit omnium, ut qvibus artibus regnum hoc è parvo maximum esset â majoribus nostris factum, iisdem jam in ruinæ confinio positum conservaretur. (*k*) Eodem isto tempore, cum propter urbis &

(*k*) *Scriptum hoc Hottomanni, de Regni Galliæ Statu, in operibus ejus tribus libris distinctum habetur: qvorum prior de auctoritate comitiorum est; alter Leges de Successione Regia complectitur; ultimus Disputationem de Controversia inter Patruum & fratris filium, scriptam in gratiam Henrici, Navarræ tum, post etiam Franciæ Regis. Notandum tamen, librum ex his tribus primum sub titulo* Francogalliæ Genevæ Anno 1573. in 8o. *ex officina Jac. Stoerii prodiisse, dicatum Friderico Electori Palatino. Auctior tamen postea qvinqve capitibus recusus, cum prima editio XX. saltem capita numeraret. In hac Francogallia, non secus ac Cl. Seysellius de Regno Galliæ, affectu magis qvam veritatis studio, ejus regni Statum mixtum facere, atqve ea proferre videtur, qvæ antiqvioribus potius qvam suis temporibus conveniunt; Inde Boeclerus in not. ad Grot. mali exempli auctorem Hottomannum in hoc libro esse, dicit, ac Historiam non semel corrumpere.* Morisotus in Henrico M. cap.

& Doctorum celebritatem undiqve confluerent auditores, interqve eos è Germania aliqvot adolescentes Principum filii, Senatui urbis hoc â se postulanti concessit, ut ad docendi laborem reverteret: atqve heic eas qvæ propediem vulgabuntur, *in jus Civile scholas & libros Epitomatorum*, magna ex parte conscripsit, notisqve ornavit, qvos habuit semper in deliciis, *C. Julii Cæsaris commentarios*. Tandem cum miseræ Galliæ lux aliqva adfulsisse videretur, & in plerisqve regni provinciis miscella illa qvæ vocata sunt tribunalia constituta essent, & esset ipse in eorum breve relatus, qvi in Monpessulana civitate Judicis partibus fungerentur, consilii sui tenax & qvi mox rediviva mala præsagiret, cum primo adnuisse videretur, mox plane abnuit, ac *Basileam* se Rauracorum cum familia contulit, ob loci amœnitatem, cœli salubritatem & doctorum

M. cap. 11. *Hottomannum insolentis hujus tractatus editione infamasse celebre nomen suum scribit. Impugnavit hunc librum* Anton. Matharellus, *in responsione ad Fr. Hottomanni Francogalliam, edit. Paris. 1575. 8o. cui* Papirius Massonus *judicium de hocce scripto præmisit. Sed his opposuit Hottomannus libellum sub titulo Matagonis de Matagonibus Decretorum Baccalaurei, Monitoriale adversus Italo-Galliam, seu Anti Franco Galliam Anton. Matharelli, cum Strigili Papir. Massoni. Parisiis in 8o. 1577. Et contra hanc extat Massoni Responsum ad maledicta Hottomanni cognomento Matagonis.*

rum hominum consortium, Germaniæ verò Principum, qvibus erat charissimus & â qvibus freqventer accersebatur, viciniam: neqve inde se abstrahi passus est, qvamvis Illustrissimæ memoriæ Princeps Arausionensis & Bataviæ Ordines Amplissimi ad *Lugdunensem* suam simul natam & florentem Academiam benignissimè per *Janum Douzam*, nobilitate & doctrinâ præstantem virum, & per *Justum Lipsium*, Musarum delicium invitarent, ætatis ingravescentis, uxoris morbi, liberorum numeri excusatione usus. Sed ne in hoc qvidem Basileensi secessu data illi est â docendi munere vacatio: unde tamen sæviente peste ejectus *Mompelgardum*, Seqvanorum oppidum, ibiqve uxorem amisit liberorum undecim matrem, piam cordatamq; mulierem, cum qva sine animi læsione vixerat annos undetriginta. Hoc vulnere sauciatus, cum & cœlibem se & filios absentes cogitaret, ac qvatuor filias secum haberet, reversus est ad uxoris suæ sorores, ut in earum solatiis conqviesceret. Jamqve sexagenarius & rudem frustra sperans, vexatam illam rebus ita postulantibus & magnis viris hortantibus tractavit controversiam *de successione inter patruum & fratris filium*, (l) atqve in universum

(l) *Consultationem eo nomine in gratiam Navarri scriptam, opposuerat editæ Consultationi* Matthæi Zampini Racanatensis *de trivio J.C. & à fœderatis subornati, qva excluso Navarro, Galliarum regnum Carolo Borbonio Cardinali deberi, probare conatus*

versum de jure successionis regiæ in regno Galliæ: magno totius Galliæ bono, ut probavit haud ita multò post eventus, gratulantibus patriæ bonis omnibus tam opportunè tantæ molis rem â tanto viro ita illustratam, ut de ea inposterum dubitari non possit. His meritis præmium deberi cùm intelligeret Henricùs tum Navarræ Rex, ultro codicillos ad eum misit Senatoriæ in Consistorio suo dignitatis: cujus tamen eum fructum non tulit, qvem beneficus Princeps voluerat: ac opinor in tantis rerum omnium angustiis factum, ut ex annuo qvod debebatur salario, vix ad eum qvidqvam sicuti audio, pervenerit.

Horret animus qvæ jam dicenda sunt attingere: & facere non possum, qvin cum lacrumis mortem illius scribam, qvam ipse libenter amplexus est. Cum enim post sexagesimum ætatis annum scribendi docendiqve laborem indefatigatus continuaret, hydrope tentatus est. Species ea aqvæ intercutis, qvam medici tympaniten vocant: cujus morbi eò fuit dolor gravior, qvia vitæ majorem partem inoffensus â morbis transegerat, & senem factum senectutis se incommoda non sentientem lætabatur. Curandum igitur se medicis tradidit. Sed Allobrogico bello ingruente, senex o-

conatus fuerat, suamqve sententiam, confutatis contrariis, argumentis & exemplis abunde confirmaverat. Thuan. Histor. libr. 81. *Attingit hanc controversiam* Goldastus in Senior. libr. 3. c. 11. n. 26.

cii cupidus & qvi procul ab omni armorum ſtre-pitu levamen morbi ex cœli mutatione ſperaret, ſuum certè potius qvàm amicorum ſecutus conſilium, Baſileam revertitur, tantopere olim amatam ſibi. Ea in urbe majorem etiam tum ſtudiorum qvam valetudinis habuit rationem. Opera enim ſua, tertia minimum parte adaucta, mortis, opinor, propinqvantis conſcius, certos in tomos claſſesq; diſtributa recognovit. Morti paratum hinc dixeris. Cum optimus & doctiſſimus *Alibofius* archiatrum in aula Chriſtianiſſimi Regis Comes, per litteras admonuiſſet, non carere periculo morbum iſtum, reſpondit: non tamdiu inter vivos fuiſſe ſe qvin & mori didiciſſet, ac repetenti qvandocunqve ſpiritum Deo redditurum ſe animo intrepido, immo & cupiente. Igitur qvamvis omnia molientibus *Platero, Bauhino, Aragoſio,* viris in re medica peritiſſimis & Hottomannum amantibus, *ut magnæ arbores diu creſcunt una horâ exſtirpantur,* fatorum mandata peragente morbo, viresqve corporis evincente, Februarii die duodecimo, Anno Chriſti M. D. XC. ætatis LXV. placidè volensqve Deo ſpiritum reddidit, filii Dei opem, miſericordiam, & ab eo perqve eum ſalutem implorans, audientib. & in lacrumas erumpentibus amicorum qvi tum adſtabant potiſſimis, *Baſilio* maxime *Amerbachio,* eruditionis eximiæ Juriſconſulto. Corpus in Baſileenſi æde maxima depoſitum, conſpicuo loco, â Curatoribus ædis honoris ergò conceſſo: deducentibus funus omnium ordinum hominibus, magiſtratu, Academia, Gallis hoſpitibus, e-

reptum

reptum urbi & orbi tantum virum gementibus: cum inter Basileenses qvi hospitii jure, & Gallos, qvi patriæ prærogativa Hottomanni cadaver sibi ad sepulturam tradi debere contestabantur, qvale qvondam de Homeri patria inter septem illas urbes, certamen esset exortum defuncti memoriæ perqvam honorificum. Funebrem de Civitatis more concionem habuit *Joannes Jacobus Grynæus*, magni nominis Theologus & Pastorum in ea republica primicerius. Ea est in hominum manibus Germanice & Latinè scripta. *Samuel Grynæus*, Simonis F. nobilis Jurisconsultus, & Academiæ tum Rector tumuli curam & inscriptionis in se recepit, qvalis legitur illo loco. (*m*) Filios reliqvit Hottomannus superstites *Joannem* & *Danielem*; filias qvatuor. Liberos testamento inter eos scripto, ex æqvis portionibus heredes esse voluit; Vileriano tamen prædio & bibliothecâ Joanni natu maximo prælegatis. Joannem hunc pater præcipuo semper amore complexus est, ingenio ejus & moribus delectatus. Absentem certè in morbo sæpè inclamabat, & qvemcunqve ad se ingredientem animadvertebat, filium advenisse imaginabatur: novissima in luce desiderantibus optimi parentis oculis filium qvem plusqvàm oculos, aut si qvid charius est oculis diligebat. Huic igitur quæcumqve vivus habuerat charissima testamenti tabulis commendavit, filias suas, scripta

 sua

(*m*) *Qvam infra ex Simon. Grynæi Montim. Basilienss. adjectam inveniet lector.*

ſua. Et iſta qvidem dignis demum eo honore & præſtantibus doctrinâ & judicio viris inſcribi â filio voluit, qvandocumqve ederentur; (n) qvæ ut dixi, ante obitum recenſuerat omnia, ſed per notas & ſigna: ac periisſent poſtremi iſti fœtus, ni eos filii cura ſuſcepiſſet, immani qvidem cum labore, at immortali cum pietatis, diligentiæ, induſtriæ gloria. qvæ ſi qvando edentur (edentur autem ut ſpero & opto qvam primum) erunt opinor juris noſtri intelligentibus ceterisqve litterarum cultoribus non minus grata utiliave, qvam qvæ hactenus in lucem exiverunt: ſi non erunt gratiora qvæ poſt tot annorum curam & ſtudium conſcripſit morti proximus:

Ut eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Jam jam cadentis. --- --- ---

Ac mihi qvidem qvæ qvotve ſcripſerit reputanti, mirari ſubit tot eum legiſſe aliorum ſcripta, cum tot ipſe ediderit, tot eum edidiſſe, cum tot legerit. nimirum victu ſobrio (cum diceret naturam ſi adſveſcas parvo contentam eſſe) indefeſſus laboris & ſcriptoris illius qvi χαλκέντερος dictus non abſimilis, *ocium ſine litteris mortem & hominis vivi ſepulturam exiſtimabat:* (o) glorioſum dictitans, ut mi-

(n) *Qvod ipſemet* Joh. Hottomannus *teſtatur* in epiſtol. dedicator. Patris commentarr. ad titulos ff de Teſtamentis, ad Nic. Brulart. Sillerium.

(o) *Vere igitur prudenterqve* Petrus Ciacconius, *au-*

ctore

militari viro in acie occumbere, sic libris immori. eum qvi famam è libris peteret: qvam merito suo consecuturum se cum minime dubitaret, an qvo alio consilio, non amicis, non liberis flagitantibus indulsit, ut adhibito pictore effigiem illius apud se conservarent, qvamvis toto corpore decorus, statura excelsa, naso oblongo, oculis cæsiis, vultu augusto: relinqvere se illis veram sui imaginem moribus suis scriptisqve effictam testatus. Hottomanni tamen lineamenta morientis jam & veluti placidè sopiti, jussus ab amicis qvi ægrotanti adfuêre pictor expressit. Moribus fuit probis, gravibus, & compositis, pietatis veræ amantissimus. Sæpe illum liberi secretum captantem & in preces effusum deprehendere, qvarum formulas pia mens & pura sibi conscripserat, amoris illius divini facem, impuris ignoratam, qva expiati animi succenduntur, præferentes: cùm supplicationem sive orationem diceret esse πάνχρηστον medicamentum & qvod morbis omnibus salutariter subveniret. Sacros codices adsiduè legit, veterisqve ecclesiæ historiam & doctorum libros diligenti curâ à se

 adno-

ctore Schotto in ejus vita, judicare solebat: Si qva esset in vita mortalium felicitas animiqve oblectatio, eam in laudandarum artium studiis, nec alibi, qværendam videri: rursus si qva in his ipsis studiis, cum voluptate esset conjuncta utilitas, animorumqve salus, eam in divinæ scripturæ, qvam scrutari nos DEus præcipit, & SS. Patrum orthodoxæ fidei assidua lectione inveniri.

adnotatos, in iis maximè qvæ ad Ecclesiæ pacem, piorumqve hominum leniendas acerbitates pertinere videbantur. Et qvæ sacris de rebus scripsit piè prudenterqve, testimonio sunt, illum non inter eos *qvi disputare malunt qvam qvi vivere.* Patriæ vero amor qvantus in illo, dicere qvid adtinet? cui certum erat, *omnia licere pro patria*, qvi periclitanti remedia salutaria, cadenti sustentacula, qvibus uti posset ministravit: qvi lacrumis jacentem prosecutus est. Ac sicuti naturale est manum sæpius ad id decurrere qvod doleat, nunqvam non voce & scriptis testatus est, qvanto animi cum mœrore omnem hunc imperii Gallici contextum in multas partes dissilire multò ante prospiceret. (*p*) Animus illi in aperto: fucatum nihil fictumve: simulationum falsa oderat, flagitiorum impatiens etiam eorum qvæ superioribus admissa seculis. Aulicorum, qvi per adulationem malasve artes principibus obreperent, hostis: bonis grata illius in defensione innocentium constantia, improbis ideò non probata, qvia sub exemplo metuendum sibi judicabant. Rigor illi hac in re inde, *qvia plura sæpe peccantur, dum demeremur, qvam dum offendimus.* Amicis tamen jucundus acceptusqve, & qvi sales interdum neqve obscoenos, & ingeniosos usurparet. Ingenium sublime, vividum, promtum efficacisqve industriæ & inflexu ætatis demum, post tot, tam longi temporis ærumnas,

(*p*) *Videri hac de re potest Præfatio Hottomanni Francogalliæ præfixa.*

rumnas, fine cujusqvam tamen damno, injuria aliqvantum factus morofior. Patris certè offenſam forti animo tulit atqve Chriſtiano, ut & alia tam multa *dictu gravia, perpeſſu aſpera*, qvalia fuêre rei familiaris crebra nimis per tumultus bellicos damna: cum ſeculum ingratum & alii experirentur & ipſe in lucro jacturam rerum ob pietatis nomen deputaret, *nihilqve* duceret *infelicius eo cui nihil unqvam evenit adverſi.* Amicis uſus eſt optimis & doctisſimis qvibusqve in Gallia, Germania, Helvetia, aliisqve regionibus viris: qvorum heic recenſione accurata abſtinendum, ne in ambitionem compoſita ſeries tam immenſa videatur. Sanè litteræ ad eum ſcriptæ & in ſcriniis repertæ, fidem faciunt & â Principibus viris ſæpè conſultum, & doctos ubiqve viros amicitiam ejus expetiviſſe. Sed illorum nemo ſcripſit amantius, nemo crebrius qvam è Landgraviis natu major Gulielmus, laudatiſſimæ memoriæ Princeps, qvi eum ſæpè in conſilio, ſemper in precio habuit: Qvid memorem alios principes, civitates, optimates, qvibus fuit ob prudentiam, fidem, eruditionem acceptiſſimus, & muneribus auctus atqve ſalariis? In amicis obſervavit pium illum, moderatiqve ingenii *Melanchthonem* ſenem, ipſe adoleſcens ab illo redamatus. *Petrum Montaureum*, regis Karoli bibliothecarium, acerrimi judicii & exqviſitæ doctrinæ hominem admiratus: ut & utrumqve *Camerarium*, patrem, & filium, viros pietate & eruditione præſtantes. Doctrinam verò Hottomanni in omni litterarum genere fruſtrà dixero: neq;

P 4 pruden-

prudens soli lumen de tenui foculo addiderim. *Historiæ* qvidem *universalis indicem* â se conscriptum testatur ipse: (& ejus fortè an portio, qvam consolationem præscripsit) nam cætera qvidem ut & alia ejusdem multa inter tam crebras conuasationes & deprædationes periere litteratis. Sanè Gallicanæ historiæ tam accurata cognitio, ut Heros qvondam ille *Castellonius*, maris Gallici præfectus, & *Michael Hospitalius* regni Cancellarius, Historici regii munus cum annuo octingentorum aureorum salario huic, qvem unice diligebant, procuraverint, si per immanitatem temporum frui licuisset, bellorumqve æstus, ut regni hujus historiam fœdatam multis, incorrupta rerum fide ad posteritatem transmitteret ex archivis publicis. Senex etiam ad naturalium arcanorum cognitionem adspiravit, Plinii aliorumqve ductu & exemplo. (*q*) *Nullum enim modum esse dicere solitus est, investigandi veri nisi inveneris; & qværendi, defatigationem turpem cùm id qvod qværitur sit pulcherrimum*, amore solo scientiæ factum id crediderim ab eo,

(*q*) Michael Piccartus in Laudat. Funebri Scip. Gentilis, *Hottomannum Alchymiæ vanæ se spes credidisse scribit, eoqve pertinuisse verba ejus ad Gentilem in salutatione, ipsi morti vicino, excellentiæ titulum tribuentem, prolata:* Qvid tu vero, mi Gentilis, Excellentiam meam dicis: meum naufragium dic, meam miseriam, meam internecionem, morior nunc ego & omnia mea mecum, qvæ imprudentia vivo eripuit.

eo,qvi curiosum & nunqvam satiatum mentis oculum in omnia etiam abdita obseptaqve cuperet injicere. Sed præcipuum illi in excolenda qvam nanctus erat sparta studium. Juris enim cognitionem semel susceptam ad extremum vitæ spiritum persecutus est, qvam in republ. bene ac feliciter constituenda principem obtinere locum judicabat. (r) Eo studia sua omnia, labores omnes

 contu-

(r) *Pertinet huc adhortatio* Cujacii ad filium Jacobum, *præmissa tractatui VI. ad Africanum, qva Jurisprudentiæ studium præclare commendat; qvam hic adscribere non pœnitebit: Facultates, inqvit, domi reperies me amisso modicas, & ex ipsis subripietur tibi, ut accidit qvoqve mihi, pars melior, si longe me abfueris. Sed has neq; opta neq; spera, & aude ingredi modo tantum & inseqvi vestigia mea, & ex his certiorem tibi parare proventum. Studia hæc sunt juris civilis, sine qvibus (ut ea nominibus aliqvot tibi commendem) neqve stare res, neqve mores hominum constitui, componi aut temperari ullo modo possunt, sine qvibus prudentissimus cautissimusq; rerum homo, qvisqvis sit, qvantumvis felici sidere natus, nemo usus evaserit unqvam, sine qvibus æqvi & boni qvoqve speciem comprehenderit vix unqvam qvisqvam bene, nec si se dederit totum philosophiæ, nec si literis sacris. Nam philosophia universa tantum præcepta regendæ reipub. nos docet, nec attingit singula qvæqve. Theologia pietatem docet & verum Dei cultum, simpli-*

contulit. & fidem fecit tandem hujus suæ sententiæ dictiqve: *Nostrum hoc studium neq; tam agreste ac barbarum esse, ut non arte tractari; neq; tam asperum atqve horridum, ut non aliqvem ferre possit orationis cultum.* Tenebras igitur, qvæ in jure civili multæ, commentariorum luce discussit, & Triboniani salebras, ut ipse vocitare solitus est, plerasqve sustulit. Qvantum illius in hac opera meritum judicabit non ingrata posteritas, & sciunt qvi Digesta illa, qvæ indigesta ipse judicabat, Cæsarumqve Constitutiones non levi manu versant, illi qvid debeatur. Neqve hæc non insignis laus. possunt enim non boni tantum Principes, sed Jurisconsulti etiam

---

simplicitatem, æqvanimitatem, patientiam, contemptionem rerum humanarum, qvas ego virtutes te præcipuo honore colere maximè volo, & cetera condono, fili, si modo pius fueris & amans Dei, & vel si talis fueris tota vita talémq; te mihi struxeris servaveris qve & memoriæ meæ, qvid non desiderio meo abundè est? nec jam si in hoc unus esse vis, moror aut reqviro amplius qvidqvam. Sed placeret si velles etiam nosse qvod philosophi scripserunt, non ea tantum parte qvæ ad jus pertinet, verum & ceteris, placeret si ab his tandem instructus comparatusqve tractandis etiam rebus aliqvantulum, qvæ in regnis & civitatibus qvibusqve vertuntur, applicare velles animum, & eodem tenere juris civilis studia complecti eodemqve filo qvo me ad ea perduxi.

etiam uno in annulo perſcribi. *(s)* Neqve verò minus in Pragmaticorum libris & doctrina verſatus eſt: cum ad uſum fori referenda cenſeret magiſtrorum in ſcholis dictata. teſtantur hoc editi ab eo Conſultationum libri gravisſimis in negotiis principum & privatorum. Nam conſilii copiam præbebat volentibus, licebatqve conſulere qvamvis non transverſo foro ambulantem. Ac ſanè tanta illi in reſpondendo religio, tantus æqvi amor, ut â Principe qvodam in cauſa ſummi momenti conſultus & Principi reſcripſerit, ne rem iniqvam adgrederetur, & illius conſiliarios libere per litteras increpuerit, *qvod Principi ſuo pro more potentiæ ſuæ licere voluiſſent, qvod erat per leges illicitum:* qvamvis illi certa ſpes amplisſimæ mercedis præſens eſſet aliud reſpondenti. Et judices pleriqve in judicando ab ejus ſententia non temere receſſerunt. Vidit tamen perſpicaci vir ingenio, qvàm imperitè qvamqve impudenter eorum qvi ſe Pragmaticorum & Canoniſtarum nominibus venditant nonnulli, Romanas leges ad arbitrium ſuum inflecterent: ac fibulam iſtis impoſuerat diſputationibus qvibusdam ſuis contra ſectæ utriusqve Patriarchas: qvas furto ſibi periiſſe apud amicos ſæpe conqveſtus eſt: præter nonnulla earum capita, obſervationum libris ab eo poſt inſerta. Qvin & antè multo, cum optimo & ſapien-

(s) *Vix enim ſingulas ætates ſingulos JCtos ferre, JCtorum ſui & retro ſeculorum Princeps*, Jac. Cujacius ad Gregor. Lomellinum *vere ſcripſiſſe videtur.*

ſapientisſimo viro doleret tantum temporis tam inutiliter â juventute in ſcholis juris publicis impendi, videretqve aliam plane eſſe Rom. legum, aliam regni hujus rationem: & utrumqve tamen errore noxio confundi, ſcripto brevi ſed valido erroris hujus publici admonuit, ne deinceps juventutem noſtram pœniteret longi ſed infructuoſi in re non ita neceſſaria laboris. Libello nomen Tribonianiſmus. in eo πανεργίας & imperitiam Triboniani, juris Rom. varias in Contrarium variis temporibus mutationes, ejusqve in omnibus partibus ambages ex varietate ſcripturæ temporumqve, interpretum ſpinas tricasqve & qvæ aliæ labes, propoſuerat; ac evidentiſſimè non eſſe jus illud ad Galliæ mores valdè adcommodatum oſtenderat: & peritorum exemplo medicorum aliam longè breviorem juris docendi diſcendiqve viam uſibus noſtris commonſtraverat. Ac ſcriptum iſtud Soloni Galliarum Hoſpitalio lectum & probatum, cur lucem hactenus non viderit in ambiguo eſt. (t) niſi ſi per hujus ſeculi mores qvò maxime

(t) *Scriptus hic libellus à Hottomanno Gallice ad mentem Hoſpitalii, Galliæ Cancellarii, editusqve Anno 1605. poſt obitum auctoris: in operibus curante Lectiô Geneva excuſis, non legitur. Ex Gallica autem in latinam vertit hunc anonymus qvidam Anno 1645. qvi eum primitus apud Lindenbrogium viderat, prodiitqve* Hamburgi 1647. in 8o. *ſub titulo:* Antitribonianus *ſive* Diſſertatio de Studio

dio Legum. *Fuere qvi Hottomannum auctorem hujus scripti esse dubitarent, sed dubitationem omnem eximit filius Hottomanni, Johannes, qvi in* Epistola ad Nic. Brulart. Sillerium, *libellum, cui Tribonianismo nomen fecerit, Parenti aperte tribuit. Habetq; insuper pro Genuino* Herm. Conringius de Origin. Jur. Germ. c. 35. *In hoc libro, ut breviter dicam qvod sentiam, Justinianeæ Jurisprudentiæ iniqvior esse, omnibusq; ejus partibus indigne illudere, & qvod in aliis scientiis artibusq; Henr. Corn. Agrippa fecerat, idem fere in Justiniani libris tentare videtur Hottomannus. Exiguam enim, aut nullam dicit illorum hominum felicitatem, qvi meliorem ætatis partem in studio horum librorum consumunt, qvorum maxima pars aut abrogata, & extra usum sit, aut perturbationis & confusionis plena, aut contrarietatibus & antinomiis referta, aut vitiis & erratis infecta, aut per correctiones & mutationes, qvæ ut plurimum fiunt, in dubium & controversiam vocetur. Neqve artis excellentia, neqve voluptate qvæ ex ea percipiatur, tot homines ad hæc Studia excitari, sed sola spe commodi & qvæstus. Præterea Justinianum libris suis non aliter causidicos & rabulas progenerare scribit, qvam Cadmus olim seminatis Draconis dentibus bellatores produxerit. Qvod si Philippus Pulcher (qvi primus Universitates, in qvibus jus Romanum doceri debebat, constituit) consilium Catonis Censorini secutus esset, pergit, ac aditus auditoriorum muricibus stravisset, nescio annon rectius de populo suo meritus fuerit. O indignam JCto*

JCto orationem! Illud præterea in toto opere agit, ut Juventutem Gallicanam à lectione librorum Justiniani, tanqvam tædiosa & plane inutili, cum eorum ne decima pars in usum deduci possit, in Academiis plane abstrahat, usuiq; forensi, moribusqve Gallicis cognoscendis tantum addicat. Qvod cum in alio ferendum minime erat, tum vel maxime eo nomine excusari non poterit Hottomannus, qvem veluti Jurisprudentiæ mystam incomparabilem Barthius veneratur, & qvi totum vitæ tempus ingenti ad posteros laude, in Juris civilis studio, (qvod nescio qva ratione à libris Justiniani sejunctum vult) consumserat, illudq; interpretationibus eruditissimis illustraverat eximie. Scire deinde debebat Hottomannus, qvod prudenter sane Wilhelm. Maranus *illis respondet*, in orat. de recta Jur.doc.ratione deqve Antecessorr.delectu, *qvi usum fori in Academiis negligi subinde clamitant:* Non unius fori JCtum ibi informari, sed eum qvi ubiqve terrarum profiteri jus possit. Qvin ipsas illas Juris partes & materias, qvæ ab usu forensi magis remotæ creduntur, qvin etiam leges illas, qvas imperiti abrogatas vocant, ad usum fori cujuscumqve maximo cum plausu & approbatione commodissime aptari posse, si à perito artifice tractentur. Adhæc, perfectam scientiam, non ex cujuscunqve curiæ usu, qvi in orbe Christiano non unicus sit, sed ex libris juris metiri oportere. *Deniqve negare non poterat, ex consvetudine & consensu Regum Galliæ, vim Juris communis Jus Romanum obtinere in Gallia-*

rum

rum curiis & provinciis qvamplurimis, uti ex Gallicis scriptoribus latius probat Duck de auctor. Jur. civ. lib. 2. cap. 5. *qvamvis hoc Romanorum Legum rationi & aeqvitati, non auctoritati & sanctioni concedatur, teste* P. Pithœo in Præf. Collect. LL. Mosaicar. & Romanar. *Non dissimulantur qvidem Triboniani peccata & facinora, qvæ tantopere accusat & perstringit in* Antitribon. cap. 12. *Hottomannus, in componendis concinnandisqve Juris voluminibus, qvibus præfectus erat, admissa, & passim illa in libris observationum, aliisq; Juris commentariis indicat* Cujacius, & Fr. Balduinus in Præfat. Justiniani sui *breviter ita accusat:* Sed ubi Jus dare dicereqve serio voluit, repetitum ex antiqvis Legum tabulis & Prudentum Rom. commentariis, neqve illorum, neqve horum acumen pervidit semper: & sententiam aliqvando parum assecutus esse videtur. Qvid dicam de audacia, atqve etiam inconstantia in veterum legum verbis immutandis? Qvid de ea confusione, qva tanqvam malus coqvus multa jura miscuisse dicitur? *addit præterea: Neqve sane, nisi is aliqvando & accusetur & damnetur, commode multum sese locis liberare possent interpretes. Ut autem iis hanc* παῤῥησίαν, *pergit Balduinus, in histe studiis necessariam largiuntur boni & aeqvi judices, si modo ad intemperantem aliqvam petulantiam illa non evadat: Ita omnino hic addenda gravis de hac re doctiss. Antecessor. Frisii* Ulr. Huberi Digress. Justinian. lib. 3. c. 16. *admonitio: Non is sum, inqvit, qvi omnia Triboniani*

σφαλ-

σφάλματα κακεργίας καὶ παρεργίας, quæ exagitantur, velim tueri, sed quod identidem virum, cui Imperator οἰκονομίαν totius Jurisprudentiæ credidit, & qvem juris fuisse peritum res ipsa loqvitur, ita explodi & derideri videmus, quasi jus in qvo versabatur & qvod condidit, ne a facie qvidem nosset, ineptiisq; & plane puerilibus se passim implicuisset erroribus, id asserere, videndum, ne non ipsum puerile ineptumq; sit. Sed hæc Triboniani errata, qvæcunqve tandem, tanti certe non sunt, ut aut naturaliter hinc in libris ab eo compositis, ac ipsius disciplinæ materia & substantia ibi tradita ea vitia inesse dici possint, quæ corrigi vix queant; aut idcirco Justinianea Jurisprudentia rejici & extirpari jure meritoqve debeat. Qvanto rectius JCtus omni literarum ac scientiarum genere excultissimus & qvem, judicio Strauchii in Beryto cap. 4. §. 11. *non immerito Germaniæ Cujacium indigitare possis,* Hubert. Giphanius *de Jure Justinianeo sentit, in Justiniano suo, p. m. 54.* Illud nunc unum sine invidia & vere dicere possum, his qvatuor (*Codicis, scil. Pandectarum, Institutionum & Novellarum*) libris velut membris hujus Corporis, omne Jus, Sacrum, Publicum, & Privatum contineri; hoc est, ipsam Civilem scientiam sive politicam, eamqve ex optimis Romanorum & Græcorum, atqve adeò Hebræorum, & tandem etiam Christianorum legibus & institutis descriptam: Qvam Plato regalem scientiam & Principum verè propriam; Aristoteles Reginam ac Principem artium

xime ſalutaria qvæqve maximè diſplicent, qvo, *nec vitia jam nec vitiorum remedia pati poſſumus*, factum eſt, ut qvæ boni publici qvam privati in profeſſione ſua commodi amantior hic noſter conſcripſerat, poſt mortem demum ſuam legi voluerit.

Q Cete-

tium humanarum, uterqve gravis auctor, appellat. Qvare ut in hoc præclaro corpore nævi fortaſſe aliqvi ſint; Juſtiniano tamen, Conditori ejus, æterna laus & gratia debetur; qvi bis mille annorum ſapientiam, paulatim & hominū induſtria & DEI munere repertam, totqve annis vix collectam nobis conſervarit, in unum non ita magnum Corpus concluſam. Ea certè hujus Imperium exceperunt tempora, ut niſi uno ea volumine, eoq; non magno, eſſet concluſa, cùm ipſis veterum Juris-Conſultorū ſcriptis tota ferè interiiſſet; qvibus temporibus in toto pæne occidente, non ex Jure manu conſertum, ut Ennius ait, ſed magè ferro res repetere cœperunt: & Langobardi tandem ſuam Lombardam, Franci ſua Capitularia, Gothi in Hiſpania ſuas leges, qvarum XII. libri his annis ſunt editi; & in Africa ſuum Alcoranum Saraceni promulgarunt. *Et hæc ad Hottomanni Antitribonianum annotaſſe ſufficiant; de Præſtantia Juſtinianei juris, erroribusq; Triboniani, qvi partim condonari facile poſſunt meritis viri ſingularibus, partim ipſi, juſſum Imperatoris ſui in l. 1. §. 7. C. de Vet. jur. enucl. ſecuto, injuſte imputantur, alibi forſan dabitur differendi copia.*

Ceterùm in laboriofisfima ifta interpretandi juris exercitatione non caruit æmulis. *Qvemadmodum enim perfreqventia urbis loca properanti in multos incurfandum eft, & alicubi labi neceffe eft, alicubi retineri, alicubi refpergi :* ita in hoc actu vitæ & tam multis ufurpata legum profeffione inciderunt qværelæ qvædam & certamina. rem tamen ita Difpenfante Deo, ut ex magnorum virorum contentionibus dum fua finguli curatius expendunt ad litteratos fructus non exigui redundarint. Nam Balduinum qvidem olim amicum ; poftea famæ nominisqve hoftem expertus eft, qvod hominem, qvem nonnulli defultorem ecclefiafticorum certaminum vocitabant,amicè monuiffet,ut conftanter famam tueretur : ejusqve libellis oppofuit unicum illum de officio pii Jurisconfulti. Deinceps injurias illius atqve offenfiones supernè defpiciens cum eo certandum fibi non judicavit. Ubi autem cum magno illo Rom. juris antiftite Cujacio res fuit, tum verò dignum fe, dignum fama oppofitum adverfarium intellexit. Nolo cauffas contentionum, nolo fcriptorum aculeos parte ab utraqve referre, ne illud mihi qvis occinat : ὄλοιο θνητῶν συλλέγων τὰς συμφορὰς. Utrumqve reveritus fum dum viveret, & memoria utriusqve fancta mihi : illius ut hujus fcripturus vitam nifi fi alii occupaffent : atqve utinam res in nervum non erupiffet. Ita enim fentio : ad litteratum injuriam pertinere cum fe ipfi invicem litterarum myftæ infectantur. initia certè jurgiorum fuere tolerabilia ; cùm uterqve æmulum mutuis

tuis laudibus qvamvis dissentientem ferret. Erat sane Hottomannus in amicis laudandis non parcus, qvi amicè reprehendentes amaret: sed & qvi acerbè tamqvam erranti insultantibus ac bilem moventibus justi doloris aculeos ulturos ostenderet magis qvam infigeret; semper ut vitia qvam homines insectatus, & in rem potius qvam in personam egisse videretur. (x) Illius enim animum

(x) *Duo potissimum invenio scripta Hottomanni, Cujacii Juris commentationibus opposita, qvorum alterum est de Justinianico aureo, adversus Cujacii lib. 19. Obs. 31. alterum, libros duos amicabilium responsionum, observationibus ejus maximè contrarios, complectitur. In utroqve Hottomannus moderatione usus est laudabili, ac Cujacium vehementiorem in redarguendo & convitiis certantem, in* Præfat. dict. responsion. *placide reprehendit: Dura, inqvit, certe illa verba sunt, & petulantia, & dictu aspera, & vix ingenuo cuiqvam ferenda: Scutica dignus, stultus, mendax, cæcus, caliginosus, Os durum, Pro qvibus neqvaqvam illa referenda fuerunt, Tritapostata, Sanctimonialium confessor, temulentus; turbulentus Lutulentus. Nam, ut M. Tullius noster luculenter monet, differentium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ. Maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces, indignæ mihi Philosopho videri solent. Tum Torqvatus: Prorsus, inqvit, assentior. neqve enim disputari sine*

sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinaciâ rectè disputari potest. Et certe illud inter viros doctos adhuc usitatum calumniandi & maledicendi studium culpandum & detestandum maxime, estqve mos iste, qvi literas inqvinare cœpit, judicio *summi Grotii* in Prolegom. ad libr. de Jur. B. & P. *turpis fœtus impotentis animi. Qvanto rectius decet monitis incomparabilis Fabroti locum relinqvere, qvi in replicatione adversus Cl. Salmasium, eum hortatur, ut in arguendis, si qvas velit, opinionibus, utatur verbis, qvæ Juris auctoribus ad modestiam compositis sunt familiaria; veluti difficile est, mirum, novum, verius, non placet, non probo, verius arbitror, contrarium dicerem, contra sentio.* Utinam enim, *verba sunt Cœlii Secundi Curionis in Præfat. ad Opera Budæi,* qvemadmodum in Senatu prudentiumqve virorum consilio, sic qvoqve in re literaria liceat sine acerbitate odioqve ab aliis diversa sentire, modo id fiat veritatis indagandæ causa studioqve juvandi. In prudentium virorum consilio, non possunt omnes idem dicere, satis est omnes Reipubl. & civitatis, ad cujus sedent gubernacula, salutem spectare: ad eum vero finem asseqvendum alius alia, interdum ab alio non modo diversa, verum etiam contraria consilia profert. Oratio discrepat, mens est omnibus una, si boni sunt, salus civitatis, qvam legem Jupiter ipse sanxisse dicitur. Et hoc est, qvod alicubi prudenter dicit senator Cicero: Non idem semper dicere, sed idem semper spe-

ctare

Chriſtianis præceptis informatum imbutumqve, ...aruiſſe odio hominum crediderim *leves qvosdam ...nuesqve motus, ſuſpiciones & adfectuum umbras ...enſiſſe* non negaverim & ſunt, qvi *honeſtius putent ...ffendere qvàm odiſſe.* Odio certè vacuum, animiqve candorem hinc intelligas. Narrantem audivi Joannem filium V. C. profecturo ſibi commendata à parente ſcripta Cujacii, juſſumqve, *cum Davidis Pſalmis Paratitla illius perpetuo in itinere circumferre.* lætatumqve parentem Danieli filio natu minori, â tanto Doctore, tributa doctora-

---

ctare debemus. Idem ſentimus de fine, ſed non idem ſemper ſentimus aut dicimus de iis, qvæ ad finem conſeqvendum valent: qvoniam qvò tendas, pervenire ſæpe diverſis viis licet. Cur igitur, qvod in conſilio de Repub. dando permiſſum eſt, in re literaria, doctrinisqve non permitteretur? in qvibus tot tamqve varia, eaqve miris modis involuta continentur ut Delio urinatore, ad ipſum qvod qværitur τὸ ῥητὸν eruendum opus eſſe videatur. Ut enim nimium altercando ſæpenumero veritas amittitur, ſic moderate, ordine & ſcite diſputando qvæ diu latuit elicitur, & in ſolem diemqve profertur. Nam dubitando, qværendo, diſputandoqve ut â veteribus traditur, philoſophia mater bonarum artium, inventa & conſtituta eſt. *Hujusmodi autem certamen inter Budæum & Eraſmum fuiſſe ex laudato Cœlio, ad Vitam Budæi in not. lit.* (*o*) *p. 79. diximus.*

tus insignia. Sed suum utriqve decus posteritas rependet. Nam mihi qvidem de tantis viris judicium ipse non sumo: & conferre inter se illos in injuriam alterutrius non est moris, modestiæqve nostræ: qvantumvis sua uterqve certis in rebus propria laude floruerit. ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε πατὴρ, ἄλλῳ δ' ἀπένευσεν. dicam tantum qvæ ambobus confessione omnium fuere communia. Illustrarunt purissima doctrinæ suæ luce duo hæc lumina Galliam nostram uno eodemqve tempore, felici uterqve eadem in professione successu, ad qvam sua studia omnia referebant, suis exterisqve admirabiles; laboris patientissimi; doctissimorum ubiqve virorum verè dixerim patres informatoresqve, adeo ut rarus hodie in Galliæ Germaniæqve tribunalibus, qvi non alterutro horum doctore glorietur. Iisdem in Academiis antecessorum munere diverso qvamvis tempore, functi. honoribus non ambientes â Principibus aucti, iter illis ad immortalitatem nominis eundem per callem: eodemqve anno atqve eadem ferè ætate mortalitatem expleverunt. Hactenus de vita & morte Franc. Hottomanni qvæ visa dictu necessaria. omissa volenti compluria; ne adulationi proxima censeatur longior oratio. Tu nunc mihi salve & vale Hottomanno, *non vitæ tantum claritate, sed etiam mortis opportunitate felix. Tu qvidem nunc vivis in sinu Abrahæ, qvidqvid illud est, qvod illo significatur sinu, ibi vivis. nam qvis alius tali animæ locus? & spirituale os tuum, ad fontem Domini tui ponis, bibisq; qvantum potes sapientiam pro aviditate*

tua,

tua, sine fine felix. Nos in hoc cœno neqve vivere, neqve mori volentes valentesve, postremum illud tempus incurrimus, *qvo non jam per intervalla ac spiramenta temporum*, sed continuò & velut uno ictu rempub. hanc Christiani nominis furor hostilis nosterqve exhauriet. *κακῶν ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν.* Te igitur summe Deus, Deus criminum qvæsitor & vindex, idemqve misericordiarum Deus adoro supplex; favens propitiusqve tuis uti sies. Ecclesiam illam tuam ubiqve diffusam, Filii tui unici sponsam, adversus vim dolumqve defendas. hostis externi & domestici; & si qvi erunt qvi tibi tuisqve scientes volentesqve bellum faciant, eorum in caput bellorum has qvibus jam diu opprimimur calamitates vertas. *Ζεῦ μὴ λάθοιτο τοῦ δ' ὃς αἴτιος κακῶν.* Ignorantes veritatis tuæ lucem; improbos pœnitentiæ auxilio, regni hujus orbisqve universi incolas omnes pacis æternæ bono securos & felices esse patiaris. Kalend. Septemb. 1592.

TUMULI BASILEENSIS
INSCRIPTIO.

D. O. M. S.

HOSPES SISTE. FRANC. HOTTOMANNI I.C. M. V. MONUMENT. UTI GNARUS SIES HEIC EST. HAUT OPUS ULTRA SISTI FOSTE AN DIXIS DURANTE ÆTERNUM FAMA TALIUM QVI VITA MERUERE. IDCIRCO SUPERVACUUM MONUMENTI SUMT. QVOQVE DIXIS. TAMEN UTI GNARUS MAGE SIES HOSPES SISTE. LUTETIA PARIS. ET SENATORIA DOM. OLII MATER. DOMUS EA EX ANTIQ. ET NOB. OTMANNOR. FAMIL. APUD. SILESIOS GERM. GENTEM ORTA. PIUS SANCT. INTEG. JURIS JUSTITIÆQ. ANTISTES FUIT. JUS. CIV. ROM. SCRIPTIS SUIS EXCOL. INLUSTRAVIT. GRAVITER FACUNDEQ. IN PRIMORIB. GALL. ACAD. DOC. SEMINARIUM OPTIMOR. CIV. NON LITIGIOSOR. HOM. SCHOLA EJUS. HOC TAMQVAM AD FAN. THEMIDIS. UNDECUMQ. USQ. VENTUM. LEGATIONEM GERMAN. SUB. KAR. IX. GALL. REG. ALIQVANDIU PROSPEREQ. GESS. DE SUMMA REP. CONSULTUS BENE AC SAPIENTER LINGVA STILOQ. RESPONDIT. GRAVISS. AUGUSTISS. Q. CAUSSAS ETIAM ADVERSUM PATRIÆ TURBATORES CONSTANTER ET CUM FRUCTU GENERIS HUM.

HUM DEFEND. SENIOR GALLICOS PROPT. MOTUS PROPRIAMQ. PIETATEM IN GERMANIAM CEU PATR. ALTERAM MIGRAT. ILLEIC PRINCIPUM VIROR. AMICITIAM VIRTUTE DOCTRINA CONSILIO PRÆCIPUISQ. ALIIS HUM. ANIMI BONIS MERUIT. DEMUM BAS. RAUR. AGENS COELO ADSERT. PUB. MAX. LUCTU DAMNOQ. HARCE RER. CAUSSA CUMQ. GLORIA ISTI OMNEIS BONI DOCTIQ. CONSENTIANT SIETISQVE HAUD DUBIE VOS O POSTERI LARGITER CONSENSURI INLATO CORPORI MONUMENT. CUM HAC SCRIPTURA SCALPTURAVE FACIUNDUM F. ET AMICI AMP. ORD. ÆQ. ITA FIERI CENSENTE C. J. VIX. A. LXV. M. VI. D. XXI. OB. PR. EID. FEB. A. MESS. cIↄ Iↄxc. HAVETE ET ABITE HOSPITES SVLTIS ET EXEMP. TANTO FAVENTES PROPRITIQ. RECTE ATQ. E REP. QVA POTE EST ERIT FACITOTE.

JAC. LECTIUS, J.C.

σφάλματα κακοεγίας καὶ παρεργίας, quæ exagitantur, velim tueri, sed quod identidem virum, cui Imperator οἰκονομίαν totius Jurisprudentiæ credidit, & quem juris fuisse peritum res ipsa loquitur, ita explodi & derideri videmus, quasi jus in quo versabatur & quod condidit, ne à facie quidem nosset, ineptiisq; & plane puerilibus se passim implicuisset erroribus, id asserere, videndum, ne non ipsum puerile ineptumq; sit. Sed hæc Triboniani errata, quæcunque tandem, tanti certe non sunt, ut aut naturaliter hinc in libris ab eo compositis, ac ipsius disciplinæ materia & substantia ibi tradita ea vitia inesse dici possint, quæ corrigi vix queant; aut idcirco Justinianea Jurisprudentia rejici & extirpari jure meritoque debeat. Quanto rectius JCtus omni literarum ac scientiarum genere excultissimus & quem, judicio Strauchii in Beryto cap. 4. §. 11. *non immerito Germaniæ Cujacium indigitare possis,* Hubert. Giphanius *de Jure Justinianeo sentit, in Justiniano suo, p. m. 54.* Illud nunc unum sine invidia & vere dicere possum, his qvatuor (*Codicis, scil. Pandectarum, Institutionum & Novellarum*) libris velut membris hujus Corporis, omne Jus, Sacrum, Publicum, & Privatum contineri; hoc est, ipsam Civilem scientiam sive politicam, eamqve ex optimis Romanorum & Græcorum, atqve adeò Hebræorum, & tandem etiam Christianorum legibus & institutis descriptam: Qvam Plato regalem scientiam & Principum verè propriam; Aristoteles Reginam ac Principem artium

xime salutaria qvæqve maximè displicent, qvo, *nec vitia jam nec vitiorum remedia pati possumus*, factum est, ut qvæ boni publici qvam privati in professione sua commodi amantior hic noster conscripserat, post mortem demum suam legi voluerit.

Q Cete-

tium humanarum, uterqve gravis auctor, appellat. Qvare ut in hoc præclaro corpore nævi fortasse aliqvi sint; Justiniano tamen, Conditori ejus, æterna laus & gratia debetur; qvi bis mille annorum sapientiam, paulatim & hominũ industria & DEI munere repertam, totqve annis vix collectam nobis conservarit, in unum non ita magnum Corpus conclusam. Ea certè hujus Imperium exceperunt tempora, ut nisi uno ea volumine, eoq; non magno, esset conclusa, cùm ipsis veterum Juris-Consultorũ scriptis tota ferè interiisset; qvibus temporibus in toto pæne occidente, non ex Jure manu consertum, ut Ennius ait, sed magè ferro res repetere cœperunt: & Langobardi tandem suam Lombardam, Franci sua Capitularia, Gothi in Hispania suas leges, qvarum XII. libri his annis sunt editi; & in Africa suum Alcoranum Saraceni promulgarunt. *Et hæc ad Hottomanni Antitribonianum annotasse sufficiant; de Præstantia Justinianei juris, erroribusq; Triboniani, qvi partim condonari facile possunt meritis viri singularibus, partim ipsi, jussum Imperatoris sui in l. 1. §. 7. C. de Vet. jur. enucl. secuto, injuste imputantur, alibi forsan dabitur disserendi copia.*

Ceterùm in laboriosissima ista interpretandi juris exercitatione non caruit æmulis. *Qvemadmodum enim perfreqventia urbis loca properanti in multos incursandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi:* ita in hoc actu vitæ & tam multis usurpata legum professione inciderunt qværelæ qvædam & certamina. rem tamen ita Dispensante Deo, ut ex magnorum virorum contentionibus dum sua singuli curatius expendunt ad litteratos fructus non exigui redundarint. Nam Balduinum qvidem olim amicum, postea famæ nominisqve hostem expertus est, qvod hominem, qvem nonnulli desultorem ecclesiasticorum certaminum vocitabant, amicè monuisset, ut constanter famam tueretur: ejusqve libellis opposuit unicum illum de officio pii Jurisconsulti. Deinceps injurias illius atqve offensiones supernè despiciens cum eo certandum sibi non judicavit. Ubi autem cum magno illo Rom. juris antistite Cujacio res fuit, tum verò dignum se, dignum fama oppositum adversarium intellexit. Nolo caussas contentionum, nolo scriptorum aculeos parte ab utraqve referre, ne illud mihi qvis occinat: ὅλοιο θνητῶν συλλέγων τὰς συμφοράς. Utrumqve reveritus sum dum viveret, & memoria utriusqve sancta mihi: illius ut hujus scripturus vitam nisi si alii occupassent: atqve utinam res in nervum non erupisset. Ita enim sentio: ad litterarum injuriam pertinere cum se ipsi invicem litterarum mystæ insectantur. initia certè jurgiorum fuere tolerabilia; cùm uterqve æmulum mutuis

tuis laudibus qvamvis diſſentientem ferret. Erat ſane Hottomannus in amicis laudandis non parcus, qvi amicè reprehendentes amaret: ſed & qvi acerbè tamqvam erranti inſultantibus ac bilem moventibus juſti doloris aculeos ulturos oſtenderet magis qvam infigeret; ſemper ut vitia qvam homines inſectatus, & in rem potius qvam in perſonam egiſſe videretur. (*x*) Illius enim animum

 Chri-

(*x*) *Duo potiſſimum invenio ſcripta Hottomanni, Cujacii Juris commentationibus oppoſita, qvorum alterum eſt de Juſtinianico aureo, adverſus Cujacii lib. 19. Obſ. 31. alterum, libros duos amicabilium reſponſionum, obſervationibus ejus maximè contrarios, complectitur. In utroqve Hottomannus moderatione uſus eſt laudabili, ac Cujacium vehementiorem in redarguendo & convitiis certantem, in* Præfat. dict. reſponſion. *placide reprehendit: Dura, inqvit, certe illa verba ſunt, & petulantia, & dictu aſpera, & vix ingenuo cuiqvam ferenda: Scutica dignus, ſtultus, mendax, cæcus, caliginoſus, Os durum, Pro qvibus neqvaqvam illa referenda fuerunt, Tritapoſtata, Sanctimonialium confeſſor, temulentus; turbulentus Lutulentus. Nam, ut M. Tullius noſter luculenter monet, diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ. Maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesq́; in diſputando pertinaces, indignæ mihi Philoſopho videri ſolent. Tum Torqvatus: Prorſus, inqvit, aſſentior. neqve enim diſputari ſine*

sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia rectè disputari potest. Et certe illud inter viros doctos adhuc usitatum calumniandi & maledicendi studium culpandum & detestandum maxime, estqve mos iste, qvi literas inqvinare cœpit, judicio summi Grotii in Prolegom. ad libr. de Jur. B. & P. *turpis fœtus impotentis animi. Qvanto rectius decet monitis incomparabilis Fabroti locum relinqvere, qvi in replicatione adversus Cl. Salmasium, eum hortatur, ut in arguendis, si qvas velit, opinionibus, utatur verbis, qvæ Juris auctoribus ad modestiam compositis sunt familiaria; veluti difficile est, mirum, novum, verius, non placet, non probo, verius arbitror, contrarium dicerem, contra sentio.* Utinam enim, *verba sunt Cœlii Secundi Curionis in Præfat. ad Opera Budæi,* qvemadmodum in Senatu prudentiumqve virorum consilio, sic qvoqve in re literaria liceat sine acerbitate odioqve ab aliis diversa sentire, modo id fiat veritatis indagandæ causa studioqve juvandi. In prudentium virorum consilio, non possunt omnes idem dicere, satis est omnes Reipubl. & civitatis, ad cujus sedent gubernacula, salutem spectare: ad eum vero finem asseqvendum alius alia, interdum ab alio non modo diversa, verum etiam contraria consilia profert. Oratio discrepat, mens est omnibus una, si boni sunt, salus civitatis, qvam legem Jupiter ipse sanxisse dicitur. Et hoc est, qvod alicubi prudenter dicit senator Cicero: Non idem semper dicere, sed idem semper spe-

ctare

Christianis præceptis informatum imbutumqve, caruisse odio hominum crediderim *leves qvosdam tenuesqve motus, suspiciones & adfectuum umbras sensisse* non negaverim & sunt, qvi *honestius putent offendere qvàm odisse.* Odio certè vacuum, animiqve candorem hinc intelligas. Narrantem audivi Joannem filium V. C. profecturo sibi commendata â parente scripta Cujacii, jussumqve *cum Davidis Psalmis Paratitla illius perpetuo in itinere circumferre.* lætatumqve parentem Danieli filio natu minori, â tanto Doctore, tributa doctora-

---

ctare debemus. Idem sentimus de fine, sed non idem semper sentimus aut dicimus de iis, qvæ ad finem conseqvendum valent: qvoniam qvò tendas, pervenire sæpe diversis viis licet. Cur igitur, qvod in consilio de Repub. dando permissum est, in re literaria, doctrinisqve non permitteretur? in qvibus tot tamqve varia, eaqve miris modis involuta continentur ut Delio urinatore, ad ipsum qvod qværitur τὸ ῥητὸν eruendum opus esse videatur. Ut enim nimium altercando sæpenumero veritas amittitur, sic moderate, ordine & scite disputando qvæ diu latuit elicitur, & in solem diemqve profertur. Nam dubitando, qværendo, disputandoqve ut â veteribus traditur, philosophia mater bonarum artium, inventa & constituta est. *Hujusmodi autem certamen inter Budæum & Erasmum fuisse ex laudato Cœlio, ad Vitam Budæi in not. lit. (o) p. 79. diximus.*

tus insignia. Sed suum utriqve decus posteritas rependet. Nam mihi qvidem de tantis viris judicium ipse non sumo: & conferre inter se illos in injuriam alterutrius non est moris, modestiæqve nostræ: qvantumvis sua uterqve certis in rebus propria laude floruerit. ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε πατὴρ, ἄλλῳ δ' ἀπένευσεν. dicam tantum qvæ ambobus confessione omnium fuere communia. Illustrarunt purissima doctrinæ suæ luce duo hæc lumina Galliam nostram uno eodemqve tempore, felici uterqve eadem in professione successu, ad qvam sua studia omnia referebant, suis exterisqve admirabiles: laboris patientissimi; doctissimorum ubiqve virorum verè dixerim patres informatoresqve, adeo ut rarus hodie in Galliæ Germaniæqve tribunalibus, qvi non alterutro horum doctore glorietur. Iisdem in Academiis antecessorum munere diverso qvamvis tempore, functi. honoribus non ambientes à Principibus aucti, iter illis ad immortalitatem nominis eundem per callem: eodemqve anno atqve eadem ferè ætate mortalitatem expleverunt. Hactenus de vita & morte Franc. Hottomanni qvæ visa dictu necessaria. omissa volenti compluria; ne adulationi proxima censeatur longior oratio. Tu nunc mihi salve & vale Hottomanno, *non vitæ tantum claritate, sed etiam mortis opportunitate felix. Tu qvidem nunc vivis in sinu Abrahæ, qvidqvid illud est, qvod illo significatur sinu, ibi vivis. nam qvis alius tali animæ locus? & spirituale os tuum, ad fontem Domini tui ponis, bibisq; qvantum potes sapientiam pro aviditate tua,*

tua, sine fine felix. Nos in hoc cœno neqve vivere, neqve mori volentes valentesve, postremum illud tempus incurrimus, *qvo non jam per intervalla ac spiramenta temporum,* sed continuò & velut uno ictu rempub. hanc Christiani nominis furor hostilis nosterqve exhauriet. *κακῶν ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν.* Te igitur summe Deus, Deus criminum qvæsitor & vindex, idemqve misericordiarum Deus adoro supplex; favens propitiusqve tuis uti sies. Ecclesiam illam tuam ubiqve diffusam, Filii tui unici sponsam, adversus vim dolumqve defendas. hostis externi & domestici; & si qvi erunt qvi tibi tuisqve scientes volentesqve bellum faciant, eorum in caput bellorum has qvibus jam diu opprimimur calamitates vertas. *Ζεῦ μὴ λάθοιτο τῶν δ' ὃς αἴτιος κακῶν.* Ignorantes veritatis tuæ luce; improbos pœnitentiæ auxilio, regni hujus orbisqve universi incolas omnes pacis æternæ bono securos & felices esse patiaris. Kalend. Septemb. 1592.

TUMULI BASILEENSIS
INSCRIPTIO.

D. O. M. S.

HOSPES SISTE. FRANC. HOTTOMANNI C. M. V. MONUMENT. UTI GNARUS SIES HEIC EST. HAUT OPUS ULTRA SISTI POSTE AN DIXIS DURANTE ÆTERNUM FAMA TALIUM QVI VITA MERUERE. IDCIRCO SUPERVACUUM MONUMENTI SUMT. QVOQVE DIXIS. TAMEN UTI GNARUS MAGE SIES HOSPES SISTE. LUTETIA PARIS. ET SENATORIA DOM. OLII MATER. DOMUS EA EX ANTIQ. ET NOB. OTMANNOR. FAMIL. APUD. SILESIOS GERM. GENTEM ORTA. PIUS SANCT. INTEG. JURIS JUSTITIÆQ. ANTISTES FUIT. JUS. CIV. ROM. SCRIPTIS SUIS EXCOL. INLUSTRAVIT. GRAVITER FACUNDEQ. IN PRIMORIB. GALL. ACAD. DOC. SEMINARIUM OPTIMOR. CIV. NON LITIGIOSOR. HOM. SCHOLA EJUS. HOC TAMQVAM AD FAN. THEMIDIS. UNDECUMQ. USQ. VENTUM. LEGATIONEM GERMAN. SUB. KAR. IX. GALL. REG. ALIQVANDIU PROSPEREQ. GESS. DE SUMMA REP. CONSULTUS BENE AC SAPIENTER LINGVA STILOQ. RESPONDIT. GRAVISS. AUGUSTISS. Q. CAUSSAS ETIAM ADVERSUM PATRIÆ TURBATORES CONSTANTER ET CUM FRUCTU GENERIS

HUM DEFEND. SENIOR GALLICOS PROPT. MOTUS PROPRIAMQ. PIETATEM IN GERMANIAM CEU PATR. ALTERAM MIGRAT. ILLEIC PRINCIPUM VIROR. AMICITIAM VIRTUTE DOCTRINA CONSILIO PRÆCIPUISQ. ALIIS HUM. ANIMI BONIS MERUIT. DEMUM BAS. RAUR. AGENS COELO ADSERT. PUB. MAX. LUCTU DAMNOQ. HARCE RER. CAUSSA CUMQ. GLORIA ISTI OMNEIS BONI DOCTIQ. CONSENTIANT SIETISQVE HAUD DUBIE VOS O POSTERI LARGITER CONSENSURI INLATO CORPORI MONUMENT. CUM HAC SCRIPTURA SCALPTURAVE FACIUNDUM F. ET AMICI AMP. ORD. ÆQ. ITA FIERI CENSENTE C. J. VIX. A. LXV. M. VI. D. XXI. OB. PR. EID. FEB. A. MESS. cIↃ IↃXC. HAVETE ET ABITE HOSPITES SVLTIS ET EXEMP. TANTO FAVENTES PROPRITIQ. RECTE ATQ. E REP. QVA POTE EST ERIT FACITOTE.

JAC. LECTIUS, J.C.

Alia Tumuli inſcriptio extat in Simonis Grunæi monumentis Baſilienſ. p. 82.

FR. HOTTOMANNI,

J. C.

MORTALES EXUVIAS TANTISPER
ASSERVANDAS,
DUM
CHRISTO JUBENTE IMMORTALES
EXSURGANT,
AMICI SUB HOC SAXO
DEPOSUERE,
LOCO HONORIS ERGO AB ÆDIS
CURATORIB. LIBERALITER
CONCESSO.
VIXIT AN. LXIII. MENS. V.
D. XX.
OBIIT PRID. EID. FEBR.
AN. cIↄ Iↄxc.

Gallia progenuit: ſervat Baſilea ſepultum:
Interitus expers nomen ubiq; viget.

FRANC.

FRANC. HOTTOMANNI. C. M. V. EPICEDIUM.

EX hoc viator paucula,
Dignare Saxo, discere,
Qvem diviti Lutetiæ,
Qvem ditibus Parentibus,
Honoribus qvem maximis,
Christi crucis ludibria,
Et qvidqvid immanis jubet,
Vis impiorum perpeti,
Decies qvaternos qvatuor,
Fortem per annos vidimus,
Perferre tempestatibus,
Nullisqve territum malis:
Qvo Sensa juris intima,
Legumqve griphos omnium,
Mirabili facundia,
Veræ æqvitatis ex penu,
Promente, tota Gallicæ
Et totius Germanicæ
Plausere pubis pulpita,
HOTMANUS HIC MAGNUS JACET.

T. B. V.

ALIUD.

HUjccine vos tumulum molirier? huccine famam
Viro apparare, Rauraci?
Cui tumulum tellus fama auſpice tota miniſtrat,
Thetis miniſtrat utraqve
Irritus ô, propriæ accendunt niſi præmia laudis,
Amor laborqve Rauraci.
Prona fides dicto: nam cui Virtusqve Pudorqve,
Vaſtum recluſit æthera,
Qvi Themidis pius Antiſtes, qvi grande togato
Exemplar exſtat ordini,
Qvi fera diſſidiis, longosqve experta tumultus
Silentio plectit fora,
Qvi carie & fœdis expurgat Sordibus artes,
Reparatq; priſtinum decus,
Cui recti veriq; tenax facundia ſævis
Stetit periclis fortior,
Qvi jura aſſeruit patriæ, ſacroq; profanum
Fulmen revicit fulmine:
Credite, qvi tumulum, memorisqve encomia famæ
Viro apparatis, Rauraci.
Huic tumulum tellus fama auſpice tota miniſtrant
Thetis miniſtrat utraqve.

JAC. LECTIUS.

MEMO-

MEMORIÆ ÆTERNÆ FRANC. HOTTOMANNI JC. SACRUM.

EXterna ad Rheni ripam tumulatus arena,
Tam procul à patria, patriæ qui lumen & ingens
Splendor erat. meruit patria banc ingrata repulsam,
Quæ decus ipsa suum patriis consistere terris
Non tulit. O facinus! Nam quis te doctior unquam,
Quis potior pietate unquam, patriæq; bonisq;
Æterno vovit victuras tempore chartas?
Sed te posteritas, te nostri, Hottomanne, nepotes
Ereptum, veris lacrumis, veroq; seqventur
Mox gemitu, postqvam (frustra heu fortasse) reqvireret
Teq; tuiq; similes tua Gallia: postqvam
Orbatam tali sese doctore querelas
Barbaricos inter scopulos male tuta juventus.
Nos has interea violas, hos spargere flores
Et juvat, & justum est: tumuloq; inscribere versus,
Incomtos certe, sed nostri pignus amoris,
Officiiq;: ut ne me ingratum fama loqvatur.
Ocellus, iste Galliæ fuit suæ;
Ocellus, iste juris & Dices fuit;
Ocellus, iste clusus est simul, Dice
Vagatur orba lumine, orba Gallia.
Hunc Pietas tumulum, tumulum hunc Astræa tuentur
Astræa cultorem suum,
Cultoremq; suum Pietas, post fata tuentur
Adversa fata huic seculo.

Et se desertas gemebunda voce qveruntur,
Cultore privatas suo.
Qvin reditum ad superos infesta voce minantur
Ni talis exemplum Viri :
Hujus tu inspector tumuli, pietate seqvaris
Ni nos seqvamur posteri.
Hoc ipse è tumulo clamat post fata superstes
Hoc ipse mandat posthumis.

PETR. NEVEL. DOSTI.

Anton. Mornacius in Feriis Forensibus & elog. illustr. Galliæ togatorum.

Minor ut Othomannus suo Cujacio
Ita major ille cateris ac doctior.
Germania senem aluit, sepulchroq; abdidit.

SCRI-

SCRIPTA FR. HOTTOMANNI.

Opera ejus Tom. III. cura Jac. Lectii, JC. edita sunt *Genevæ apud Heredes Eustathii Vignon & Jacobum Stoer. An. 1599. fol.*

Continentur autem

Tom. I.

Elogium Fr. Hottomanni Petr. Nevel. Doschii, edit. *Francof. 1595. in 8o. & Hanov. 1613. in 12.*

Epitomatorum in Pandectas libri XXII.

Disputationum Juris. civ. Volumen unum, qvod complectitur I. Disput. de Gradibus cognationis & adfinitatis, edit. primum 1547. II. de Sponsalibus, III. de ritu nuptiarum & jure matrimoniorum, IV. de Spuriis & Legitimatione, V. Ant. Hottomanni, JC. de veteri ritu nuptiarum Observat. Qvæ disputationes aliàs sub tit. de Castis incestisve nuptiis prostant, edit. *Genev. 1585. Lugdun. 1593. & Francof. 1619. in 8o.* subjunct. qvoqve Barn. Brissonii tractatt. de ritu nuptiarum & jure connubiorum, ed. *Lugdun. Batav. 1641. & Amstelod. 1662. in 12.* VI Disputatio est de Dotibus, hæc in trr. de Dotibus *ap. Gymnicum Coloniæ 1591. in 8o.* editis habetur, VII. de Donationibus omnium generum, IIX. de Pactis & Transactionibus, IX. de Præscriptis Verbis, X. de eo qvod interest & de Mora, cum Steph. Forcatuli & Æmyl. Ferretti ejusdem argumenti libellis prodiit *Hanov. 1599. in 8o.* XI. de

Uſuris & Fœnore, à qva diſput. diverſus commentarius ad tit. ff. Cod. & Decretal. de Uſuris, *Baſil. ap. Epiſcop. 1576. 8o.* XII. de Tribus Qvartis, Falcidiana, Legitimaria & Pegaſiana. Editum hoc Volumen, paucis exceptis Diſputationibus, principio *Lugduni ap. Gryphium, 1569. fol.*

Qvæſtionum illuſtrium liber. Diſputatio qvædam ejusdem, habita Biturig. Cujacii commentar. in L. frater à fratre. Cui ſubjuncta eſt ejusdem Hottomanni vetus renovata Diſputatio in eundem legem, & Diſput. contra C. Raynutius, de Teſtament. Item appendix adverſus novam ejusdem legis interpretationem, qvam nuper Leſcurius, vir eruditiſſimus promulgavit in ſuo Africano, qvi & ipſe huic appendici additus eſt. *Genev. 1573. & 1598. Pariſ. ap. Henr. Stephanum 1576. Lugduni 1579. & 1585. in 8o. & Hanov. 1610. in 12.*

Obſervationum & Emendationum libri XIII. qvibus adjecta eſt epiſtola Joh. Wilhelmi Neonebelli pro Hottomanno, contra cenſuram Joh. Baſii Friſii in Diſp. Paradoxis. Ex libris iſtis ſeparatim plurimi initio Baſileæ & alibi ab Anno 1560. diverſo tempore prodiere. Libri novem conjunctim, cum duobus Amicabilium Reſponſionum libris (qvi etiam *Hanov. ap. Gvil. Anton. 1601. in 8o. 1611. in 12. excuſi*) & ejusdem Conſiliis edit. *Genev. 1586. & 1589. fol.*

Anton.

Anton. Hottomanni Dialogus de Barba. *Antverpiæ 1586. 8o.*

Commentarius de Verbis Juris, Antiqvitatum Romanarum elementis amplificatus: de Magistratibus, de Legibus, de Senatu & SCtis insignibus, de JCtis, de formulis, de Comitiis Pop. Rom. *Basil. ap. Episcop. 1558. & 1563. Parisiis 1558. & Lugdun. ap. Gryph. 1569. fol.*

Partitiones Juris Elementariæ. *Basil. ap. Episcop. 1560. in 8o. Genev. 1589. in 16.* editioni huic Genevensi addita ex Hottomanni Universæ Historiæ Indice, particula de Statu Imperii Rom. & rebus gestis Impp. à Jul. Cæsare usqve ad Justinianum Aug.

JCtus sive de Optimo genere Juris interpretandi, cui simul L. Gallus, L. filius, L. frater à fratre, L. vinum, L. precibus, explicationes additæ. *Basil. ap. Hervagium 1559. in 8o.* Interpretationes in LL. istas obscurissimas edit. *Lugdun. 1564. 4o.* JCtus vero separatim *Lugdun. 1566. & 1569. & Genev. una cum Partit. Element. 1589. in 16.*

Institutionis Dialecticæ ex fontibus Philosophorum libr. IV. *Genev. 1573. & 1593. in 8o.*

Tom. II.

Commentarius in qvatuor Institutionum Juris civ. libros. *Basil. ap. Hervag. 1560. & ibid. 1569. Venet. 1569. & 1588. Lugdun. 1565. 1567. & 1588. in fol.* qvæ editio qvinta est, eiqve Justiniani Vita, à Hottomanno conscripta, præmissa. Diver-

 sus

ſus hic commentarius à Corpore Inſtitutionum juris, ex Juſtiniani libr. 4. Ulpiani 1. & Caji 2. à Hottomanno concinnato & edit. *Lugdun. 1566. in 16.*

Scholæ in qvam plurimos titulos Digeſtorum & Codicis, adhibita ad ſingulas leges interpretatione:

Ex Pandectis.

Ad tit. de Pactis & Transactionibus. *Genev. 1594. in 8o.*

Ad tit. Qvi teſtamenta facere poſſunt &c. & de Liber. & poſthum. hered. inſtit. vel exhered. *Genev. 1593. 8o. & Francof. 1665. 4o.*

Ad tit. de Regulis Juris.

Ex Codice.

Ad tit. de Pactis & Transactionibus. *Baſil. & Genev. 1575. in 8o.*

Ad tit. de Judiciis. *Baſil. 1576. in 8o.*

Ad tit. de Uſufructu. *ibid. d. a.*

Ad tit. 1. 2. 3. 4. &c. usqve ad tit. 35. libr. IV.

Ad tit. de Pignoribus & Hypothecis, ac reliqvis omnibus ad hanc materiam in Cod. pertinentibus titulis; qvibus præmittitur commentar. in tit. Digeſtor. ejusdem argumenti. *Baſil. ap. Epiſcop. 1576. in 8o.*

Ad tit. de Donationibus.

Com-

Commentatio tripertita ad libros Feudorum. *Lugdun. 1573. fol. & Colon. 1573. in 8o.* Continet autem Pars I. Commentar. ad libr. 1. & 2. feudorr. qvibus librum tertium addidit ex Constitutionibus Impp. Germanicorum, P. II. Disputationem de Feudis, P. III. Dictionarium Verborum Feudalium.

Consiliorum Volumen unum, multis Consultationibus auctum. *Genev. 1578.* editum qvoqve hoc Volumen cum ejusd. Auctoris Disp. illustr. de Controversia Patrui & nepotis in regni successione & Joh. de Terra tract. de Jure success. legitim. in reg. hæreditat. *ibid. 1586. fol.*

Tom. III.

De Jure Regni Galliæ libri tres, qvorum prior est de auctoritate comitiorum: alter continet Leges de Successione Regia: tertius vero Disputationem de Controversia inter Patruum & fratris filium, scriptam in gratiam Henrici Navarræ Regis, & oppositam Zampini tract. de Successione prærogativæ primi Principis Franciæ, edit. *Basil. 1585. & Genev. 1588. in 8o.* Ubi notandum, librum primùm sub tit. Francogalliæ *1573. & Colon. 1576.* auctiorem vero postea multis locis & capitibus prodiisse *Francof. ap. Wechel. 1586. & ibid. 1665. in 8o.*

Antiqvitatum Romanarum libri V. liber 1. Leges, SCta, Magistratuum munia, JCtorum nomina & formulas veteres complectitur, lib. 2. est de

Varia Reip. Rom. & Magiſtratuum ratione lib. 3. ex Commentationé in LL. XII. Tabb. conſtat, lib. 4. De Re Nummaria Pop. Rom. cum ejusdem Diſputatione de Aureo Juſtinianeo (ſeorſim *Baſil. 1584* in 8o. edita) *Pariſ. & Genev. 1585. in 8o.* cui acceſſit Voluſius Mœtianus JC. Rhemnius Fannius, Priſcianus Cæſarienſis de Aſſe, Ponderibus & Menſuris, it. Budæi & Philandri Breviarium de Aſſe lib. 5. eſt de Lite ordinanda itemqve de Pœnis & ſuppliciis ap. Romanos.

Commentarii in Orationes M. T. Ciceronis, eas maxime qvæ aliqvam juris qvæſtionem continent, & ſpeciatim in Orat. pro P. Qvinctio, pro S. Roſcio Amerino, pro Q. Roſcio Comœdo, Accuſationes omnes in Verrem, pro M. Fontejo, pro A. Cæcina, pro L. Manilia. (Commentarr. in has Ciceron. orationes edit. *Pariſ. ap. Rob. Stephan. 1554. fol.*) porrò pro C. Rabirio perduellionis reo, pro A. Licinio Archia Poeta, ad Qvirites poſt reditum, poſt reditum in Senatu, pro Domo ſua ad Pontifices, pro P. Sextio, in Vatinium, pro M. Cœlio, de Provinciis Conſularibus, in L. Piſonem, pro T. Annio Milone, pro C. Rabirio poſtumo. Qvibus additæ Aſconii Pediani Commentationes in aliqvot orationes Ciceron. in easdemqve Hottomanni notæ; ſcil. in tres Verrinas & Qvartæ initium, in orat. pro C. Cornelio, in orat. contra C. Antonium & L. Catilinam, in orat. contra

tra L. Pisonem, in orat. pro M. Scauro, in orat. pro Milone.

Commentarius in Epistolam Ciceronis ad Q. fratrem de Provincia recte administranda. *Lugdun.* 1564. 4o. *Basil.* 1591. *in* 8o.

Notæ renovatæ in C. Julii Cæsaris Commentarios de Bello Gallico & civili, cum figuris. *Lugdun.* 1574. & *Francof.* 1606. *in fol.*

Consolatio è sacris literis. Recenset in illa, teste *M. Hanckio libr. 2. de rer. Roman. Scriptor. P. 2. c. 72. n. 7.* res totius veteris ecclesiæ notabiles, ex Bibliis certa in capita redactas. Incipit ab orbe condito, definit in Codice Divino, Judæis urbem Hierosolymitan. instaurantibus, per Ezram publicis in comitiis commendato. prodiit *Lugdun. per Fr. Preuxium* 1593. *in* 8o. & *Hanov. ap. Gvil. Anton.* 1613. *in* 16. cum subjuncto Cæsarum Rom. Indice.

Præfationes, qvas suis qvondam libris Hottomannus præmisit.

Præter ista in Operibus comprehensa scripta, Hottomanni sunt, ipsiqve tribuuntur seqventia:

Anti-Tribonianus sive Dissertatio de Studio Legum, edit. Gallice 1603. Latina versio ed. *Hamburgi* 1647. *in* 8o.

Græco-Gallia. *Genev. ap. Jac. Stoer* 1573. & *Francof. ap. Wechel.* 1586. *in* 8o. *Draud. in Biblioth. Class.*

Ad Remundum Rufum defensorem Rom Pontif. contra Carolum Molinæum de Statu Primitivæ Ecclesiæ, ejusqve sacerdotiis: de Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, Primatibus, Primæ sedis Episcopis, Chorepiscopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, de Pontificis Rom. potestate & amplitudine, de religione Pop. Romani ex instituto Numæ: liber sub nomine Franc. Vilierii impressus *Genev. à Job. Crispino 1553. in 8o. & Argentinæ fol. cum Cardin. Poli libr. de Ecclesia. Simler in epit. Biblioth. Gesner. Anton. Teissier. P. 2. les Eloges des Hommes Savans ad An. 1590.*

Joh. Palmerii Nullitatis Protestatio adversus formulam Concordiæ, & Joh. Franc. Aspastis Salassi U. D. M. in virulentam planeqve sophisticam Andr. Pouchenii criminationem, qvam adversus Joh. Palmerii justas & necessarias protestationes conscripsit, pro eodem Palmerio vera atqve modesta defensio. Utrumq; libellum Hottomanno deberi ex Schlüsselburgio & Huttero docet *Placcius de Scriptor. Pseudonym. p. 153. & 233.*

Fulmen Brutum Pont. Sixti V. contra Henricum Franc. & Navarræ Regem eidem Hottomanno tribuit *Teissier*, eumqve vertisse scribit Apologiam Platonis pro Socrate, è Græco in lingvam Gallicam.


De

De Cœna Domini libellum, Indicem universæ Historiæ ab O. C. Disputationes contra Gvidon. Papium & Paponium Arrestographum & aliqvot ejusmodi Pragmaticos, Observationes it. Nizolii in Ciceronem auctiores conscriptas esse à Hottomanno testatur *Simlerus* c. l.

Hottomanni qvoqve est Matagonis de Matagonibus monitoriale adversus Anton. Matharelli Italo Galliam *Paris. 1577. & 1593. 8o.* it. Strigilis Papir. Massonii. *ed. Paris. 1578. 8o.* de qvibus in not. lit. (k) p. 222.

VITA JACOBI CUJACII, JCti,

Papirii Massonii Opera & stilo conscripta. (*a*)



JACOBUS CUJACIUS Tholosas, (*b*) qvod posteri fortàssis mirabuntur, se ipsum in Græcis ferè Latinisqve politioribus literis nullo docente erudiit: qvam ob causam à nobis raro præ-

(*a*) A Pancirolo *qvidem de* Clar. LL. Interpret. lib. 2. c. 190. *&* Joh. Imperiali in Musæo Histor. p. 100. *descripta extat, pleraqve omnia tamen à Massonio, pauculis exceptis, qvæ suo loco indicabimus, desumta sunt.*

(*b*) *Tholosa, de qva* Hadr. Valesius in notit. Gallian., *doctissimorum JCtorum genitrix & altrix semper fuit. Ut enim antiqviora omittam tempora, superiori certe & nostro seculo præclara illa Jurisprudentiæ & elegantioris literaturæ nomina*, Cujacius, Joh. Bellonus, Anton. Gvil. Costanus, Joh. Corasius, P. Faber, Bertrandorum *illustris gens*, Philipp. Bertherius, Stephan. Durantius, Gvil. Maranus, Vincent. Cabotius, Janus à Costa, Innoc. Cironius, Cadanus, Fermatus, (*à Menag. Amœn. Jur. Civ. cap. 43. eximie laudatus*) Ant. Dadin. Altesserra, *aliiqve viri doctissimi Palla-*

præclaroqve nomine αὐτοδίδακτος appellabitur: ac juris Romani radices tanta cura effossas in lucem protulit, ut cæteri ante ignorasse illas, ipse solus post multos & qvæsivisse diligentius, & penitius invenisse videatur. Sane nullus hac ætate sive in Gallia, sive in Germania, aut Italia, aliisve provinciis juris interpres fuit, qvi non deberi plurimum Cujacio putaverit ob exponendi juris Romani solertiam. (c) Tholosæ primum illi scientiæ

R 5 operam

Palladiæ huic aut ortum debuere, aut ejus fuerunt alumni.

(c) *Cum multa & egregia de Cujacio legantur eruditissimorum virorum Judicia, qvædam hic subjungenda erunt.* Petr. Faber lib. 2. Semestr. cap. 12. *Summum Divini Themidos oraculi vatem atqve antistitem nominat:* Jac. Gothofredus *e lateri-cia auream fecisse Jurisprudentiam dicit in* Hist. Jur. cap. 9. Lipsius lib. 2. epist. 7. ad P. Fabrum, *Virum & laude sua & seculo majorem esse scribit. Summus* Grotius lib. 3. cap. 9. de J. B. & P. *incomparabilem in Romani Juris studio judicat.* Broeus in Histor. Jur. Chronol. *hunc unum instar multorum interpretem putat, qvi indefesso & supra fidem labore, cum magna ingenii vi amice conjurante Jurisprudentiam immensis opibus ditaverit, luce magna donaverit, præceptis illustraverit; qvi acri firmoqve ingenio pollens, multa spuria & adulterina, qvæ per incuriam in jus irrepserant, stylo confoderit, labes pene omnes expurgaverit, inco-* gnita

operam dederat *Arnoldo Ferrerio* illuſtri Jurecon-ſulto docente, cui poſtea Commentarium de Uſur-patio-

---

gnita detexerit, inexplicata expoſuerit, ſepulta & tenebris obſita, revocaverit, barbariem amandaverit, ſqvalidam deniqve & ſordidam Themidi laneam togam ademerit, & auream impoſuerit. O-*mnium autem in Cujacium congeſtas laudes, ſuperare videtur* Joh. d' Avezani Anteceſſor. Aurelianenſ. in elogio Jani à Coſtæ. *Magiſter, inqvit, ſine exemplo maximus, qvi in nocte & tenebris ſui temporis, ſingularis eruditionis artifex, & major genio ſeculi exiſtens, lucem & vitam dedit renaſcenti in Gallia Juriſprudentiæ. Neqve ullus unqvam tam alte penetravit arcana Juris civilis & Pontificii, intimosqve receſſus, & latebras omnes indagavit, cujus ſcriptionem adſimilare ſoleo Timantis Pictoris tabulis, in qvibus plus ſemper intelligebatur, qvam pingeretur. Hunc enim nunqvam legeris ſine fructu, & qvo ſæpius legas, plus auferas, continua fertilitas eſt. Qvantum demis, naſcitur, & cum omnia collegiſſe te putes, plus relinqvis. Deniqve qvicqvid legitur in ejus libris, nitet qvidem & fulget etiam in Cortice, ſed dulcius in medulla eſt; indeqve fit, ut omnes candidi, & æqvi ingeniorum æſtimatores eruditionem ejus extollant, & ſuſpiciant; ingenii illius monumenta, & labores in ſæculi gloriam, & Reipublicæ utilitatem emenſos laudent, & virtutem colant, niſi forte illi, qvi nimia ſui fiducia freti, & emiſſitios habentes oculos maligne aliena opera carpunt, & ſubſannant.*

pationibus & uſucapionibus inſcripſit. *(d)* Verum malo qvodam Tectoſagum Volcarumve genio accidit, ut ibi in petitione cathedræ repulſam pateretur, prælato Midæ auribus Apollini Marſya, id eſt, *Stephano Forcatulo Bleterenſi*, homine inſulſo & ad docendum minus idoneo. (*e*) Qvæ prima

(*d*) *An.1556. Biturig. Fuit autem tum Ferrerius Senatus Pariſienſis Præſes, eumqve Præceptorem optimum grato agnoſcit animo, ac laudat inſuper in epiſtola ad* Paul. de Foix Conſil. Reg. *eximie: Unum, enim inqvit, è multis, qvas audivi, Ferrerium excipio, ſummum & admirabilem JCtum, qvo nemo publice docuit vel docebit unqvam ornatius, ſubtilius, facilius, fideve & diligentia majore, nemo qvi audiverit dicet ſecus. Hujus ego acroamata & recitationes aliqvot de ſervitutibus, de lege Falcidia, de Legatis, de eo qvod intereſt, ut L. Craſſi orationes de Lege Servilia ſibi M. Tullius ait, ſic mihi ſemper prædicabo fuiſſe magiſtras, nec ſi eſſent in manu, alio hodie in meis ſtudiis rectore uterer libentius; amiſiſſe me eas improvidum, ut ne linea qvidem apud me ſuperſit pudet pigetqve, & dolet ſæpenumero mediis vigiliis hanc mihi non allucere facem, nec alluxiſſe etiam, ſcripta mea qvod produnt nimis.*

(*e*) *Pudor eqvidem inqvit Mornacius ad l. ult. C. de Jur. emphyteut. Palladiæ Tholoſæ, eo nomine jam olim memorabili,* Pith. in Præf. ad Qvintil. *antepoſitum olim in ſchola ita celebri tam ineptum ardelio-*

ma ei ac præcipua relinqvendæ patriæ, ut ingratæ, causa fuit, Cadurcumqve migrandi, mox *Bituri-gas,*

---

d. honem (qvem Tabor facetum magis qvam prudentem Juris Doctorem nominat) incomparabili suo Cujacio. Agnovere qvidem hunc errorem suum postea Tholosani, & sæpius ad Docendum in schola sua invitarunt, sed serò & frustra; illis laconico & acuto hoc, teste Tabore in Memor. Bitschio Locamer. *in pristini contemtus vindictam responso dimissis:*

Senatui P. Q. Tholosano Jacobus Cujacius S. P. D.

Frustra absentem reqviritis, qvem præsentem neglexistis. Valete.

Objicit hanc Tholosatium repulsam Cujacio inter alia adversarius ejus acerrimus Joh. Robertus Aurelianens. Animadversion. lib. 1. cap. ult. *cui tamen in annot. ad d. c. sub nomine Anton. Mercatoris fortiter & animosè respondet Cujacius, & Senatum populumqve Tholosanum ab eo tempore, qvo à Biturigibus evocatus sit, non destitisse sublatum ex oculis desiderare & reqvirere. Contigisse ipsi Pancirolus d. c. 190. scribit, qvod Servator noster ait: Neminem Prophetam in patria acceptum reperiri. Qvapropter miror, qvid in mentem venerit* Auctori Vitæ Wilhelm. Marani, *cum calumniam hanc, & Papirii Massonii commentum esse dicat; qvod Professoris Cathedram ambientem Cujacium, Tholosana Academia unqvam respuerit. Tan-*

gas, qvo eum *Michael* ille *Hospitalius*, Margaritæ tum Henrici II. Francorum Regis sororis, Ducisqve Biturigum Cancellarius evoçavit. (*f*) Omnia fere

Tantam hominis impudentiam, pergit, qvis ferat? qvi sine testibus, sine monumentis, aut levi prætextu, innocenti Academiæ, Patriæqve, qvæ magnis viris semper favit, atrocem injuriam inferre ausus sit: dum Cujacius ipse silet; qvis vero in acerbissimo odio sileat? & ex Actis Academiæ liqvido constet, illum nunqvam ad disputandum prodiisse; his præcipue temporibus, qvibus volunt, illi Forcatulum fuisse prælatum. Nec qvod idem scripserint Thuanus & Scæv. Sammarthanus, viri æterna laude dignissimi, ideo culpandi: à vero etenim uterq; aberravit, ex infida alterius auctoritate. Sed neqve penitus hac de re silere Cujacium jam ostensum est, & potior Massonii, Thuani, Sammarthani, Mornacii, & Taboris hac in re auctoritas, esse videtur, qvam ut ab hoc scriptore in dubium vocari possit.

(*f*) *Successit in Academia Bituricensi JCto, Clarissimo* Fr. Balduino, *qvi inde in Academias Germanicas, Argentinam scil. & Heidelbergensem docendi juris causa concesserat. Collega tum datus Franc. Duareno & Hugoni Donello, qvi posterior non ita æqvo animo hanc Cujacii surrogationem in Balduini locum tulisse videtur; reprehensus ob id à Mich. Hospitalio in epistola à Scip. Gentile inter opuscula Donelli posthuma exhibita p. 268. cui tamen Donellus d. l. p. 270. respondet, multis se modis excusans.*

re Doctorum atqve interpretum juris volumina jam pridem legerat, nullis tamen ex iis sordibus contractis, purè atqve dilucidè in auditorio perpetuò docuit: idqve munus per qvadraginta fere annos continuatis noctu diuqve laboribus subiit, (g) mirabili juventutis concursu, seu Tholosæ profiteretur, qvæ propter hunc suum alumnum Palladia iterum dici potest, seu *Duionæ Cadurcorum* ad Oltam amnem; seu *Biturigis Cuborum* ad Avaronem; seu *Valentiæ Cavarum ad Rhodanum*; ubi & *Franciscum Rhoaldesum Rhutenum* JC. moribus & eruditione eximium collegam habuit, (h) seu

(g) *Qvi indefessus labor procul dubio mortem longiori vita dignissimi viri, acceleravit: pertinaces enim studiorum vigiliæ, ut senilem plerumq; membris pallorem inferunt, ita instillatum à natura opifice rorem illum, qvo vitalis alitur flamma caloris, latenter nimis atqve inopinanter exugunt. Nulla vero vel firmissimi corporis constitutio, illorum fere potest obsistere detrimento: etiamsi vere Cujacius excellenti naturæ prærogativa, hoc ad absolutam usqve pertulit senectutem.* Joh. Imperial. in vita Cujacii.

(h) *De Francisco Rhoaldesio, cujus nomen fere inter JCtos ignotum, adjicienda hic sunt, qvæ à* Thuano Histor. lib. 96. *memorantur: Abstulit hic annus, scil. 1589. scribit, Fr. Roaldesium Marsilliaci in Rutenis humili municipio natum, virum, in qvo pietatis & morum candor cum rara doctrina certabant.* Is

seu *Taurinorum Augustæ*; trans Alpes invitatus ab Emanuele Philiberto regionis illius principe Margaritæ Francicæ marito, seu Biturigis iterum magnis civium precibus eo tandem revocatus. Ut enim apes regem suum qvocunqve ierit, sic adolescentes juris studiosi Cujacium seqvebantur: ve-

Is J. U. Divonæ Cadurcorum primum cum Ant. Goveano; dein Valentiæ Cavarum, ubi ei, nec non Jac. Cujacio, qvi illum omnis antiqvitatis reconditæ locupletem penum appellare solitus erat, operam navavit; ac postremo Tolosæ, qvo à Job. Stephano Durantio evocatus fuerat, ad multam ætatem laude cum summa professus, alienam potius industriam juvare, qvam proprio nomine inclarescere voluit; nullis fere editis scriptis, cum qvotidie super gravissimis juris qvæstionibus & rei antiqvariæ arcanis coram & per literas, à doctissimis viris consuleretur. Tandem mærore ex indigna amplißimi & amicissimi viri (fuit is Durantius, de cujus horrendo, sceleratißimorum hominum insania, exitu vid. Thuan. lib. 95. Histor. pr. & Fr. Bertrandus infra in Vita Joh. Bertrandi) *nece concepto, ibidem paulo post septuagenario major Octobri mense obiit; hoc unum in morte alioqvi minime molesta sibi dolere dictitans, qvod urbem, qvam puer tanqvam humanioribus literis inimicam vitaverat, senex inhumana tanti senatoris cæde sceleratam aspicere, & in ea spiritum emittere cogeretur. Aliud Roaldesii elogium habetur ap.* Mornacium in fer. forensib.

Incla-

veneruntqve è Germania aliisqve longinqvis provinciis in Galliam complures omnibus virtutibus politi, tantum ut Cujacium velut alterum Livium viderent, utqve cum eo colloqverentur. Verborum vim atqve analogiam adprime calluit, antiqviorum juris auctorum exemplo, historiæqve veteris notitiam, ac maximè Romanæ, utilissimam juri explicando & perniciosè ab omnibus fere interpretibus antea neglectam, in magno pretio habuit, eaqve ut hamo aureo piscari se in jure civili, & abdita scrutari trahereqve è tenebris in apertam lucem testabatur. (i) Scripsit atqve edidit qvam

---

In claruit Musis sagacioribus
Roaldus. Eruditior nemo uspiam
Scitis nepotum Romuli. Ad miraculum
Vetusta Pontificum, & recentia didicerat,
Medica, Mathesin, penitioraqve physica.
Vir cujus alliciebat omnes comitas,
Cujusqve erat simplex in omnibus solertia.
Sed, qvod dolent nunc cultiores literæ,
Nihil reliqvit unde doceat posteros.

(i) *Qvantam Jurisprudentiæ Roman. studiosis adferat utilitatem Historiarum conjunctio, non tantum suo exemplo testatum reliqvit Cujacius; sed plerique omnes elegantiores JCti in eo consentiunt. Nam licet* ἀρχιτεκτονικὴ *illa nostra, urat fulgore suo, & prægravet has artes infra se positas, nihilo secius tamen in earum sinum blandum illabatur subinde necesse est: Non ob illam tantum in commune* *Histo-*

qvam plurima qvæ & ſtilo & gravitate rerum Africanum & Papinianum redolent, mentione in iis facta amicorum per qvos profecerat: qvod magna

S ingenia

HiſtoriæRomanæ cum Juris diſciplina cognationem, ſine cujus comitatu Matrona hæc noſtra minus honeſte procedit: verum ob ſecretius illud & μυστικώτερον τῆς ἱστορίας ἀπόμοιρον, ſine qvo ne noſcibilis eſt Conſtitutionum Imperatoriarum majeſtas. Jac. Gothofr. in epiſtol. ad Cl. Salmaſium Deſcript. veter. Orbis præmiſſa. *Sed nemo cupidæ Legum juventuti magis auctor ſvaſorqve extitit, ut Hiſtoriæ ſtudium ſimul amplecterentur, qvam* Fr. Balduinus. *Hic in* Præfat. ad Jurisprudent. Mucian. *eam Jurisprudentiæ cum Romana hiſtoria, & hiſtoriæ cum Jurisprudentia Rom. perpetuam conjunctionem agnoſcit, ut duas unius veluti corporis partes indiviſas eſſe putet; tamqve indiviſas, ut qui eas dividant, utramqve corrumpere videantur: & jure iis reſponderi poſſe dicit, qvod olim Caſcelius reſpondit cuidam mercatori, navem cum ſocio communem dividere volenti. Cum enim multis annis, inqvit* libr. 2. de Inſtitutione Hiſtor. univerſæ & ejus cum Jurisprudentia conjunctione, *revolvam illam eorum, qvos Juſtinianus nobis reliqvit, librorum (ut vocare ſoleo) συναγωγὴν, magis atqve magis ſentio, qvandam illius (ut appellatur) corporis legitimi ἀνάλυσιν hiſtoricam inprimis utilem fore: & cum multi multa diſputent de ratione docendi diſcendiqve Juris, nihil*

ingenia laudem ex alienis habitura perinde ac suis sæpe fecerunt. Ex iis primum omnium opus *Notarum*

---

hil tamen agi video nisi si fiat, quod opto. Equidem non nescio Jus illud, quod jam annis propè viginti docui, tractari atque explicari multis modis posse. Sed eam tandem, de qua loquor, rationem viamque interpretationis & suavissimam & utilissimam & commodissimam esse expertus sum: neque aliam esse didici, quæ ad dignitatem hujus disciplinæ propius accedat. Fateor multas esse de multis juris privati partibus & mysteriis subtilissimas Jurisconsultorum disputationes, tanquam appendices legum, quæ vix quicquam habeant cum historia commune: propterea que eas separatim (quod facere soleo) evolvendas esse fateor. Sed reliquas tantò magis partes, quæ (ut ita dicam) principales sunt, conjunctim cum historia, ex qua veluti dependent, tractare velim. Atque utinam liceat aliquando mihi seriò tentare, quod desidero. Non est vulgare quod opto. Opto historiam universam, sacram & civilem, veterem & novam, nostram & peregrinam colligi: & simul Jurisprudentiam priorem & posteriorem, divinam & humanam, coalescere. Denique ex duobus istis veluti corporibus historiæ & Jurisprudentiæ unum conflari velim: & aliis, si persuaserim ut idem velint, multum me effecisse puto. Quo Balduini libello cum nullus in hoc genere eruditior extet, miror eum à JCtis Clarissimis Dn. Hahnio & Dn. Eisenhart, cùm de hoc argumento in illustri Julia, ille An. 1640. hic 1667. differerent, prætermissum.

tarum ad Regulas Ulpiani ab illo Tholosæ adhuc agente conscriptum, fundamenta continet juris deinceps perpetuo servata inædificataqve: qvod ut solidæ jam tum doctrinæ certiq; judicii argumentum, non vulgaris eruditionis hominibus deinceps admirationi fuisse video. Cæterum exqvisitissimos codices rerum abditarum, omnisqve generis scriptorum antiqva exemplaria habebat studiosissimè per omnem Galliam investigata erutaqve è situ ac pulvere, qvædam etiam aliunde nec sine ingenti sumptu advecta, non aliter æstimans qvam lineas margaritarum: qvorum *Josephum Scaligerum* Julii filium Nitiobrigum Aginno ortum, eruditissimum virum, dein etiam Academiam Biturigensem heredem se relicturum in privatis colloqviis non semel dixisse fertur, præsertim post amissum *Jacobum* filium (*k*) jam puberem, qvem ex priore uxore *Magdalena Roria* Franc. Avenionensis Doctoris medici filia, susceperat. nam ex secundis nuptiis, qvas jam senex cum *Gabriela Hervæa*, ex clara honestaqve familia apud Biturigas contraxit, unica ei filiola *Susanna* superest. (*l*) Recitavit è suggestu longe plura qvam edidit, edi non nisi ad id selecta à se cupiens: plura inqvam, etiam

 ad

(*k*) *Ad qvem exhortatio Patris ad African. tract.6. legitur.*

(*l*) *Qvam Massonius Gabrielam,* Pancirolus de clar. LL. interpret. lib. 2. cap. 190. *Annam Herveam nominat; filiam, Elisabetham; Sed Massonii major hac in re & certior fides.*

ad jus Pontificium pertinentia, aliqvot annis ante mortem conversus ad Decretalium interpretationem prius qvidem aliqvatenus neglectam aut potius sepositam, sed in flexu ætatis habitam in pretio. Ut vero Cujacii cæteras virtutes ac laudes plena manu in astra benevoli auditores ferebant, ita hoc mirandum in modum suspicere ac prædicare soliti erant, & merito qvidem, qvod, seu difficiles, seu non usqve adeò obscuras leges expositurus esset, continuas sex, vel septem aut octo horas singulis lectionibus meditandis digerendisqve impendebat, anteqvàm auditorii suggestum conscenderet: ac si qva de re vel tantillum non satis sibi liqveret, ultrò comperendinabat, id à se sibi suæqve existimationi tribui prædicans Tanto autem amore studiosos auditores complectebatur, ut sæpe eis nonnihil pecuniæ lubens crederet, interea dum venientem à suis expectarent: asserens leges sine illo præsidio non satis benè habere. Ipse etiam honestum corporis sui cultum amans, lautè, & tamen frugaliter, vixit, convivis delectatus suis. Nec facultates ei deerant, publicis stipendiis certatim evocato, ut aliqvot ante obitum annis â *Gregorio XIII.* prudentissimo scientissimoqve juris Pontifice Romano, qvi illum *Bononiam* ut iret, literis hortatus est, proposito etiam majore aliqvanto honorario. (*m*) Sed neqve dignitates & magistratus.

(*m*) *Optasse qvidem, memorat* Joh. Imperial. in Vita Cujac., *Cujacium ad Bononiensem Gymnasium qvondam*

tus. Nam & cum Valentiæ doceret, Senatoris *Cularonitani* sive *Gratianopolitani* munere atqve officio, qvoties voluit, Regis beneficio perfunctus est, pari etiam dignitate Taurini ei à Principe delata. Interdum verò, omissis studiorum laboribus, relaxabat animum curis, atqve epulabatur lautius, sumptibus etiam suis, cum selectissimis auditoribus, idqve ruri: & cum sermo de rebus ludicris incidisset, eum minimè aversabatur: unum illud ægerrimè ferens, si qvid tum maximè ab eô de Jure importunius qværeretur. Paulo antè mortem pertæsus civilium tempestatum, cum vix liberè studere posset, doceret tamen, & auditores dicerent, fuisse tempus, qvo ipse multo accurratius docere solitus fuisset: Fuerit, inqvit, an ideo Doctoris prolixa canities minoris æstimanda est: qvia juvenis perpetuo esse non potest. Diuturniorem qvidem vitam aliqvandò optavit, ut nonagenarius demum decedere cuperet, Italo cuidam (Leoniceno opinor) id boni evenisse prædicans: sed fata eum orbi exemerunt Biturigis Cuborum, ubi multos annos cum magna laude docuerat. Vir qvadrato corpore, firmoqve ac bene constituto,

S 3 adeo

dam concedere, tum ne Gregorii XIII. contemneret invitamenta tum ut peregrinæ eruditionis Pompam in clarissima Italiæ luce solenniter ostentaret. Sed ab alumnis undiqve suis in Gallia circumventum, sui impotem voti remansisse, ratum discipulorum sibi addictissimorum fructum, inani externorum auræ longe preponderare debere.

dicante adversus Carolum patruum: de qva controversia Cujacium rogatum ut scriberet, respondisse qvidam ferunt: Corrumpi leges patrias & falsum committi sibi qvidem nefas videri. Sane mortuo Carolo, Henrici partes apertius tutari ac defendere visus est: qvam unam ob causam, qvod inimicum Catholicæ parti vulgo dicerent, à plebe concitata pene oppressum ferunt. Literas qvidem ejus de ea re ad Ant. Oiselum amicum scriptas legi, ubi inter cætera hæc erant: Parum abfuit qvin hæc plebecula me confoderet. Ipse nihilominus Catholicæ religionis cultor fuit; qvanqvam de Theologicis qvæstionibus interrogatus, respondere solitus erat, *Nil hoc ad edictum Prætoris.* Adolescens *Antonii Goveani* Jurisconsulti ingenium admirabatur: sed indiligentia hominis notata, nihil deterritus est, deterritum iri se dicens à jure tractando, si homo Lusitanus tanto ingenio tamqve subtili, labores civilium studiorum serio suscipere voluisset. Adversarios habuit *Duarenum* forte ac vix parem, cæteros impares & vilia tantum capita, scuticaqve, ut ipse qvodam loco scripsit, digna. (*p*) Hactenus de Cujacio dictum sit, cujus piis

(*p*) *Habuisse Cujacium acres contentiones cum Duareno qvem alioqvin in epist. ad Margaritam Ducem Sabaudiæ & Biturigum, sine exemplo maximum Jurisprudentiæ ducem prædicat, testis* Thuanus lib. 23. Histor. *Ex eoqve non obscuras simultates inter auditores exortas esse, ita ut sibe*

manibus breviſſimum hoc elogium benemerentis in communi luctu ſcripſimus ſimul & verſus iſtos :

Summe

ſchola Bituricenſis in partes ſcinderetur, ob idqve majus periculum immineret, niſi ceſſiſſet Cujacius, & Valentiam migraviſſet : qvo nomine poſtea ſe Duareni memoriæ plurimum debere prædicabat, cujus æmulatione factum eſſet, ut juris profeſſionem, qvam tunc juvenis, ſeu præpoſtero parentum conſilio, ſeu ætatis levitate deſerere potuiſſet, ſemel apprehenſam mordicus retinuiſſet, & ad eam exornandam tam ſedulam & aſſiduam tota vita operam impendiſſet. Hottomannum, qvi tamen à Cujacio multum diſſenſerat, ſcriptisqve cum eo certaverat, uti ex vita Hottomanni p.242.ſeqq.conſtat, omittit Maſſonius, idqve procul dubio qvod eundem adverſarium acerbum expertus fuerat. vid. not. ad Hottoman. lit. (k) p.222. Sed infenſiorem laudum ſuarum obtrectatorem non habuit Cujacius, qvam Joh. Robertum Aurelianenſem JC. *qvi cum receptarum lectionum libros duos* Aurelii Ao. 1567. in 4. *edidiſſet, atqve invaleſcentem tum ex qvavis conjectura commutandæ & pervertendæ juris auctorum receptæ & exemplarium fide comprobatæ lectionis, licentiam reprehendiſſet ; ſimulqve Cujacium in corrigendis & emendandis textibus occupatum notaſſet ; hic novas & emendatas lectiones defendens, Robertum viciſſim in Obſervationum libris tetigit, & qvod inprimis male Robertũ habuit, tranſpoſitis literis,* Sero in orbe Natum, *15. O. 23. nominavit :*

Qvi-

Summe Auctor juris Cujaci, & docta Tholosa
Clara ortu & Biturix redditur ipsa tuo.

S 5 *Vide-*

Quibus Robertus Ao.1579. Animadversionum libr.3. opposuit & conviciandi initium fecit; ac postea indigno doctis & honestis viris modo, acerbissimis maledictis certari cœptum: Cujacius enim sub nomine Anton. Mercatoris Ao. 1581. Biturigib. *notata sua ad Animadversiones Roberti promulgavit, & hic iterum notas ad Jac. Cujacii Mercatoris notata* Aurel. 1582. in 4to. *in publicum dedit. Uterqve in defendenda opinione sua vehementior fuisse videtur, Cujacius autem Roberto ingenio & doctrina longe superior. Sunt qvi Cujacium ad emendationes & correctiones Legum, desperatum & non nisi summa cautione & rarissime adhibendum remedium, ex mente summorum JCtorum* P. Fabri 2. Semestr. 13. & J. Gothofredi Diatrib. de Cenotaph. *procliviorem fuisse existiment: Inter eos est* Franc. Marsius Gordonius, Cadurcensis JC. *qvi in* Prætermissorum Jur. civ. libro, *indicto emendationibus bello, antiqvas & receptas qvorundam locorum lectiones, contra Cujacium aliosqve recentiores interpretes tuetur, & Robertum veritatis qvidem defensorem, sed non idoneum extitisse, eamqve causam non tam egisse, qvam prodidisse dicit: Qvis enim, inqvit, æqvo animo ferre potest, qvod falsis antiqvorum rationibus veritatem cum defendat, suspecta magis habeatur, nec immerito: nam licet hujus scripta substantiam veritatis contineant, non*

ea

Viderunt ambæ florentem in jure Qviritum:
Illa etiam nasci, vidit at ista mori.

Ant.

---

ea tamen, qvibus veritas demonstratur, vera sunt, qvæ ipse scripsit, sed non ut scripsit, in hoc eum tantum superiorem cæteris arbitror, qvod non erraverit, dum ignoravit, qvæ enim simpliciter affirmat, vera sunt, & eadem ut probat falsa, improvidus etiam nimis, qvi prævisa in hostes tela conjecerit, qvorum ictus non tantum parati susceperunt, sed innoxii, sed irridentes, in defensione veritatis aliis defensionibus uti par erat, qvam iis qvas toties jam superaverant. Voluit etiam Joh. Stekius in Observationibus suis Anticriticis, *qvicqvid Mediceæ manus & opis per emendationes Legibus Cujacius admovit, impugnare; Cujacianum morem vocans, infelici successu adfirmantem legem in negantem, & negantem in adfirmantem transmutare. Sed imperitam hominis audaciam*, Jac. Gothofredus libro Animadversionum singulari, *erudite repressit, & in ejus Præfat. modestiam ita docet: Qvis deinde ferat præcipitis animi judicium, Cujacianum morem vocare, infelici successu affirmantem legem in negantem, & retro, transmutare? Qvibus suffecerit vel id unum dixisse*, Auctori tuo reverentiam: *longe enim aliter consummatæ eruditionis Viri qviqve, ut paulo ante, ita & hodie, & ex his non pauci Tribunalibus admoti, vel in rerum actu versati, qvorum communi calculo, uni Cujacio omnium ætatum interpretes adsurgunt: Nos certe, communu-*

Ant. vero Oiseli, cujus supra mentionem fecimus, illud est singulare de Cujacio carmen:

ὀφθαλμὸς νομικῶν βεβίωκεν καὶ κορυφαῖος.

At

---

munem omnium nostrum magistrum agnoscimus, ejusqve felicissimis inter cætera emendationibus scientiam nostram plurimum profecisse scimus. Quæ licet ita sint, suaqve emendationibus utilitas, & emendatoribus ingenii gloria, tantopere à Hottomanno in Præfat. libr. 4. Observ. *elata, non denegandâ sit: ne alioqvin illorum cœcitati plus tribuas qvam veritati, qvi, verba sunt* Cujacii ad Barthol. Fajum Senator. Paris. *nascentem solem ne intueantur, oculis qvodammodo manus objiciunt, maluntqve tenebras noctis præteritæ subseqvi, qvam orientis dici lumine perfrui: Modus tamen in illis servandus, ne gravis* Joh. Mercerii, *Collegæ in Bituricens. Academia Cujacii, admonitio repetenda sit: Accessit & correctorum insana libido, scribit ad Jacobum filium in* Conciliator. p. m. 35. edit. Bitur. *qvi partim libris qvos seorsim habebant, partim conjecturis facti confidentiores, nullum non locum temerarunt, ei plurimum vulnus inferentes, cui medicinam pollicebantur. Pars eorum maxima nullius notæ, investes adolescentuli, & ut Lipsius noster ait è nupero fœtu, vix dum dimissi à scholis, à præceptoribus ad scribendum prorumpunt, & qvam legum interpretationem animo conceperunt, juvant emendatione, qvoqve magis inter se conveniant Jureconsulti, negationes aut addunt aut detrahunt suo*

At *Petrus Pithœus*, sæpè ab illo in scriptis laudatus, epitaphium etiam scripsit, qvod adjiciam.

---

suo arbitratu. Hæc posteriorum temporum audacia, veteribus ne cogitata qvidem. Erat illis religioni ut qvidqve scriptum in vulgatis exemplaribus esset, ita servare ac tueri. Fuit hæc superstitio potius qvam religio, cum non potuerint non mendosa esse pleraqve eorum, qvæ à librariis descripta essent; sed eo prorupit emendandi libertas, ut si ipsi reviviscant Jurisconsulti, in libris suis vel nihil suum, vel longè plura aliena, qvam sua sint agnituri. Necesse id qvidem fuit, & est nunc qvoqve, ut inqviratur in qvemqve locum si qvis forte objiciatur contrarius, sit ne ejus vera & genuina lectio qvæ confertur: omnibus verò passim id concedendum non est, ut in corrigendis iis qvæ vitiosa putantur administrent. Non est inqvam id cujusvis ex plebe doctorum, qvod jam omnes planè discipuli, & tentant & audent. Optimum incomparabilis hac de re in d. Præf. Animadversion. Jac. Gothofredi *Judicium: Pars, dicit, promiscuis* Emendationibus *leges nostras ubiqve temerare, urere, secare, cædere videtur: hanc unam fermè rationem tenentes, vel absurdæ, ut sibi qvidem videtur, sententiæ evitandæ, vel obscurioris illustrandæ, vel deniqve Enantiophana certo fœdere amicandi: Pars contra, internecino Emendationibus odio indicto, interea nil pensi ipsi habere, qvid aut qvomodo dicant, pravum id an rectum fiet, dummodo divortium à prioribus illis faciant. Atqve haud scio in*

utris

utris culpa major. *Nam etsi audax sæpè illorum facinus est, qvos insanabile leges emendandi cacoethes tenet, non semper tamen eos Juris ratio vel æqvitas fugit: Contra, qvi vulgatam lectionem mordicus tueri ubiqve satagunt, à Jure & veritate sæpe destituuntur: Ut verissimum hîc interea videatur istud Tertulliani nostri,* Tantum veritati obstrepit adulter sensus, qvantum corruptor stylus. *Bonum eqvidem factum, gliscenti Correctionum nubilo maloqve contra ire; sed optimum factum, eam ad rem accedere probos pecuniæ malè ambulantis spectatores, qvi ipsi in tempore, etsi inviti ferme, necessario tamen sæpe, nonnullas Leges emendaturos, vel potius nitori suo restituturos sese norint?* propter antiqvitatis *videlicet* incertum: *qvod Valentinianus Tertius jam olim edicebat: Rursum, qvi ipsi emendatam & castigatam Juris scientiam præ se ferant: Deniqve qvi censuram in alios exercentes, priùs recogitaverint, qvantum humeris ipsi ferre valeant; ne aliòqvin, qvem aut præcipitis facti aut ἀστοχίας nævum aliis, & maximis qvidem nominibus impingere non dubitarint, eum in se transferant: tantò justius, qvantò qvi in alium scripturus est, ipsum se intueri oportet, & qvemqve id velle æqvum sit, qvod & possit.*

JAC.

JAC. CUJACIO. V.C.

TOLOSÆ. ILLIUS. DUM. QVONDAM. PALLADIA. FUIT. ALUMNO. SUBCINERICIO. HEREDIQ. EX. ASSE. POSTUMO. ROMANI. JURIS. A. SUMMIS. CONDITORIBUS. INTERPRETI. PRIMO. ET. ULTIMO. CUI. QVIDQVID. PURÆ. NATIVÆQ. LUCIS. ET. SCIENTIÆ. UNDECUMQVE. ACCESSIT. ÆTAS. SUA. DEBET. POSTERA. ETIAM. SI. QVÆ. LEGUM. CURA. MANET. DEBITURA. EST.

P. PITHOEUS. P.F. DOCTORI. BENE. DE. SE. BENE. DE. LITERIS. OMNIBUS. MERITO M.P.

VALE. CUJACI. NOS. TE. ORDINE. QVEM. DEUS. ET. NATURA. JUSSERIT. CUNCTI. SEQVEMUR.

DECESSIT IIII. Non. Octobr. Annos natus P. M. LXVIII. CIↃ. IↃ. XC.

Nec te artis fugit morientem gloria Juris
Jus fuit auctorem jure cadente mori.

Ejusdem esse dicitur & hoc parodicum.

Cujaci Themidisqve vides commune sepulchrum,
Conduntur simul hic, qvi periere simul.

MEMO-

MEMORIÆ PRÆSTANTISSIMI CUJACII.

HEUS VIATOR EXTINCTUM EST MAXIMUM LUMEN EUROPÆ, ET SEPULTA JACET JURISPRUDENTIA, QVAM FUROR BELLICUS NESCIT. SED SUMMA NOS SPES TENET, UT RESURGAT EXTINCTO FURORE, QVI NOS ARTEMQVE NOSTRAM EGIT PRÆCIPITES, QVI CUNCTOS SISTIT AD VADIMONIA MORTIS.

Paulus Raguellus,
Fr. fil.

Jac. Cujacii JCti Epitaphium.

Solemnes Biturix Cujaci in funere Pompas
Dum peragit: functo dum Gallia mœsta parentat.
Ipsa sibi æternum producit Gallia funus:
Ipsa sibi æternos Biturix largitur honores.

Vidi Oiselii.

Plurima extant clarissimorum virorum in obitum Cujac. epicedia in editione Operr. ejus Francofurtana An. 1595. qvæ tamen consulto hic omisimus, satius ducentes Thuani elogium eorum loco subjicere.

Thuan.

Thuanus Histor. Lib. 99.

POst eum commemorandus venit Jacobus Cujacius Tolosæ natus, rarum non solum Galliæ sed universi Christiani orbis, in qvo literæ & Jurisprudentia vigent, ornamentum, à summis Juris conditoribus interpres primus & ultimus, cui, qvicqvid puræ nativæqve lucis ei scientiæ undecunqve accessit, ætas hæc, & postera debitura est. Hæc enim elogia illi à viro doctissimo & gravissimo *P. Pithœo* merito tributa sunt. Hinc rara felicitate, qvod vix aliis post mortem datur, contigit, ut vivus vidensqve laude, qvam meruerat, frueretur, & in foro ac subselliis, ubi purior juris veteris scientia, qvam ille profitebatur, à pragmaticis nostris minore in pretio habetur, cum aliis peculiari qvisqve nomine suo citentur, ipse per eminentiam Jurisconsulti nomine appellaretur. Brevi statura fuit & corpore compacto ac qvadrato, nullis ferè morbis tota vita, qvam continuis & improbis studiis fatigavit, conflictatus, tantumqve importuno singultu interdum vexabatur, qvem cessatione aliqva & hilariore inter discipulos convictu transigebat. Tam firma valetudine fretus, hanc sortem sibi divina benignitate concedi optavit, & vero speravit, ut octogenarius integris adhuc mentis & corporis viribus freqventi auditorio juventuti prælegere posset, qvod *Philippum Decium*, qvi Pisis ante XXC. annos docuit, fecisse meminerat. Ea fiducia divinum observationum opus, cujus singuli libri XL. capitibus absolvuntur, ad XL. usqve libros

bros perducere decreverat, eumqve sibi vitæ & scribendi finem præscripserat. Verum Civilium bellorum fœda suborta tempestate, cum vir, ut professione, sic moribus juris & æqvi observantissimus, omnia jura per factiones perverti, ingenuam libertatem, in qva adoleverat, corrumpi, candorem per fucos & detestandas in religione simulationes amitti, seqve non jam muris sed parietibus includi, neqve tantum à sceleratis observari, sed ad cædem oculis designari videret, expetitam longiorem vitam, si publicè prodesse potuisset, melioris desiderio generose abrupit, & mœrore confectus, Avarici Biturigum Cuborum, ubi docebat, optime meritam de repub. animam Deo, à qvo acceperat, pie reddidit V. Non. Sept. cum LXVIII. annum ageret, publico funere elatus, & in B. Petri æde ad Avaronis pontem conditus; mortuum laudavit *Claudius Marescallus*, olim ejus auditor, & jam tunc Senator Parisiensis acri juxta ingenio ac probo præditus. Relicta filiola, bibliothecam libris & propria diligentia notatis, & ad manuscriptos codices summa cura collatis, instructissimam, testamento publice venundari mandavit, ut in plurium manus perveniens dissiparetur; eo consilio, ne si in unius potestate esset, præpostere curiosis ex notis ejus male intellectis farragines librorum consarcinandi occasionem præberet; adeo vir reip. juvandæ natus, etiam de re literaria post obitum accurate sollicitus fuit.

SCRIPTA CUJACII.

OPera ejus, qvæ ipſe tum privatis in colloqviis, tum palam & publice, & ſupremis etiam verbis una cum tribus ultimis Obſervationum libris diſpoſuit recognovit ediqve voluit, teſtibus viris Clariſſ. *Jac. Aug. Thuano, N. Fabro, Cl. Puteano, Ant. Oiſelo, P. Pithæo, Pariſiis Sebaſtiani Nivelli typis An. 1578. in fol.* prodiere; ac poſtea *Francof. IV. Tom. 1595. & Hanov. 1602. ap. Wechel. in fol.* Eadem Opera totidem tomis *Lugduni 1606. in fol.* recuſa ſunt; præmiſſo tractatu *Alexandri Scoti* de controverſis Cujacii ſententiis. His poſtea acceſſere Opera poſthuma, prioribus addita cura & recenſione *Th. Gverini & Cl. Colombet Pariſ. 1637. VI. Tom. fol.* Emendationes erratorum in editionibus operum iſtorum poſthumorum, qvæ *Francofurti ſuperior. ſec. an. 95.* lucem in Germania qvoqve viderant, ex mſcr. Cod. concinnavit JCtus clariſſ. *Henr. Ernſtius, Catholicis ejus Juris Hafniæ 1634. editis*, ſubjunctas; in qvarum Præfatione de diverſis eorum editionibus ita cenſet: Opera Cujacii, nim. poſthuma, æterna admirandæ eruditionis monimenta, ſive ex maligniore animo corrupta, ſive infelici dextra exſcripta, in manus hominum doctorum pervenerunt. Et laborat qvidem hoc malo maxime omnium *Francofurtenſis editio*; minus autem poſtremæ *Lugdunenſis & Pariſienſis*, in hiſce enim qvamvis nævorum nonnulli ſublati ſint, plurima tamen errata ſparſim ac freqventer relicta deprehenduntur. Inprimis ubi Pontif. Roman. pietas

paulo

paulo duriore ſtrigile perſtringitur, non potuit ferre perfricta ſcabies ſalem ingenuæ libertatis, ſed loca ipſi inimica, aut adulterina veſte occuluit, aut impudente litura penitus ſuſtulit ac delevit: qvà ratione Francofurtenſis tamen poſteriores illas multis ſuperat paraſangis. Tandem novam Cujacii Operum tam priorum qvam poſteriorum in X. Tomos diſtributorum, editionem cæteris omnibus emendatiorem & auctiorem adornavit cura JCti ſui ſeculi incomparabilis *Car. Annibal. Fabroti*, qvam conſecratam *Nicol. Foucqvet*, Summo Ærar. Reg. Præfecto edidit. *Pariſ. 1658. in fol.*

Elenchus

Operum tam priorum qvam poſthumorum JAC. CUJACII JC.
à
Fabroto editorum.

Priorum Tom. I.

Notæ ad Libr. IV Inſtitut. Juſtin. & in easdem *Car. Annibal. Fabroti* notæ, inſcriptæ à Cujacio Kal. Mart. 1556. Avar. Biturig. Petro & Carolo Fabris, fratribus conſangvineis, & Carolo fratri eorum Patrueli. *Colon. 1583. & 1592. in 8o. Pariſ. 1585. 4o. Lugduni 1593. in 16.*

Notæ ad Ulpiani Titulos XXIX. conſcriptæ *Toloſæ 1554. Pariſ. 1555. in 8o. & ibid. 1585. in 4o. Colon. 1592. 8o. Venet. 1584. Lugdun. 1593. 16o. & 1610. 4o.*

Interpretationes ad Jul. Pauli Receptarum ſententiar. libr. V. Kal. Decembr. dedicat. Emar. Ran-

coneto Senat. Parif. Præfidi. *Parif. 1558. in 40. Colon. 1577. in 8o.*

Πραγματεία de Diverfis temporum præfcriptionibus & Terminis.

Liber Euftathii Anteceffor. de Temporalibus Intervallis à momento usqve ad centum annos Græco-Latin. Interprete Joh. Leunclavio.

Confultationes LX. qvibus præpofita eft veteris cujusdam JCti confultatio infcr. Jac. Gveslæo, Lutet. Id. Maji 1576. edit. *Colon. 1590. in 8o.*

Paratitla in libros L. Digeftorum ad Georgium Lomellinum Patritium Genuenfem, 2. Id. Aug. 1569. *ed. Parif. 1576. & 1654. in 12o. Colon. 1577. in 8o. Francof. 1615. in 8o. Aurel. 1625.*

Commentaria in qvosdam Pandectarum titulos

De Pactis. De Transactionibus. De in Integrum Reftitutionibus. Qvod metus caufa geftum erit. De Dolo Malo. De Minoribus.	Infcr. Joh. Monlucio, Epifcopo & Comiti Valentino & Dienfi. 4. Kal. Aug. Valentiæ Cavarum Ao. 1559.

De Excufationibus Tutorum & Curatorum ad Joh. Jac. Cambrayum, Biturig. 12. Kal. Febr. 1564. ed. *Colon. 1565. in 8o.*

Qvi testamenta facere possunt & qvemadmodum testamenta fiant.
De liberis & posthumis heredibus instituendis vel exheredandis.
De injusto, rupto, irrito facto testamento.
De his qvæ in testamento delentur, inducuntur vel inscribuntur.
} Inscr. eidem Joh. Monlucio.

De Usurpationibus & Usucapionibus.
Pro Emtore.
Pro herede vel pro Possessore.
Pro Donato.
Pro Derelicto.
Pro Dote.
Pro Suo.
} Arnoldo Ferrerio Senat. Paris. Præsidi consecrat. Kal. Mart. 1556

De Verborum Obligationibus ad Mich. Hospitalium, Gall. Cancellar. 6. Non. Jul. 1562.

Ad Africanum Tractatus IX. ex qvibus V. priores prod. *1569.* reliqvi qvatuor ad Jac. filium, *Lugduni 1573.*

Tom. II. Pars Prior.

Paratitla in IX. libros Cod. cum enarrationibus *Car. Annib. Fabroti*, inscr. à Cujacio Paulo de Foix Consiliar. intimi Christianiss. R. confessus, Avarici Biturigum, Id. Martii 1579. ed. *Paris. 1579. fol. & Aurel. 1625.*

Tom. II. Pars Altera.

Commentarii ad tres postremos libros Cod. inscr. Margaritæ Valesiæ Sabaudiæ & Biturigum Duci, Bituriꝫ. Id. Jul. 1561. ed. *Lugdun. 1562. & Colon. 1592. in 8o.*

Expositio Novellarum Constitutionum, ad Dn. Christophorum Comitem Palat. ad Rhenum, Valentiæ Cavarum 7. Id. Jul. 1569. ed. *Lugdun. 1570. fol.*

De Feudis libri V. & in eos Commentarii dicat. Thomæ Redigero, Biturig. 15. Kal. Jun. 1566. ed. *Lugdun. eod. an. & Colon. 1592. in 8o.*

Tom. III.

Observationum & Emendationum libri XXVIII. libr. I. inscr. Barthol. Fajo Senat. Paris. 15. Kal. May 1556. Libr II. eidem Biturig. 19. Kal. Sept. eod. an. libr. III. eidem 6. Id. Febr. 1557. libr. IV. eid. 15. Kal. Jul. Valentiæ Cavar. 1559. libr. V. Mich. Hospitalio 1562. libr. VI. VII. VIII. Joh. Jac. Cambrayo, Magistro libellor. in Aula Regis & Universit. Bituric. Cancellario 1564. Libr. IX. X. XI. edidit 1569. libr. XII. XIII. XIV. 1573. Libr. XVIII. XIX. XX. 1579. libr. XXI. XXII. XXIII. XXIV. 1585. qvo anno isti Observationum libri edit. *Paris. in fol.* Libr. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII parati qvidem erant testamenti conditi tempore, sed editi demum Ao. 1595. cum adjuncto commentario ad Pomponium de Origine Juris. ed. *Colon. 1591. & 1598. in 8o.*

Tom.

Tom. I. Poſtumorum.

Qvæſtiones Papiniani. *Francof. 1595. in 40.*
Reſponſa, Definitiones, & cætera ejusdem Papiniani Opera. *Frf. 1595. in 40.*

Tom. II.

Libri Pauli ad Edictum. *Francof. 1604. in 40.*
Libri ejusdem Qvæſtionum. *Francof. 1596. in 40. ap. Palthen. & ibid. 1604. 40.*
Modeſtini Differentiarum Juris libr. IX. *Hanov. 1593. in 80.*

Tom. III.

Recitationes ad { Salvii Juliani libros XC. Digeſtor.
Pauli Reſponſor. libr. XXIII.
Neratii Reſponſor. libr. II.
Marcelli Reſponſor. librum ſingularem.
Ulpiani Reſponſor. libr. II.
Modeſtini Reſponſor. libr. XIX.
Scævolæ Reſponſ. libr. VI. *Francof. 1600. in 40.*

Item ad Decretalium Gregor. IX. libr. II. III. IV. *Francof. 1594. in 80. Spiræ 1595. 40.*

Tom. IV. Pars prior.

Commentarii in libros XXXVI. Digeſtorum. *Francof. 1598. in 80.*

Pars posterior.

Commentarii in cæteros libros Digestorr.
Item in libr. IV. Institut. qvibus parum aut nihil prioribus derogatur. *Ao. 1585.*
Epistolæ hactenus ineditæ.
Præscriptio pro Monlucio Episcop. Valentino, adversus libellum editum sub falso nomine Fürsteneri. *Lugdun. 1575. in 8o.*
Oratio de Confessione in Schola Bituricensi 1576. *Paris. 1593. in 8o.*
Oratio in funere Casp. Chastræi Nancæi, Reg. Stipatorum Præfecti 1577. *Paris. 1610. fol.*
Oratio de Ratione docendi Juris in Schola Bituricens. 1585. *Francof. 1603. in 8o.*

Tom. V.

Commentarii in IX. libros Cod.

Tom. VI.

Appendix variorum nunqvam antehac excusorum.

I. Notata Anton. Mercatoris ad libr. Animadversionum Joh Roberti *Biturig. 1581. 4o.* Controversiarum isti Joh. Roberti & Jac. Cujacii libri IX. edit. *Marpurgi 1592. & 1604. in 8o.*
II. In Digesta Notæ.
III. In Codicem Notæ.
IV. Ad Leg. IX. ff. de Jurisdictione repetita prælectio.
V. Ad titul. de Actionibus emti & venditi repetita Prælectio.

VI. Ad

VI. Ad titul. VI. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt unde liberi, repet. prælect.

Recitationes ſolemnes.

VII. Ad titul. de Appellationibus & Relationibus.
VIII. Ad tit. Unde Vir & Uxor.
IX. Ad tit. de Succeſſorio Edicto.
X. Ad tit. VII. Unde legitimi.
XI. Ad tit. VIII. unde Cognati.
XII. Ad tit. XI. Eum qvi appellaverit, in Provincia defendi.
XIII. Ad tit. XII. Apud eum à qvo appellatur aliam cauſam agere compellendum.
XIV. Ad tit. XIII. Si pendente Appellatione mors intervenerit.
XV. Ad tit. XLIX. libr. VI. Cod. ad L. Falcidiam.
XVI. Recitationes in libr. IV. priores Cod. Juſtin.
XVII. Ad tit. de Legatis III.
XVIII. Ad tit. I. libr. XXXIX. Digeſt. de Operis nov. nuntiat.
XIX. Ad tit. 1. libr. XLII. Digeſt. de re judicata, Commentarius.
XX. Ad tit. Digeſt. de Uſuris & Fructibus Commentarius alter.

Præter illa de Cujacio extant.

Libr. XXXVIII. & XXXIX. Baſilicῶν Latin. fact. per Cujacium & recenſ. per Labbæum, additis Variorum Scholiis. *Pariſ. 1609. fol.*
Lib. LX. Baſilicῶν Latin. per eund. *Lugdun. 1566. ap. Rovillium & Hanov. 1606.*

Cod. Theodosiani libr. XVI. cum variis Novellis Cujacii & aliorum. *Lugdun. ap. Rovill. 1566. Colon. 1570. in 8o. Parif. 1586. fol.*

Editæ qvoqve sunt Antiqvæ Decretalium Collectiones, cum Cujacii & aliorum notis & emendationibus, cura Car. Labbæi, *Parif. 1609. & 1621. fol.*

De

De VITA ET OBITU BARNAB. BRISSONII Collectanea

Ex

Thuan. Histor. libr. 102. Scaevol. Sammarthan. Elog. Gallor. Rodolph. Boter. Oper. Histor. Polit. Cornel. Toll. Append. ad Valerian. de Literator. infelic.



Obilium ingeniorum ferax Pictonici soli oppidum *Fontenajum*, cui præter alios celeberrimi etiam nominis Jurisconsultus pariter & Polyhistor *Andreas Tiraqvellus* natales debet, patria fuit Barnabæ Brissonii. Patrem hic habuit *Franciscum Brissonium*, virum honestum & divitem, oppidi Fontenaiensis Proprætorem, cujus sumtu, cura & diligentia liberaliter à prima pueritia educatus & in celeberrimis Galliæ Scholis institutus fuit, qvemadmodum maximum hoc optimi parentis sui beneficium gratissimo animo ipse alicubi deprædicat. (*a*) Juris autem Civilis scientiam cum optimarum artium studiis ab ineunte pæne ætate conjungens, hoc adsecutus est, ut prospero studiorum cursu ad summam & multiplicis doctrinæ inu-

(*a*) *In Dedicat. Libr. 2. Selectar. Antiqvit.*

inusitatam laudem brevi tempore perveniret; qvæ non in otiosis qvidem Musarum umbraculis, sed in publica hominum luce omnium clarissime emicuit. Vix enim adolescentiam egressus, in celeberrimis advocatorum subselliis apud summam Galliæ curiam singularia edidit specimina, cum genere dicendi uteretur copioso qvidem, non tamen adfectato, sed perspicuo faciliqve, & in modum lenissimi amnis nitide puriterqve fluente. Luce profecto forensi in agendis causis Brissonius contribuli Tiraqvello longe fuit superior. Hic enim causas pro rostris egisse vix ab ullo perhibetur, qvum ejus facundia privatis saltim tectis contineretur: ille vero ex levibus initiis in advocatum admodum famosum, summumqve privatarum causarum oratorem effulgens, in republica ac præcipue in foro magnum nomen commeruit. Feliciter autem in expediendis Causis forensibus aliqvamdiu progressus, tantam sui nominis famam excitavit, ut à summo eruditionis & Virtutum admiratore *Henrico III* Galliarum Rege, *post Vidum Fabrum*, Fisci primum Patronus, sacri deinde Consistorii adsessor, & non longo deniqve intervallo post *Pomponium Belleureum*, Curiæ & amplissimi ordinis Parisiensis Præses, non tantum purpuratus, sed infulatus pariter & pileatus crearetur. Et vero in ejusmodi deliciis eum habebat Rex, ut sæpissime etiam in ejusmodi verba erumperet; *nullum in orbe Christiano Principem esse, qvi eruditorum aliqvem in Literarum gloria Brissonio suo opponeret.*

(b) Hinc

(b) Hinc etiam non leve benevolentiæ Regiæ fuit teſtimonium, qvod eum in Angliam de maximis rebus legatum miſerit. Qvum præterea Rex ſuas majorumqve Conſtitutiones in unum volumen, qvod Juris Gallici nomine veniret, colligere meditaretur, unicum inter togatos Briſſonium maxime idoneum judicavit, cui hanc non levis ponderis lucubrationem imponeret. Moleſtum itaqve hoc negotium aggreſſus Briſſonius, omnia prius promulgata, & nullo ordine unqvam diſpoſita edicta Regia, ut errantes Cycladas in unum corpus congeſſit, & intra aliqvot menſes admiranda celeritate perfecit, qvod à Rege Henrico III. qvi hanc illi curam commiſerat, inſtar Juſtinianei *Henricianum codicem* inſcripſit. Formulas qvoqve actionum & ſolemnia verba Qviritum ex abditiſſimo antiqvi-

(b) *Veriſſima ſunt, qvæ de Briſſonio ſuo gloriatus eſt Rex Henricus; conſtat enim ex Viri doctiſſimi ſcriptis, Romanæ Jurisprudentiæ omnisq; antiqvitatis peritiſſimum fuiſſe, & qvod magis mireris, in Forenſi tritura ſimul exercitatiſſimum. Inde à ſummo Critico Juſto Lipſio* libr. 2. elector. cap. 15. *Galliæ, imo Europæ magnum lumen recte dicitur: eumqve Jurisprudentiæ in antiqvam dignitatem reſtituendæ natum eſſe, vere ſentit* Sertor. Urſatus Monum. Patavin. libr. 1. *Plurima de Briſſonio eruditorum elogia ap.* Dn. Hanckium de Romanar. rer. Scriptor. lib. 2. P. 1. cap. 37. *& Selectar. Antiqvitat. libris, Helmſtad. editis, addita leguntur.*

tiqvitatis penu collegit. (*c*) Scripsit etiam de Verborum qvæ ad Jus pertinent significatione ingens

(*c*) *Sane sicubi in jure religione magna opus est, verba sunt* J. Gothofredi Animadversion. Jur. civ. c. 9. *opus cum maxime puto in tenendis typicis verbis & formulis Legum priscarum populi Romani, Edicti Perpetui & SCtorum; ut qvæ (qvomodo semibarbare nonnulli loqvuntur) materialiter in Jure nostro ponantur, Jurisprudentiaeqve nostræ fundus sint. Qvare immensum qvid debet eruditus orbis Brissonio, qvi hunc perobscurum & nondum cujusqvam scriptis illustratum, de certis solemnibus, legitimis, ac conceptis Qviritium verbis, locum, incomparabili industria adgressus est. Qvi ut longe lateqve patet, scribit ipse* Brissonius ad Chevernium Franciæ Procancellar. *propterea qvod nulla vitæ pars, neqve publicis, neqve privatis, neqve forensibus, neqve domesticis in rebus, Formulis vacabat; ita magnis est obstructus difficultatibus, qvod in maxima totius antiqvitatis, & vel earum rerum, qvæ olim in medio positæ, in ore sermoneqve omnium erant, ignoratione versamur. Atqve adeo ad hanc priscarum Formularum Observationem, sola prope duce, ac magistra conjectura deducimur: cum earum pleræqve ita priscorum auctorum libris abditæ jaceant, ut eas canum indagatorum more, qvi feras sagaciter vestigant & odorantur, ex his in qvibus delitescunt cubilibus excitare, & odore, vel aliqvo leviter presso vestigio perseqvi necesse habeamus.*

gens & eruditum opus,ut & alia opuſcula plurima, qvorum partem edidit, partem vero,indigna morte præventus, imperfectam reliqvit. Qvum enim anno M. D. XCI. æſtuante novis tumultibus Gallia, urbs ipſa Pariſiorum à Rege defeciſſet, & in illa rerum omnium perturbatione, facinoroſorum ex infima plebis fæce hominum maxima eſſet auctoritas, cæteri qvoqve præſides aut fuga ſibi conſuluiſſent, aut Baſtilia incluſi eſſent,abrogâta à Rege defuncto curiæ ob rebellionem urbis auctoritate, Briſſonius tamen adduci non potuit, ut urbem desereret. Et vero ſi fatendum ſit qvod res eſt, ambitio in eo videtur fuiſſe non modica, adeo ut impotenti primas in ſenatu tenendi deſiderio, facile ſibi perſvadere paſſus ſit, ut in urbe nihilominus maneret, ratus ſe eadem facilitate, qvam in explicandis cauſis forenſibus experiebatur, plebis efferatæ animos moderaturum, & urbem, ut ajebat, Regi legitimo ſervaturum, neve in externorum manus deveniret, prudentia ſua & ingenii dexteritate impediturum. Poſtea tamen ille in litium tricis magis qvam in adminiſtranda republica verſatus, ſero ſenſit ſe inevolutos in errores delapſum, qvibus ſe extricare nunqvam citra capitis periculum poſſet, auditusqve eſt ſæpius amicis non ſine gemitu & ductis ex imo pectore ſuſpiriis dicere, ſe ad macellum ſervari. Hinc etiam ejus ſymbolum fuiſſe ferunt: *Nondum effugimus fortunæ laqveos.* Nec triſti etiam huic de ſe augurio eventus poſtea defuit. Nam ex ſeditioſis effrenatores aliqvot cum viderent virum hunc primaria dignitate prædi-

dítum tempori obſecundantem præſentia diſſimulare, futura circumſpicere, & ad qvieta conſilia inclinare, in eum tanqvam Senatus Principem, ut majorem cæteris terrorem incuterent, atrox facinus auſi ſunt moliri. Poſtridie autem qvam Briſſonius ad carnificinam raperetur, non ſemel nec ab uno fideliter eſt admonitus, à factioſis & ſangvinariis qvibusdam hominibus in caput ſuum dirum aliqvid ſtrui. In arcano enim conſeſſu decem tantum conſciis menſe Novembri habito, Briſſonium per ſicarium qvendam interficiendum illi ſtatuerant. Ad cædem hanc conductus erat Gladiator qvidam nomine *Epiſcopius*, homo interritus, magnæqve audacia. Ut tamen de Briſſonio necando audivit, tantum facinus aggredi exhorruit, eumqve per internuncium de conjuratione monere fecit. Cui qvum vix fidem haberet Briſſonius, ipſum hunc ad necem conductum hominem domum accerſivit, qvi cædem hanc ſibi imperatam illi ingenuè fatebatur; ſed eam ut caput ſuum ſervaret, plurimis procraſtinationibus deluſiſſe ajebat, cauſatus ſe commilitones qvosdam audentisſimos ad conſortium cædis exſpectare. Briſſonio itaqve ſvaſor erat, ut ociſſime Lutetia ſe ſubduceret, pollicitus fidem operamqve ad Dionyſiopolim; cui Briſſonius fato revinctus, grates agit, obteſtatus, multis de cauſis ſe à diſceſſu prohiberi. Poſtera die XIV. Novembris, cum Theologicis Diſſertationibus in Muſeo Navarreo adſideret Briſſonius, à Cœnobiarcha Divæ Genovefæ, tacito in aurem ſuſurro denuo eſt monitus, ut vitæ ſuæ pro-

prospiceret, à factiosis enim præsens sibi imminere exitium. Sed surdo ille narravit fabulam. Postridie itaqve cum Brissonius more solito mane adiret curiam, à seditiosis erant emissi satellites, qvi illum ad minus castellum sisterent. Hi miserum hominem nihil tale metuentem ad S. Michaelis pontem nacti, per vicum ad dexteram positum, qvasi in publicis urbis ædibus exspectaretur, avertunt, & cum sub fornice Castelleti esset, in horrendum Carcerem detrudunt. Postqvam feralem illum Locum subiit, *Cromæum* hominem sibi infestissimum *(d)* paludatum obviam habuit, à qvo rogatur, num recens ad Navarreum scripsisset? Qvod cum inficiaretur Brissonius, addidit; Num ad illum argenteam gazam & supellectilem misisset? Negavit id factum, cum à furibus subrepta fuisset. Subjecit: Cur *Brigantum* Urbis Syndicum nocentem Morti non addixisset? Respondit; pro Tribu-

(d) Odium hoc inde fluxisse scribit Thuan. Histor. lib. 102. *Qvod Parente Cromæi Qvæstore repetundarum ab Ordinibus Burgundiæ ante XXV. annos postulato, Brissonius Ordinum causam susceperat, & qvibusdam actionibus valde elaboratis, ex qvibus magnam famam sibi conciliasset, eum peregerat reum. Nam hæsisse acerba rei in animo filii infixam memoriam, & qvanqvam apud æqvos rerum æstimatores, præsertim post tot annos necessitate muneris id excusari meruerit, non tamen deferbuisse ardens ultionis desiderium, qvam tandem homo truculentus tempore capto expleverit.*

nali se non sedisse judicem. *Hamiltonius* vero alter urbis Catilina, in procinctu cruce rubra (qvæ gentis Hispanicæ symbolum erat) notabilis, iracunde humerum Brissonii percutiens, illi ita insultavit: *Item hodie Deus ultor à te animam reposcet, summæqve gratiæ tibi cedit, qvod ludibrio vulgi & infami spectaculo subduceris.* Interea huic togatorum ut dignitate, sic præstantia ingenii Antistiti, rabula qvidam cruce dignissimus *Croceus* crucem parabat, & propterea Vestibulum cum vicinia Castelleti, factiosorum globis cinxerat. Carnifex adesse jussus, rogat à commentariensi qvid rei esset? insolens esse intra carcerum septa damnatos morte adficere: cui alter; *Ne sis cunctator, adscende & arbiter esto, num locus aliqvis laqveo necandis opportunus sit.* Feralis ille homo ex trabe & tigno carnificinam apte posse peragi respondet. Cui Cromæus: *Ergo Brissonium alliga & compressis faucibus vitam adime.* Cæterum carnifex, nisi capitali decreto ad id adactus se facturum negat. Cui Cromæus: ni è vestigio feceris tu idipsum feres. Iste, adhuc moras nectens, causatur non esse in promtu laqveum, sibi itaqve esse exeundum, ut illum comparet. Cruceus veritus ne si elaberetur tortor, non esset rediturus, funes obtulit, qvos commentariensis illico emendos curaverat. Jubetur itaqve protinus adesse Brissonius, qvi imminentis fati sed nimis sero præsagus, ad inseqventem *Cocherium* capitalem subpræfectum ait: *Hem qvo me rapitis, finite in eo ergastulo me esse qvietum, adhibete custodiam meis sumtibus alendam, ne de fuga sit solli-*

sollciti, qvam ne apertis qvidem januis adfectarem, cum nullius noxa in publicum mihi sim conscius. Ut vero triclinium conscendit, Cromæus ipsum galero dempto in genua procumbere jussit. Tum lata contra eum, tanqvam divinæ, humanæqve majestatis reum peractum, & proditionis convictum sententia recitatur, qva audita, ille attonitus qvæsivit primum, qvibus à judicibus condemnatus, qvibus indiciis ac testibus convictus esset? Hanc vero defensionem qvum riderent adstantes, & qvod instaret agere eum juberent, ad miseras ille preces conversus, mortem deprecatus est, & muris includi ad absolvendum librum, qvi jam sub incude esset, & morte ejus magno alias reip. detrimento periret, anxie petiit. Tandem vero post cassas preces, spatio vix ad peccata confitendum concesso, carnifex illi manum injiciens ligneam qvandam crucem obtulit, qvam Brissonius his verbis recusavit: *Crux illa tibi ad nocentium usus qvotidiana est. At qvandoqvidem non licet vincto, discinge thoracem fibulatum, habeo sub interula pensilem, qva portiuncula Crucis Dominicæ reconditur, illa est qvam veneror & exosculor.* Hanc discincto thorace à carnifice oblatam crucem sæpius ori admovet, & ita urgente Cromæo à tigno suspenditur, & compressis laqveo faucibus crudelissime interimitur. (e) Hoc furiali plane ausu è medio sublato, sistuntur mox duo alii in via etiam comprehensi, *Claudi-*

(e) *De Anno & Die Brissonio fatali qvatenus Scriptores differunt vid.* Hanck c. l.

us Arcerius curiæ ſenator, homo innocens nodoſaqve arthritide plane confectus, & *Johannes Tardivius* in ſubſelliis inferioribus conſiliarius, vir bonus & ingenuus. Arcerius qvum Briſſonium exanimem è tigno videret pendulum, Cromæum ſententiam legentem interrupit dicens: *properate Carnifices! tanto viro crudeliter adeo ſuffocato mortem non deprecor.* Nihilqve cunctatus, habito prius cum Sacerdote Colloqvio, ad mortem ſe conſtantiſſime compoſuit. Atqve eandem fortunam pari animo ſubiit Tardivius, vitamqve, ut alii, laqveo finivit. Interea Briſſonii forenſem togam illi, qvi Carceris limen haſtati muniverant, veſtium cuidam interpolatori vendentes, accepto precio,

Læti ſiccabant ſpumantia pocula vino.

Efferata vero ſeditioſorum rabies hic nondum ſeſe continuit; Poſtridie enim corpora injurioſe interfectorum per bajulos ſummo mane, lucernis iter monſtrantibus, è carcere producta, & ante ædes urbanas in Ripenſi platea totidem patibulis ignominioſe adfixa, cuilibet addito infami proditionis elogio, ad ſpectaculum furenti plebi per biduum proſtituerunt. Præcedebant hanc cadaverum deductionem gladiatores non pauci, ne vulgus immanitate facti exaſperatum, acerbiori forſan ſupplicio crudeliſſimum hoc facinus vindicaret. Poſtqvam vero horrendo hoc ſpectaculo ſatis eſſent exſatiati oculi, ipſe Carnifex viduis & amicis pro numerato auro cadavera tradidit, qvæ ſepulturæ ab ipſis ſunt mandata. Sed urbe tandem Anno M D XCIV. Henrico IV. Navarro - Galliæ Regi reddi-

reddita, Senatui facinus hoc vehementer displicuit, adeo ut Capitali Senatus Judicio ipse carnifex ad patibulum damnaretur, qvi etiam à proprio consangvineo ejus in diro Ministerio successore est strangulatus. Eandem sortem nacti sunt duo alii furciferi, igniti ferri traductione prius adfecti. In præcipuos præterea carnificinæ auctores ob immania scelera in Belgium profugos, latum est Judicium, ut ignitis forcipibus prius lacerati rotæ alligarentur. Sed cum eos fuga pœnæ subduxisset, in depictis eorum imaginibus peracta est exsecutio. Et ita glorioso hoc Senatus Consulto interfectorum nomina ab infamia sunt vindicata. Qvidqvid tamen sit, in Brissonio omnes bonæ artes & inprimis civilis juris studia magnam fecerunt jacturam. Nec enim post Cujacium alius aliqvis fuit, qvi juri civili & forensibus formulis ex universali literatorum campo decerptis, clariorem lucem attulerit. Qvod vero nimis esset popularis illi damno fuit; qvam enim alii severitate retinuerunt auctoritatem, ille urbaniore comitate amisit. (*f*) Hinc etiam qvas ab aliis exigere pœnas debuerat, qvoniam indulgentior fuerat, ipse dedit, exemplo illis qvi in republica primum obtinent locum memorabili relicto, ut plebem indomitam illam multorumq; capitum belluam legum frenis coërceant, nec publicæ disciplinæ nervum temere permittant relaxari.

(*f*) *Idem in tumulto Tholosano Stephano Durantio accidisse refert* libr. 95. Histor. Thuan. *Qvi majore integritate, qvam prudentia vivens, dum plebi plus justo tribuit, hæc postmodum ipsum & alios omnes, qvi in populari gratia præsidium posuerunt, male multavit.*

Papir. Massonius de Barnaba Brissonio.

VIderit effigiem qvisqvis Brissonius illi,
Picto notus erit, Papiniane, tuus.
Si fata exitium utriqve immatura dedere,
Pœnituit facti jam satis ipsa sui.

SCRI-

SCRIPTA BRISSONII.

Opera Barnab. Brissonii Regii Consiliarii Amplissimiqve Senatus Parisiensis Præsidis Varia, multo qvam antehac emendatiora & tertia parte auctiora cum locupletissimis Indicibus prodiere, *Parisiis ap. Barthol. Macæum sub scuto Britanniæ in monte D. Hilarii. Ao. 1606. in 4o.*

Continentur autem illo Volumine

Selectarum ex Jure Civ. Antiqvitatum libr. 4. ed. *Antverp. 1585. & Hanov. 1599 in 8o. Parif. 1606. & Helmstad. 1663. in 4o. Heidelberg. 1664. in 8o.*

De Ritu Nuptiarum & Jure Connubiorum libr. 2. *Parif. 1564. & Antverp. 1585. in 8o. Francof. 1564. & Parif. 1605. in 4o. in Tr. Tr. Tom. IX. edit. Venet. 1584. Lugdun. Batav. 1641. in 12o. & Amstelod. 1662. in 12o.*

Ad L. Juliam de Adulteriis lib. 1. *Hanov. 1599. in 8o. Parif. 1605. in 4o. & Heidelb. 1664. in 8o.*

De Solutionibus & Liberationibus libr. 3. *Lugdun. 1558. in 4o. Parif. 1585. in 8o. & 1605. in 4o. Antverp. 1585. in 8o.*

Commentar. in L. Dominico C. Th. de Spectaculis & L. omnes dies C. de Feriis. *Hanov. 1599. & 1600. in 8o. Parif. 1605. 4o.*

Parergῶν liber singularis. *Parif. 1605. in 4o.*

De Regio Persarum Principatu libri 3. *Parif. 1591. in 8o.* ibid. cum tribus indicibus, capitum, aucto-

 rum

rum & rerum. *1606. in 40.* Et *cum notis Sylburgii ap. Commelin. 1595. in 80.*

Scripsit præterea

De formulis & Solennibus Popul. Roman. Verbis libr. VIII. ad Philip. Huralt. Chevernium, Franciæ Procancellarium. Qvorum *Primus* Formulas qvæ ad rem Divinam, precationes, Vota, ædium Sacrarum & Signorum Dedicationes, aliaqve his continentia & adjuncta pertinent, complectitur. *Alter* Comitiorum, Rogationum, Legum, sententiarum in Senatu dictarum, ejusqve amplissimi Ordinis Decretorum formulas continet. *Tertius* circa Edicta, Rescripta, Mandataqve Principalia & Prudentum Responsa versatur. *Qvartus* Rei Militaris. *Qvintus* fori & judiciorum. *Sextus* Rerum, Obligationumq; contrahendarum: *Septimus* Testamentarias & funebres Formulas perseqvitur. Reliqvæ qvæ ad ejusmodi summa capita revocari propter varietatem non possunt, *Octavo* libro insunt. ed. *Paris. 1583. fol. ap. Nivell. Francof. 1592. & Mogunt. 1649. in 40.*

De Significatione Verborum qvæ ad Jus pertinent lib. XIX *Francof. 1557. & 1578. in fol.* Cum ejusdem Brissonii appendice prætermissarum qvarundam vocum & Parergῶν libro singulari, it. Selectar. antiqvitat. libris 4. libr. un. ad L. Juliam de Adulteriis, de Solution. & Liberation. libr. 3. de ritu Nuptiarum lib. 1. & Jure Connu-

biorum

biorum lib. 1. aliisqve qvibusdam Fr. Hottomanni ad Antiqvitat. Rom. pertinentibus scriptis, cura *Franc. Modii JC. Francof. 1587. fol.* Libri isti de Verborum Significatione ex analectis Joh. Otto Taboris JC. editi novisqve accessionibus locupletati sunt à *Joh. Ittero Francofurtensi. Francof. 1683. in fol.*

VITA JOAN. BERTRANDI PRÆSIDIS TOLOSANI,

Auctore

Francisco Bertrando. J.F. Catoursæo.



B illustri rerum Gallicarum scriptore traditum est, *togatos homines Reipub. vel Principibus utilissimos esse, cum boni sunt: atqve perniciosissimos, cum mali & iniqvi.* Qvod qvam verum sit, ultima Galliæ nostræ calamitosa tempora satis testantur. In hac enim communi & novissima rerum pene eversione, qvot togati Rempub. seditionibus undiqve erumpentibus concussam in eos scopulos impulerunt, ad qvos naufragium facturam sperabant? Qvot deniqve è contrario, togatam omnem auctoritatem & scientiam ad Rempub. regniqve salutem conferentes, in hoc publicum naufragium colligendum & reficiendum, fideliter constanterqve incubuerunt? Qvamobrem qvod de lingva hominum vulgo dicitur eam optimam & pessimam omnium corporis humani partium esse, id ad togatos homines, vere & non ineleganter referri potest. Politia enim regia, qvæ corpus civile est, membra sua partesqve sicut humanum habet. Manus, sunt milites: nervi, vectigalia: pedes, plebeia multitudo: Rex, pro capite constituitur:

tur: ejus consilium anima est, qvæ totum civile corpus movet & regit: lingvam autem præcipuam capitis partem animæqve interpretem, Togati homines conficiunt. Sic Qvæstor sacri pallatii, qvi princeps togatorum est, lingva & vox à celeberrimis auctoribus dicitur. Mala autem & incommoda qvæ Reipub. togati qvidam intulerunt, qvi, ut Tullius lingvam appellat, flabella seditionum fuere, ea qvidem tanta sunt, ut à me verbis exprimi, & describi nullo modo qveant. Illud tamen non minus vere, qvam libere dicam, inter omnes togatos, bonos cives, & Reipubl. amantissimos (qvi qvamplurimi qvidem fuere, qvosqve meliorem humani generis partem cum Symmacho nuncupare possumus) neminem Joanne Bertrando majori cum integritate, & constantia Rempub. capessivisse, prudentiaqve gubernasse. Cujus vitam, ob eximiam ejus virtutem, & in Occitanam provinciam merita, tanqvam integritatis & religionis tabulam proponere decrevi, ut aliis admirationi, suis vero exemplo esse possit. Certum itaqve *Bertrandorum* gentem ab illustri Comitum Tolosanorum familia originem duxisse. (*a*) *Ramundus* enim

---

(*a*) *Familia Tholosanorum Comitum perantiqva: Carolingicis enim temporibus jam illorum nomen floruit, memoraturqve inprimis Sec. IX. à Francicis Scriptoribus* Bernardus, *Marchio Gothiæ illustris, qvi in* Vit. Ludov. Pii & à Nithardo Histor. lib. 3. *Septimaniæ Dux nominatur. Constat siqvidem ex anti-*

enim *Bertrandus decimus Tolosanorum Comes* qvatuor habuit filios; *Bertrandum, Guillermum, Alphonsium, & Odopbredum:* qvorum tres primi comitatum

---

antiqvis tabulis sub nomine Marchionum Gothiæ, Provinciæ Narbonensis, sic dictæ, qvod Gothi in ea Imperium habuerint, Comites Tholosates & S. Ægidii indicari, ipsosqve Duces Aqvitaniæ & Septimaniæ aliqvando vocari. Conf. Clariss. Dn. Schurzfleisch. in Histor. Veter. Regni Populiq; Burgundion. cap. 5. n. 2. in fin. *Hujus Bernardi ex filio Wilhelmo nepotes, Wilhelmus & Regemundus sive Raimundus sub Carolo Simplici Marchionatum Gothiæ, antea cum reliqvis Comitatibus temporarium saltem, hæreditario jure in familiam transtulerunt, posterisqve reliqverunt. Inde factum credit* Alphonsus Delbene, *Albiensis Episcopus, qvi de Gente & Familia Marchionum Gothiæ, qvi postea Comites S. Ægidii & Tholosates dicti, eruditum tract. edidit* Lugdun. 1607. in 80. *ut dicti Raimundi nominis memoria in tanto pretio extiterit apud Comites Ægidienses, ut fere omnes bujus familiæ Principes voluerint Regemundi vel Raimundi nominari. Qvin & ultimus Tholosanorum Comitum ex stirpe Bernardi, Raimundus dictus. Qvo Anno 1249. sine liberis masculis defuncto, ex pacis conventione cum Franciæ R. Ao. 1228. inita, cujus tabulas Delbene Tractatui suo subjunxit p. 74. regno Franciæ iste Comitatus cum annexis ditionibus accessit. Causam huic conventioni dederat, gravis Albi-*

tum obtinuere. Odophredus verò qvi *Trinqvevalli* Vicecomitis Bitterensis & Carcassonensis filiam

---

Albigensium sive Waldensium persecutio sub Innocētio III. qvibus nimium favisse, corumqve partes secutus credebatur Raimundus, ob id bello aggressus, durissimis conditionibus pacem obtinuerat. De bisce Waldensibus, qvi Petro Waldo civi Lugdunensi sec. XII. originem debent, & Albigenses ab Albia oppido, in c. 8. 9. & pen. de Hæret. *autem Cathari vel Gazari Patrini, Publicani, Passagini, Josephini, Arnaldistæ, Humiliati, Speronistæ & Pauperes de Lugduno contumeliose nominantur, & à Pontificiis Scriptoribus aliqvando Hæretici Tholosani, Turlupini, Picardi, Leonistæ & Sabbatharii dicuntur, videndus* P. Perrinus in Histor. Waldensium Jac. Usserius de Christ. Ecclesf. Success. c. 8. seqq. Petr. Wesemb. JC. Orat. de Waldensibus & Albigensibus Christianis, D. Ægid. Strauchii Differtat. de Waldensibus Witteberg. 1659. habita. *Excommunicationi subjiciuntur in* c. excommunicamus de Hæret. *& in* auth. Gazaros C. de Hæret. *tanqvam infames & banniti cōdemnantur, eorumqve bona fisco addicuntur. Neqve enim alios qvam Waldenses per Gazaros & Patarenos ibi intelligi mihi verisimile sit. Explicat d. authent.* Pancirolus lib. 2. Var. lect. cap. 178. *eamqve Friderico II. tribuit; ex* c. 9. de Hæret. *qvod Lucii III. est, colligi tamen poterit, jam Frider. I. tempore parem acerbitatem Pontificum instinctu, Albigenses expertos*

buit: *Joannem Bertrandum S. R. E. Cardinalem*, Archiepiſcopum Senonenſem, Galliarumqve Cancellarium: *Petrum* Epiſcopum & Comitem Cadurcenſem: *Nicolaum* Senatus Toloſani Præſidem, & Catharinæ Mediceæ tunc Delphinæ Cancellarium: aliumqve *Petrum* Abbatem Saramonenſem: qvi qvidem præſtanti gloria, rebusqve præclare geſtis maximè floruerunt. Ex *Nicolao* autem & *Antonia Jordania*, natus eſt Joannes Bertrandus anno 1527. qvinto id. Maji. Cujus prima ætatis initia, cum patris diligentia, tum etiam naturali literarum deſiderio munita, docilitatis ſuæ non parvum experimentum dedere. Deinde ex puerili inſtitutione edoctus, ſub *Antonio Uſilio* (c) non indocto ho-

---

ſtrioribus qvoqve familiis uſurpatum fuiſſe. Ducalis dignitas à Rege Henrico II. in gratiam Johannæ Navarræ Reginæ Albretano pago tributa An. 1556. Et certe moderna Regum Franciæ familia Albretanorum Principum ſangvinem cognatione attingit. Johannes enim Albreti Dominus & ex conjugio cum Catharina de Foix, Navarræ Rex, genuit inde Henricum Margaretæ Valeſiæ Franciſci I. Galliar. R. ſororis maritum; ex qvibus nata Johanna, qvæ Regni Navarreni jus marito Antonio Borbonio afferens, illud filio Henrico, poſt etiam Franciæ Regi, ejusqve nominis IV. & Magno reliqvit. Laudatus Dn. Spener. d. cap. §. 2. Reuſner. in Oper. Geneal. in Stirpe Navarren. p. m. 349.

(c) Forſitan ille eſt Uſillus, cujus ad tit. J. de Action. extant

homine, majorem qvandam rationem complexus est, confirmationemqve doctrinæ. Inde ad juris scientiam delapsus, unum ex omnibus Antecessoribus *Arnoldum Ferrerium*, (*d*) magnum ætatis suæ virum & Jurisconsultum celeberrimum ita coluit, ut cum eo à Valentinis ad jus publice profitendum acersito, Valentiam profectus sit, ibiqve Doctoratu accepto Tolosam continuo reversus, patrem gravi morbo & mortifero affectum invenit. Post cujus obitum in aulam profectus ad Joannem Bertrandum patruum suum, sub *Lodoico Strabeo* viro doctissimo, cum *Guillermo Bertrando Villamorio* fratre patruele aliqvandiu vixit. Paulo tamen, post, nec dum senatoriæ ætatis adolescens, Senator Tolosanus factus est. Cujus immaturæ promotionis hæc narratur fabella. Cum jussu patrui sui *Dianam Valentinæ Regulam*, qvæ apud Henricum secundum prima erat, salutatum iisset gratias acturus, qvod ea potissimum intercedente, honorem amplissimum adeptus esset: Dianam ab illo petiisse an Cardinalis Galliarum Procancellarii ex fratre nepos esset: qvo annuente, suasit ei Diana ne Regis vultum subiret. Nec enim (inqvit) Rex imberbes adolescentulos, Consiliarios habere se existimat. Tum postea regii & sacri consistorii

X Con-

tant Commentarii Lugdun. 1568. in 4o. *editi, & Expositio Regiæ constitutionis ad Curiarum Præsidalium auctoritatem pertinentis.*

(*d*) *De Arnoldo Ferrerio vid. not. ad Cujac. lit.* (*d*) *p.*

Consiliarius factus: tandemqve *sextus Tolosani Senatus Preses* à Carolo IX. Galliarum Rege creatus, magna integritatis, & religionis commendatione semper floruit. Qvarum virtutum in eo eminentium innumera licet dentur exempla, perpauca tantum proponam, ut ex iis tota vitæ suæ inclinatio, tanqvam ex ungve leo, dijudicari possit. Solent in senatum cooptati ulnas qvasdam panni serici Principi senatus dare; is qvamvis sub ejus principatu triginta in senatum lecti sint, nihil unqvam à qvoqvam accepit. Munera vero non solum à litigantibus non sumpsit, sed ne qvidem à propinqvis, & conjunctioribus. Præter solemnia stipendia, congiaria annua dederat ei Rex Henricus tertius ex mulctarum curiæ exactione, eo tamen recusavit, *ne videretur mulctam dicere, ut congiaria sibi solverentur, & qvasi ovem deglubere, ut pellem lucraretur.* Emolumenta autem illa qvæ à litigantibus, ob lites calculo rationiqve obnoxias, judicibus dantur, qvæqve Sabatina Tolosæ nuncupantur (c) re-

(c) *Hæc in jure nostro, & usu fori Romani Sportularum nomine veniunt. Qvibus certam qvantitatem & taxationem præscripserat Justinianus in Constitutione singulari, cujus in* §. 24. & 25. J. de Action. *mentio. Qvæ tamen in Codice non extat, nec in Basilicis reperitur, idqve ideo factum credit* Cujacius 12. O. 22. *qvod longe alium modum Constantinus Porphyrogen. Sportulis & sumtibus in diversis Judiciis faciendis imposuisset, abrogata Constitutione*

rejecit, & tanqvam dignitatis ſenatus parum digna, condemnavit. Tantaqve fide & religione vixit ut dierum illorum qvibus privatis negotiis occupatus à curia abſtinuerat, ſtipendia regia ſibi ſolvi noluerit, Qvæſtoriqve reddiderit Codicillos ſenatoriæ in Curia Toloſano dignitatis à Carolo Lotharingio Guiſianarum partium in Gallia tunc Principe datos remiſit; nec rei publicæ à ſe geſtæ remunerationem à qvoqvam ſe accepturum, niſi à Rege ſuo, animoſe & fortiter reſcripſit. Qvæ qvidem ſumma innocentiæ ratio, eo magis in ipſo enitebat, qvod & liberorum numerus, & rei familiaris anguſtia, eum ad opes non ſpernendas invitare ſatis videbantur, Religionis autem & pietatis antiqvum propemodum exemplar: qvippe *qvi ſine oſtentatione piiſſimus, & ſine ſuperſtitione religioſiſſimus fuerit*. Singulis diebus dominicis ſacra Euchariſtiæ communione utebatur: Jejunia vero ab eccleſia præcepta ita ex præſcripto obſervabat, ut ne qvidem prope ſeptuagenarius ea unqvam ſolviſſe intelligatur. Vita ei proba, mores innocen-

 tes,

ne Juſtiniani. Ex Theophilo tamen & Novell. oſtendit Sportularum modum, pro modo petitæ qvantitatis, certo definitum, fuiſſe, nimirum in centenos aureos dimidiatum, in ducentos aureum, in millenos ſex. Plura eaqve erudita de variis Sportularum generibus ap. Gutherium de Off. Dom. Aug. lib. 2. cap. 17. & Phil. Broidæum in prætermiſſis ad Pollet. Hiſtor. For. Roman. lib. 5. cap. 11. *legi poterunt.*

tes, animus qvietus & placidus: oratio tamen severa, sed in qva non infreqventer comitas qvædam urbana eluceret. His itaqve animi & pietatis dotibus instructus, ad senectutem usqve summam constantissimè vixit. Sed hoc magnopere mirum in homine nobili, & ad res magnas nato & alto, qvod magistratus sui partem ad judicia spectantem tractandam tantum susceperit: illam verò ambitiosam Reip. curam, qvam tot homines & stulte & infeliciter amplectuntur, sibi fugiendam non minus, qvam navigantibus Syrtes aut Scyllas putaverit. Qvod autem ei de judiciario labore temporis dabatur, in studiis literisqve conqviescebat, *otium sine literis, mortem & hominis vivi sepulturam* cum Seneca dicens. Verum in suscepto tranqvillitatis consilio solidam vitam agere, fata rerum ei non cesserunt, necessitate temporum invitum eum ad Reip. curam sollicitudinemqve rapiente. Sicut enim primum mobile cæteros orbes contrarium motum habentes, rapacitate sua violentiaqve secum trahit, sic universa Gallicana rerum perturbatio, cujuscunqve ordinis & naturæ homines, repentino suo impetu cursum hunc violentum, nolentes etiam, seqvi coegit. Ad instar tamen stellarum orbiumqve cœlestium, qvi primum mobile seqvendo, motum suum proprium non amittunt: Joannes Bertrandus in hac rapacissima rerum omnium conversione, tranqvillum moderatumqve animi sui motum, & circulum semper peregit. Ita enim æqvabiliter temperateq; cuncta gubernavit, ut in maximis turbinibus & flu-

fluctibus, civitatem suam sola placibilitate, & sedatione conservarit. Verum ut, qvem cursum civitas Tolosana eo gubernatore & Præside tenuerit, cunctis ostendere facile possimus, eundem nos recta tenebimus. Duobus itaqve fratribus Duce & Cardinale Guisiis, Blesiis, ubi Conventus Gallici agebantur, interfectis: ad hujus necis rumorem tota fere Gallia commota est, & qvod medicamentum Reip. salutare credebatur, malorum fuit irritamentum. Plebecula enim urbana suapte natura ad seditionem prona, pene omnis agitata est: maximeqve Tolosana à *Concionatoribus* qvibusdam: qvi qvum adversus Regem qvædam seditiose perorassent, tum *Joannis Stephani Durantii*, (*f*) Senatus Principis, regiiqve nominis acerrimi vindicis dignitas ab eis laceratur. Qva concionum licentia, & maledictorum impunitate, factiosi de defectione cogitantes animos sumpsere, & concilium ex cunctis ordinibus, penes qvod summa rerum esset, creari postularunt. Qvod qvidem eis concessum repugnante Joanne Bertrando. Prævidebat enim vir ille in rebus judicandis sagax, eos ex hac administrationis concessione qvid ad Reip. eversionem possent, cognituros, ad instar Herculis apud Senecam, qvi

Posse cœlum viribus vinci suis
Didicit ferendo.

Hujus autem concilii princeps constitutus est Jo-


X 3 annes

(*f*) *Durantii mentio fit in not. ad Cujac. lit.* (*b*) *p.271. & not. ad Brisson. lit.* (*f*) *p.309.*

VITA JOAN. BERTRANDI PRÆSIDIS TOLOSANI,

Auctore

Francisco Bertrando. J.F. Catourſæo.



B illuſtri rerum Gallicarum ſcriptore traditum eſt, *togatos homines Reipub. vel Principibus utiliſſimos eſſe, cum boni ſunt: atqve pernicioſiſſimos, cum mali & iniqvi.* Qvod qvam verum ſit, ultima Galliæ noſtræ calamitoſa tempora ſatis teſtantur. In hac enim communi & noviſſima rerum pene everſione, qvot togati Rempub. ſeditionibus undiqve erumpentibus concuſſam in eos ſcopulos impulerunt, ad qvos naufragium facturam ſperabant? Qvot deniqve è contrario, togatam omnem auctoritatem & ſcientiam ad Rempub. regniqve ſalutem conferentes, in hoc publicum naufragium colligendum & reficiendum, fideliter conſtanterqve incubuerunt? Qvamobrem qvod de lingva hominum vulgo dicitur eam optimam & peſſimam omnium corporis humani partium eſſe, id ad togatos homines, vere & non ineleganter referri poteſt. Politia enim regia, qvæ corpus civile eſt, membra ſua parteſqve ſicut humanum habet. Manus, ſunt milites: nervi, vectigalia: pedes, plebeia multitudo: Rex, pro capite conſtituitur:

tur:

tur: ejus consilium anima est, qvæ totum civile corpus movet & regit: lingvam autem præcipuam capitis partem animæqve interpretem, Togati homines conficiunt. Sic Qvæstor sacri pallatii, qvi princeps togatorum est, lingva & vox à celeberrimis auctoribus dicitur. Mala autem & incommoda qvæ Reipub. togati qvidam intulerunt, qvi, ut Tullius lingvam appellat, flabella seditionum fuere, ea qvidem tanta sunt, ut à me verbis exprimi, & describi nullo modo qveant. Illud tamen non minus vere, qvam libere dicam, inter omnes togatos, bonos cives, & Reipubl. amantissimos (qvi qvamplurimi qvidem fuere, qvosqve meliorem humani generis partem cum Symmacho nuncupare possumus) neminem Joanne Bertrando majori cum integritate, & constantia Rempub. capessivisse, prudentiaqve gubernasse. Cujus vitam, ob eximiam ejus virtutem, & in Occitanam provinciam merita, tanqvam integritatis & religionis tabulam proponere decrevi, ut aliis admirationi, suis vero exemplo esse possit. Certum itaqve *Bertrandorum* gentem ab illustri Comitum Tolosanorum familia originem duxisse. (*a*) *Ramundus* enim

(*a*) *Familia Tholosanorum Comitum perantiqva: Carolingicis enim temporibus jam illorum nomen floruit, memoraturqve inprimis Sec. IX. à Francicis Scriptoribus* Bernardus, *Marchio Gothiæ illustris, qvi in* Vit. Ludov. Pii & à Nithardo Histor. lib. 3. *Septimaniæ Dux nominatur. Constat siqvidem ex anti-*

enim *Bertrandus decimus Tolosanorum Comes* qvatuor habuit filios; *Bertrandum, Guillermum, Alphonsum, & Odophredum:* qvorum tres primi comitatum

---

antiqvis tabulis sub nomine Marchionum Gothiæ, Provinciæ Narbonensis, sic dictæ, qvod Gothi in ea Imperium habuerint, Comites Tholosates & S. Ægidii indicari, ipsosqve Duces Aqvitaniæ & Septimaniæ aliqvando vocari. Conf. Clariss. Dn. Schurzfleisch. in Histor. Veter. Regni Populiq; Burgundion. cap. 5. n. 2. in fin. *Hujus Bernardi ex filio Wilhelmo nepotes, Wilhelmus & Regemundus sive Raimundus sub Carolo Simplici Marchionatum Gothiæ, antea cum reliqvis Comitatibus temporarium saltem, hæreditario jure in familiam transtulerunt, posterisqve reliqverunt. Inde factum credit* Alphonsus Delbene, *Albiensis Episcopus, qvi de Gente & Familia Marchionum Gothiæ, qvi postea Comites S. Ægidii & Tholosates dicti, eruditum tract. edidit* Lugdun. 1607. in 8o. *ut dicti Raimundi nominis memoria in tanto pretio extiterit apud Comites Ægidienses, ut fere omnes hujus familiæ Principes voluerint Regemundi vel Raimundi nominari. Qvin & ultimus Tholosanorum Comitum ex stirpe Bernardi, Raimundus dictus. Qvo Anno 1249. sine liberis masculis defuncto, ex pacis conventione cum Franciæ R. Ao. 1228. inita, cujus tabulas Delbene Tractatui suo subjunxit p. 74. regno Franciæ iste Comitatus cum annexis ditionibus accessit. Causam huic conventioni dederat, gravis* Albi-

tum obtinuere. Odophredus verò qvi *Trinqve-valli* Vicecomitis Bitterensis & Carcassonensis filiam

---

Albigensium sive Waldensium persecutio sub Innocẽtio III. qvibus nimium favisse, corumqve partes secutus credebatur Raimundus, ob id bello aggressus, durissimis conditionibus pacem obtinuerat. De hisce Waldensibus, qvi Petro Waldo civi Lugdunensi sec. XII. originem debent, & Albigenses ab Albia oppido, in c. 8. 9. & pen. de Hæret. *autem Cathari vel Gazari Patrini, Publicani, Passagini, Josephini, Arnaldistæ, Humiliati, Speronistæ & Pauperes de Lugduno contumeliose nominantur, & à Pontificiis Scriptoribus aliqvando Hæretici Tholosani, Turlupini, Picardi, Leonistæ & Sabbatharii dicuntur, videndus* P. Perrinus in Histor. Waldensium Jac. Usserius de Christ. Ecclesf. Success. c. 8. seqq. Petr. Wesemb. JC. Orat. de Waldensibus & Albigensibus Christianis, D. Ægid. Strauchii Dissertat. de Waldensibus Witteberg. 1659. habita. *Excommunicationi subjiciuntur in* c. excommunicamus de Hæret. *& in* auth. Gazaros C. de Hæret. *tanqvam infames & banniti cõdemnantur, eorumqve bona fisco addicuntur. Neqve enim alios qvam Waldenses per Gazaros & Patarenos ibi intelligi mihi verisimile fit. Explicat d. authent.* Pancirolus lib. 2. Var. lect. cap. 178. *eamqve Friderico II. tribuit; ex* c. 9. de Hæret. *qvod Lucii III. est, colligi tamen poterit, jam Frider. I. tempore parem acerbitatem Pontificum instinctu, Albigenses expertos*

am uxorem duxit, proportione sua hereditariam, *Servianum agrum* in Narbonensi provincia situm, habuit, cognomineqve paterno, qvod retinuerat, ad posteros omnes transmisso, filium reliqvit, *Hadrianum Bertrandum*, qvi *Rogerii Bertrandi* pater fuit: qvorum posteri præcipuis militaribus, & ecclesiasticis Galliæ honoribus ornati, agri Serviani illis gentilitii possessionem dominatumqve adepti sunt, ad atavum usqve Joannis Bertrandi, à qvo abjudicatus est. Abavus qvi tunc penè puer literarum causa Tolosæ alebatur, simul cum re parente amisso, se ad Bitterensis Episcopi avunculi sui fidem, potestatemqve totum contulit; cui juvandæ pueri fortunæ in omni genere officii nec facultas, nec voluntas defuere. Sed eo paulo post obitum patris etiam mortuo, avunculi ope, opibusqve paternis ille destitutus, post susceptos ex *Agnete Fabritia* nobili fœmina liberos, neglectis ambitionis studiis tranqvillitatem vitæ seqvutus est, & in Dominicano cœnobio reclusus, pie sanctèqꝫ ad mortem usqve vixit. Proavus togatis Reip. muneribus functus, non solum antiqvitate nominis voluit, sed etiam virtute commendari. Avus in restauranda sa-

tos esse. Sed ut ad Comites Tholosanos redeamus; ex illis ortam Bertrandorum gentem testis esse poterit inscriptio, qvam Lapidi duro & pervetusto incisam in muro templi S. Saturnino dicati ap. Tholosates Delbene p. 26. d. l. profert:

REQVIESCIT WILLERMUS COMES COGNOMINE TALLIAFER ATQVE RAIMUNDUS BERTRANDI.

familiæ dignitate erectior, & *Alebreti Principis (b)* Cancellarius factus, qvatuor liberos superstites habu-

---

(*b*) *Ducatus Alebretanus vel Leporetanus, qvi illustrissimæ Franciæ familiæ nomen dedit, ex Jos. Scaligeri asserto, ex Senescalciarum Agiunensis & Armaniacensis compositus, à vico Leporeto seu Lepreto vulgo Labrit in arenis Burdigalensibus vel Vasatensibus sito, nomen accepit. Saltuum plenas arenas istas Burdigalenses, les Landes de Bourdeaus, alias arenæ vel Landæ Vasatenses, les Landes de Bazas dictas à Martianensi Vicecomitatu, Scialociæ (la Chalosse) proximo, late ad Oceanum versus promitti notat* Valesius in Notit. Galliar. voc. Leporetum p. 272. *simulqve observat frugum qvidem steriles esse, sed leporibus scatere: à qvibus Leporetum vel Lepretum in priscis monumentis vocatur. Vid.* Forner Geogr. Orb. Not. P. 1. lib. 6. cap. 35. & Baudrand in Lexic. Geograph. voc. Lebretum. *Primus Albretanæ stirpis, cujus mentio fit, est* Amaneus *circa An. 1050. qvem ex posteris vetustissimorum Bigorrensium Comitum descendisse volunt. Nominantur antiqvitus Domini de Lebreto sive Albreto, Sire d'Albret. Nam docet vera pietate & eruditione illustris Francofurtensium Antistes, summe Venerandus* Dn. D. Spenerus in Histor. Insign. l. 1. cap. 2. §. 15. *Ubi Albretanæ domus originem incrementa & insignia, qvæ Tab. I. conspiciuntur, more suo id est erudite describit, titulum hunc Regi hodie tantum proprium, prisco tempore ab illustrio-*

buit: *Joannem Bertrandum S. R. E. Cardinalem*, Archiepiscopum Senonensem, Galliarumqve Cancellarium: *Petrum* Episcopum & Comitem Cadurcensem: *Nicolaum* Senatus Tolosani Præsidem, & Catharinæ Mediceæ tunc Delphinæ Cancellarium: aliumqve *Petrum* Abbatem Saramonensem: qvi qvidem præstanti gloria, rebusqve praclare gestis maximè floruerunt. Ex *Nicolao* autem & *Antonia Jordania*, natus est Joannes Bertrandus anno 1527. qvinto id. Maji. Cujus prima ætatis initia, cum patris diligentia, tum etiam naturali literarum desiderio munita, docilitatis suæ non parvum experimentum dedere. Deinde ex puerili institutione edoctus, sub *Antonio Usilio* (c) non indocto ho-

---

strioribus qvoqve familiis usurpatum fuisse. Ducalis dignitas à Rege Henrico II. in gratiam Johannæ Navarræ Reginæ Albretano pago tributa An. 1556. Et certe moderna Regum Franciæ familia Albretanorum Principum sangvinem cognatione attingit. Johannes enim Albreti Dominus & ex conjugio cum Catharina de Foix, Navarræ Rex, genuit inde Henricum Margaretæ Valesiæ Francisci I. Galliar. R. sororis maritum; ex qvibus nata Johanna, qvæ Regni Navarreni jus marito Antonio Borbonio afferens, illud filio Henrico, post etiam Franciæ Regi, ejusqve nominis IV. & Magno reliqvit. Laudatus Dn. Spener. d. cap. §. 2. Reusner. in Oper. Geneal. in Stirpe Navarren. p. m. 349.

(c) *Forsitan ille est Usillus, cujus ad tit. J. de Action. extant*

homine, majorem qvandam rationem complexus eſt, confirmationemq́ve doctrinæ. Inde ad juris ſcientiam delapſus, unum ex omnibus Anteceſſoribus *Arnoldum Ferrerium*, (*d*) magnum ætatis ſuæ virum & Juriſconſultum celeberrimum ita coluit, ut cum eo à Valentinis ad jus publice profitendum accerſito, Valentiam profectus ſit, ibiq́ve Doctoratu accepto Toloſam continuo reverſus, patrem gravi morbo & mortifero affectum invenit. Poſt cujus obitum in aulam profectus ad Joannem Bertrandum patruum ſuum, ſub *Lodoico Strabeo* viro doctisſimo, cum *Guillermo Bertrando Villamorio* fratre patruele aliqvandiu vixit. Paulo tamen, poſt, nec dum ſenatoriæ ætatis adoleſcens, Senator Toloſanus factus eſt. Cujus immaturæ promotionis hæc narratur fabella. Cum juſſu patrui ſui *Dianam Valentinæ Regulam*, qvæ apud Henricum ſecundum prima erat, ſalutatum iiſſet gratias acturus, qvod ea potiſſimum intercedente, honorem ampliſſimum adeptus eſſet: Dianam ab illo petiiſſe an Cardinalis Galliarum Procancellarii ex fratre nepos eſſet: qvo annuente, ſuaſit ei Diana ne Regis vultum ſubiret. Nec enim (inqvit) Rex imberbes adoleſcentulos, Conſiliarios habere ſe exiſtimat. Tum poſtea regii & ſacri conſiſtorii

X Con-

tant Commentarii Lugdun. 1568. in 4o. *editi, & Expoſitio Regiæ conſtitutionis ad Curiarum Præſidalium auctoritatem pertinentis.*

(*d*) *De Arnoldo Ferrerio vid. not. ad Cujac. lit.* (*d*) *p.*

rejecit, & tanqvam dignitatis senatus parum digna, condemnavit. Tantaqve fide & religione vixit ut dierum illorum qvibus privatis negotiis occupatus à curia abstinuerat, stipendia regia sibi solvi noluerit, Qvæstoriqve reddiderit. Codicillos senatoriæ in Curia Tolosano dignitatis à Carolo Lotharingio Guisianarum partium in Gallia, tunc Principe datos remisit; nec rei publicæ à se gestæ remunerationem à qvoqvam se accepturum, nisi à Rege suo, animose & fortiter rescripsit. Qvæ qvidem summa innocentiæ ratio, eo magis in ipso enitebat, qvod & liberorum numerus, & rei familiaris angustia, eum ad opes non spernendas invitare satis videbantur, Religionis autem & pietatis antiqvum propemodum exemplar: qvippe *qvi sine ostentatione piissimus, & sine superstitione religiosissimus fuerit.* Singulis diebus dominicis sacra Eucharistiæ communione utebatur: Jejunia vero ab ecclesia præcepta ita ex præscripto observabat, ut ne qvidem prope septuagenarius ea unqvam solvisse intelligatur. Vita ei proba, mores innocen-

ne Justiniani. Ex Theopbilo tamen & Novell. ostendit Sportularum modum, pro modo petitæ qvantitatis, certo definitum, fuisse, nimirum in centenos aureos dimidiatum, in ducentos aureum, in millenos sex. Plura eaqve erudita de variis Sportularum generibus ap Gutherium de Off. Dom. Aug. lib. 2. cap. 17. & Phil. Broidæum in prætermissis ad Pollet. Histor. For. Roman. lib. 5. cap. 11. *legi poterunt.*

tes, animus qvietus & placidus: oratio tamen severa, sed in qva non infreqventer comitas qvædam urbana eluceret. His itaqve animi & pietatis dotibus instructus, ad senectutem usqve summam constantissimè vixit. Sed hoc magnopere mirum in homine nobili, & ad res magnas nato & alto, qvod magistratus sui partem ad judicia spectantem tractandam tantum susceperit: illam verò ambitiosam Reip. curam, qvam tot homines & stulte & infeliciter amplectuntur, sibi fugiendam non minus, qvam navigantibus Syrtes aut Scyllas putaverit. Qvod autem ei de judiciario labore temporis dabatur, in studiis literisqve conqviescebat, *otium sine literis, mortem & hominis vivi sepulturam* cum Seneca dicens. Verum in suscepto tranqvillitatis consilio solidam vitam agere, fata rerum ei non cesserunt, necessitate temporum invitum eum ad Reip. curam sollicitudinemqve rapiente. Sicut enim primum mobile cæteros orbes contrarium motum habentes, rapacitate sua violentiaqve secum trahit, sic universa Gallicarum rerum perturbatio, cujuscunqve ordinis & naturæ homines, repentino suo impetu cursum hunc violentum, nolentes etiam, seqvi coegit. Ad instar tamen stellarum orbiumqve cœlestium, qvi primum mobile seqvendo, motum suum proprium non amittunt: Joannes Bertrandus in hac rapacissima rerum omnium conversione, tranqvillum moderatumqve animi sui motum, & circulum semper peregit. Ita enim æqvabiliter temperateq; cuncta gubernavit, ut in maximis turbinibus ac flu-

fluctibus, civitatem suam sola placibilitate, & sedatione conservarit. Verum ut, qvem cursum civitas Tolosana eo gubernatore & Præside tenuerit, cunctis ostendere facile possimus, eundem nos recta tenebimus. Duobus itaqve fratribus Duce & Cardinale Guisiis, Blesiis, ubi Conventus Gallici agebantur, interfectis: ad hujus necis rumorem tota fere Gallia commota est, & qvod medicamentum Reip. salutare credebatur, malorum fuit irritamentum. Plebecula enim urbana suapte natura ad seditionem prona, pene omnis agitata est: maximeqve Tolosana à *Concionatoribus* qvibusdam: qvi qvum adversus Regem qvædam seditiose perorassent, tum *Joannis Stephani Durantii*, (*f*) Senatus Principis, regiiqve nominis acerrimi vindicis dignitas ab eis laceratur. Qva concionum licentia, & maledictorum impunitate, factiosi de defectione cogitantes animos sumpsere, & concilium ex cunctis ordinibus, penes qvod summa rerum esset, creari postularunt. Qvod qvidem eis concessum repugnante Joanne Bertrando. Prævidebat enim vir ille in rebus judicandis sagax, eos ex hac administrationis concessione qvid ad Reip. eversionem possent, cogituros, ad instar Herculis apud Senecam, qvi

Posse cœlum viribus vinci suis
Didicit ferendo.

Hujus autem concilii princeps constitutus est Jo-

X 3 annes

(*f*) *Durantii mentio fit in not. ad Cujac. lit.* (*b*) *p.271. & not. ad Brisson. lit.* (*f*) *p.309.*

annes Bertrandus, ut hominum novarum rerum cupidorum turbulentas voluntates moderatione sua mitigaret & auctoritate frænaret. Verum eo seditio serpserat, ut jam timidiores de defectione à Rege non silerent, & cum *Dafifius* Advocatus Regius causidicum qvendam accusasset, qvod effigiem Henrici tertii è capitolio dejiciendam censuisset, tanta in eum commotio facta est, ut magnum sibi creaverit vitæ periculum. Itaqve cum ad hoc usqve tempus Durantius occulte cuniculis oppugnaretur, aperto marte imposterum expugnari cœpit. *Sept. enim Cal. Febr. 1589.* hora post meridiem qvarta, eum è Senatu exeuntem, rhedamqve ingressum qvam plurimi armati homines eductis gladiis aggressi, ad extremum deduxissent casum: ni rhedarius eqvorumvelocitate è manibus eorum evadens, dominum ab omni injuria prohibuisset. Bertrandus autem cum Stephano BertrandoQvintio filio suo, qvi hoc in repentino motu cum militari manu ad patrem accurrerat, è curia domum suam incolumis se recepit: primusqve aggere doliario, in modum eritii militaris vici sui angulos clausit. Cujus exemplum seqvuti reliqvi cives, in singulis urbis vicis aggeres similes egere. Sed tandem Durantius in Dominicano cœnobio, in qvod cum militum custodia inclusus erat, decima qvinta die post fugam, à plebe armata, sive potius plebis colluvie occisus est cum Dafisio advocato Regio, qvem in Castro Narbonensi custodiis vinctum ob servatam Regi fidem clausum habebant: & ita pluribus vulneribus confossus per totam urbem

bem funiculo pedibus alligato cum Regis Henrici tertii effigie maxima cum ignominia trahitur, & *ad scalas D. Georgii*, ubi damnati & facinorosi homines plectuntur, cum omnium bonorum mœrore suspenditur. In hac tanta tamen atrocitate temporis, Joannes Bertrandus qvæ fortem Civem, & Senatorem optimum decebant, gerere non destitit. Nam cum tertiana ipse in lecto laboraret, filium suum Stephanum Bertrandum Qvintium civibus ducem ostentavit ad hanc indignissimam calamitatem è clarissimorum virorum cervicibus depellendam. Sed cunctis perterritis, Qvintius publicam causam suscipere non potuit: hanc tamen plebis fæcem è palatio & Dafisii nece revertentem, partim amissis gladiis & telis partim ereptis, diffugere solus ipse cum paucis amicis coëgit. A qvibus autem plebs ad hunc furorem impulsa fuerit, varie narrabatur: vel ab his qvi privatas injurias publica manu vindicare tutum putabant; vel ab illis, qvi qvum populari tantum freti potentia à Rege defecissent credebant, hoc facinore admisso, plebeculam metu supplicii ad sanitatem facile non reversuram. Hoc qvidem popularis levitatis testimonium, & ætatis nostræ corruptæ argumentum: inter præcipuas odii & necis causas, eam tunc vulgo ferri, qvod rheda in palatium & curiam gestaretur, qvasi alienum illud ab antiqva parcitate, & togata modestia. Durantii vero fortis constansqve animus in amplectenda morte à multis laudatus est. Sed hoc in eo mirabile, qvod hostium furori tanqvam hostiam publicam sese libenter obtulerit,

& pileo qvadrato, togæ dignitatisqve insigni capiti imposito, senatoriaqve toga sumpta, eodem vultu qvo senatum ingrediebatur, furiosam turbam ad exitium suum paratam & anhelantem adierit: ut ipse qvi togæ honor & decus fuerat, vere togatus mori videretur. Hoc autem omni admiratione dignissimum, qvod his Senatoris insignibus indutus, tanqvam alter Arion citharœdi palla, non Orthion, *(g)* ut ille Diis maritimis morti se offerens, sed hoc vere orthon & rectum Christi carmen Divis cœlestibus pie cecinerit: *Domine ignosce illis, qvia nesciunt qvid faciunt.* Durantio itaqve mortuo, Joannes Bertrandus principatum senatus obtinuit. Ne tamen publicæ calamitatis molestiam domestica felicitate leniret, filium natu majorem Stephanum Bertrandum Qvintium nefarie trucidatum hoc ipso tempore amisit, natum annos tantum XXIII. relicto puerulo bimensi ex *Francisca Vabresia* à Castronovo fœmina nobili, omniqve honesto lepore conspicua. Cujus mortem qvam graviter tulerit, satis intelligent qvi se patres meminerint. Hoc tamen exasperabat dolorem, qvod in tam misero regni statu, nullo publico solatio privati mœroris luctum levare posset. Veruntamen statim atqve civitatis Tolosanæ clavum tenuit, nihil antiqvius habuit, qvam Senatus auctoritatem prostratam & afflictam erigere, Senatoresqve pro-

(g) *De Orthio Carmine* Gellius Noct. Atticar. lib. 16. cap. 19. & Hoffmann. in Continuat. Lex. Univers. voc. Orthium.

profugos,qvi ex civitate in hoc communi Optimatum periculo cesserant, Senatus consulto revocare. Qvod qvidem fecit repugnantibus qvibusdam populi primariis nonnullisqve ex senatu. Cur enim, inqviebat ille, tot Senatores viri boni,& nulla ignominia notati, in eam civitatem non revertentur, in qva tot perditos & facinorosos homines non solum habitare, sed etiam auctoritatem habere sinimus. Jam Reip. Tolosanæ tranqvilla satis & serena frons apparebat, induciæqve pactæ inter Guisianarum & Regiarum partium duces domi forisqve cuncta qvietiora fore pollicebantur: cum subito discordia animos hominum ad nova surgentes veluti pestilenti qvodam sidere efflavit. *Urbano Sangelasio Convenarum Episcopo*, à senatu absente *Guillermo à Joyosa* Galliæ Mareschallo, Occitaniæ Prorege, urbis Tolosanæ cura demandata erat. Sed cum populariter nimis se gereret, Patres Joyosano auctore, ejusqve sententiæ principe, de abroganda ejus potestate consentiunt. Sangelasius qvi cuncta, qvæ adversus eum parabantur, satis superqve noverat, conturbari Rempub. qvam minus ipse, valere mallens, ut invisum plebi Joyosanum redderet, contra publici solemnisqve jurisjurandi religionem, eum cum hæreticis hostibusq; inducias fecisse criminatur: & sodalitatem nomine corporis Christi prætexens, post consilia cum plebejis novarum rerum cupidis, interdiu noctuq; agitata, *Richardum ordinis D. Francisci à Paulo* sodalem, in fano D.Mariæ Dealbatæ concionari jubet. Is qvum de Reip. statu multa disseruisset, Sangelasium

ſium tanqvam Religionis catholicæ verum propugnatorem, plebi commendat: Mareſchallum Joyoſanum, Patrumqve Principes, de urbe hoſtibus dedenda cogitaſſe. Qvibus ſermonibus, jam perſe accenſi incitantur à monacho plebis animi. Cui concione finita ad arma diſcurrenti, Sangelaſius armatus occurrit: ſeqve pro libertate & religione arma ſumpſiſſe clamitans, ne defenſorem ſuum in ipſo diſcrimine periculi cives deſtituant precatur. Interim Bertrandus à Mareſchallo evocatus, ad Archiepiſcopatus ædes proficiſcitur: ubi cuncta turbide & turbulenter agitabantur. Qvidam enim ex Nobilitate, vi armisqve rem agendam cenſebant: rudem & inexercitatam turbam enſium ſolo fulgore terreri. Alii tamen lenibus remediis ſubveniendum putabant: vim armaqve deſperatæ Reipub. tantum medicamenta: concitatos autem plebis animos, cum tutius, tum facilius flecti poſſe qvam frangi. In qva Sententiarum ancipiti contentione, Bertrandus nihil temere tentandum ſuadet: & vocatis *Franciſco Gargaſſio* primæ ſententiæ Senatore, viro conſtantiſſimo prudentiſſimoq; & qvibusdam aliis Senatoribus, qvi nihil antiqvius communi ſalute judicabant, capitolium petit: ibiqve Octumviros ad Senatus, & Mareſchalli auctoritatem armis tuendam excitare tentavit. Sed cum illi in varias traherentur ſententias, nihilqve certi decernerent, Bertrandus uno ex Capitolinis cum militum cohorte ſecum aſſumpto, purpureaqve toga induta, totam urbem perluſtrans: civibus imperat, ut Mareſchalli Joyoſani dicto tantum au-

audientes, aliorum recuſent juſſa: nec à qvolibet ambitioſo ſenatus decreta infirmari impunè patiantur. Sed tanta vis tabesqve morbi omnes ferè cives invaſerat, ut apud qvos ſeditio non exarſerat eſſet diſſimulatio, & qvi nullarum partium esſent, animos ex eventu ſe ſumpturos demonſtrarent. Dum hæc Bertrandus ageret, alia ex parte Sangelaſius, Richardus Monachus, cæteriqve adverſæ factionis cives Joyoſanum, ob inducias cum hoſtibus pactas criminantur; concuſſant circum tabernas, & multitudinis rerum imperitæ ſollicitando & pollicitando animos lactant. Has autem contentiones cum nox ſuperveniens diremiſſet, ſeqvens dies renovavit: poſtridie enim ſummoq; mane, plebe rurſus tympano ad arma vocata, major in plateam Dealbatæ multitudinis furentis fit concurſus. Qvo novo populi tumultu Mareſchallus perterritus, Bertrandum invocat: plurimiqve ex Senatoribus domum ejus veniunt ferè exanimati; admonent in tam aperto rerum diſcrimine non cunctandum: ſed contra periculoſiſſimas factioſorum potentias, conditioni ſenatus, bonorumqve omnium ſaluti providendum. Qvamobrem Bertrandus diutius non cunctatus, cum Senatoribus Mareſchallum adit: ſimulqve de ſumma rerum agunt vocatis ad conſilium patribus, octum viris, & ex nobilitate proceribus. Qvidam qvi non tam incolumem civitatem qværebant qvam in qvorum manu eſſet, tentandam rem armis cenſebant: hoc indecorum Galliæ Mareſchallo, ſi cum urbana multitudine manum conferere non

au-

auderet. Paucorum autem animi à certatione abhorrebant; qvorum ſententiæ Bertrandus adjecit ſimilia qvædam verba: *Ut prius noſcerent vires qvas haberent exiguas, qvam Mareſchalli vitam, ſenatus dignitatem, Occitaniæ tranqvillitatem, bonarum deniqve fortunas in diſcrimen adducendo, qvicqvam periculo ultimo tentandum ſtatuerent: pro dignitate antea pugnari potuiſſe, nunc pro vita & ſalute decertandum: ſatis decora, qvæ tuta: & glorioſiorem eum exitum rerum fore, qvi partibus adhuc integris cum pace fieret.* His ita dictis, legatos ad Sangelaſium mittendos cenſet. Sed Mareſchallo cunctante, qvum legationis miſſæ nomen, timoris ſignum videretur, tulêre nonnulli conditiones has pacis, ut qvi ex capitolinis Joyoſanarum partium populo ſuſpecti erant, claves urbis redderent, darentqve eas civibus probatis, & à plebe electis. Tum deinde Mareſchallus, copias qvas circum ſe habebat dimitteret: Sangelaſio ſe dimiſſurum ſuas pollicente. Qvibus conditionibus Mareſchallo jam commoto, clamatum eſt à cunctis hæc fraudulenter dici: ſi claves darentur, eos in manu hoſtium eſſe: haberent ſaltem liberam exitus portam; ſi victoriæ, ſors clauderet. Nec imprudenter dictum, Sangelaſio, tota urbe occupata, ad Mareſchallum obſidendum adventante. Qvo novo fremitu crebreſcentis ſeditionis, languere ſtatim multorum ſtudia cœperunt, qvi primo alacres, fidem atqve animum oſtentaverant. Mareſchallus propter exiguitatem copiarum ſuarum, nec occupare pericula, nec obſidionem tolerare contra concitatam multitudi-

di-

dinem, tutum & honeſtum putat: *in bona enim cauſa, ſed adverſa bene cedere, qvam male opprimi utilius duxit.* Cum paucis itaqve Mareſchallus clam ab urbe exiit. Qvo ſubitaneo diſceſſu nonnulli Senatores perculſi, urbe cedentes cum eo ad *Caſtrum Balmanum* ex Archiepiſcopatus ditione pervenerunt. Poſt ejus diſceſſum, rerum omnium potitus Sangelaſius, cum univerſo Clero militum ordinibus ſtipato, ad Archiepiſcopatus ædes proficiſcitur: ibiqve diris per omnium Sacerdotum religiones Mareſchallus devovetur. Inde effrænata plebecula, nihil niſi cædes & rapinas cogitabat, qvum Bertrandus, qvi poſt diſceſſum Mareſchalli domum ſuam ſe receperat, Sangelaſio mandavit, ut prædas, qvibus armata turba potentiorum domus minitabatur, prohiberet, provideretqve, ne qvid detrimenti Reſpublica caperet: Senatum ſe coacturum, rogabat ut adeſſet, & ne rerum non penitus deſperatarum remedia negligeret. Sed cum ille iratæ plebis impetum cohibere ſe non poſſe, nec in alios, nec in Bertrandum ipſum, qvi imperium illi abrogare voluiſſet, acerbe & minaciter reſpondiſſet: Bertrandus ut ab urbe exiret, Mareſchalli literis qvotidie monebatur. Ille tamen non videbat, qvemadmodum id fieri poſſet, nec deberet. Nec movebat eum qvod Sangelaſius civitatem occuparet: qvam neqve Solonem cum Piſiſtratus, neqve Socratem cum triginta tyranni eſſent, pedem porta extuliſſe diceret. Conjiciebat etiam non ex alitis volatu nec ex cantu ſiniſtro oſcinis, ut in veteri Romanorum augurum diſciplina

na erat: ſed vero prudentiæ augurio, dominationem illam vix bimeſtrem fore. *Violenta enim imperia nemo diu continuit*, Domi itaqve remanſit Bertrandus absqve ulla Reip. gubernatione. Qvi tamen in tam gravi vulnere, non ob erepta civitatis gubernacula, ſed Reip. tantum cauſa dolebat. Jam enim pridem virum illum minime ambitioſum gubernare tædebat, etiam cum licebat: & ad inſtar fici, dulcedinem ſuam, id eſt, domeſticam tranqvillitatem retinere malebat, qvam imperium adipiſci. Cæterum cum ab *Scipione Regulo Joyoſano*, qvi exercitum ob vindicandam patris injuriam comparaverat, Toloſa premeretur, à nonnullis civibus viriliter ejicitur Sangelaſius, dum vulgus ignavum, & nihil ultra verba auſurum ad ſui auxilium fruſtra appellat. Sangelaſio expulſo Joyoſanus in urbem recipitur, Bertrandoqve libera civitatis adminiſtratione reſtituta, cuncta ita pacata redduntur, ut qvi rerum magis diffiderent, Toloſam hoc inqvieto ſtatu permanſuram augurarentur. Verum ſerena hæc rerum tranqvillitas, conjurationum procellas in Rep. maximas concitavit. Ex qvibus *Tornerianam* omnium periculoſiſſimam paucis deſcribere ſtatui, qvoniam in ea compeſcenda & reprimenda, Bertrandi virtus & prudentia præcipue illuxit. Anno itaqve 1590. conjuratio facta eſt à civibus qvibusdam, religionis & pietatis nomine eam prætexentibus. In Gallia qvippe rerum novatores, vel boni publici, vel religionis nomen induentes, pravum animum ſimulatione recti ſemper tegunt. Princeps autem hujus

hujus conjurationis ignoratur. Simile enim verum non est, Tornerium senatus tantum advocatum, nec opibus nec auctoritate potentem, tantæ conspirationis ducem fuisse: neqve ejus auspiciis milites provinciales, à qvibus & ipsi primarii togæ viri temporum licentia despiciebantur, ad arma convolasse credibile est. Si conjuratio valuisset, ejus principem haberemus: sed *infelices successus auctores non reperiunt*. Detecta autem conjuratio fuit à *Galilio* plebejo homine conjurationis conscio, qvi cum à conjuratoribus constitutum audivisset senatores delendos VII. Id. Septembr. hora matutina, qva freqvens senatus in curia esse consveverat: de vita *Assesatii* Senatoris amplissimi & integerrimi metuens, cum qvo vetus erat consvetudo, tale periculum ei haud occultum habuit. Qvæ cum Bertrando Assesatius de nocte enuntiasset, capitolinis ad se vocatis, & *Petro Caumello* Advocato regio, statuit ille per totam urbem vigilias habendas, præsidiaqve in curia ponenda esse, ut seqventi die summoqve mane senatus cogeretur, qvo freqvente aliqvid salutare Reip. tuto decerni posset. Postridiè senatu vocato, qvum ad eum ordinem hæc retulisset Bertrandus, decretum est eadem præsidia in urbe retinenda, Galiliumqve in carcerem conjiciendum, ut conspirationis auctores, indiciaqve sceleris patefaceret. Qvi cum impunitatis spe allectus, *Bernesium*, aliosqve accusasset: nominaturum eum cæteros conjurationis socios, boni sperabant: sontes autem timebant. Interim portarum urbis custodia Senatoribus probis,

bis, civibusqve probatis committitur, ut eis curæ esset, ne alienus homo qvisqvam intromitteretur. Fama tunc erat qvam plurimos milites ad spem prædæ undiqve adscitos remissos esse, qvi per varias portas vel litium perseqvendarum, vel aliorum negotiorum nomine, Tolosam ingredi avebant. Conjuratione itaqve prodita, dum Bernesio dubitanti, negantiqve vincula injiciuntur, tormentaqve proponuntur: reliqvi conjuratores sibi prætimentes jam animo cadebant, cum Tornerius simili oratione eos ad aggrediendum projecta erexit. *Si diutius, inqvit, moramur extrema supplicia nobis certa sunt. Eo itaqve fortunæ nostræ redeunt, ut pulchrius in armis mori succurrat, & ut nobis fortiter potius (licet victis) qvam vinctis turpiter, cadendum sit: neqve salutis via hoc modo desperata. Eos enim qvi de fuga cogitare tantum nos cogitant, conjurationemqve similem atqve in olla ebullienti credunt, qvæ cum detegitur fervorem amittit, inopinata aggressione terrebimus. Aspirabit sine dubio consiliis nostris fortuna, in eam ignavia nostra contempserit: aut nisi lictores qvi nos vinciant, carnificesqve qvi nos ad patibulum trahant, expectare malimus.* Hac oratione maximè commoti conjuratores, ut hominum fert natura, dubiam spem certo excidio antepofuerunt: & die dominica V. Id. Septembr. circa horam qvartam pomeridianam, Tornerius satellitibus stipatus, *Papussium & Ressiguerium* Senatores integerrimos, civesqve optimos ex D. Francisci fano exeuntes prehendit: qvos, magna voce exclamans, se libertatis & religionis vindicem, in in-

fulam *Tonisiam* duxit, qvæ seditionum & motuum Tolosanorum, sicut Lemnos insula, fulminum & fulgurum officina nuncupari jure poterat. Unde & Tonisiani nomen tunc in urbe seditiosi erat synonymum. Qvæ cum Petro Caumello Advocato regio nuntiata essent, imminenti urbis Senatorumqve periculo permotus Bertrandum adit, cuncta narrat, orationeqve vehementi animum ejus natura remissum, ad ultionem ita incendit: ut cum ipsa toga domestica, qvi erat amictus, è domo exierit, populumqve ad publicam libertatem & senatus salutem protegendam concitare tentaverit. Dum autem Joannes Bertrandus, Petrusqve Caumellus plebem stimulant, affines eorum qvamplurimi, & senatus studiosi subsidio veniunt. Qvorum adventu, palatio ab ipsis occupato, & in turre Tanusia, castriqve Narbonensis moletrinis præsidiis collocatis, qvæ insulam Tonosiam hac ex parte interclusam tenerent, populum denuò ad arma excitant: purpuraq; induta magistratus insigni, cum tercentorum hominum manu, insulam Tonisiam versus, salutari expeditoqve consilio proficiscuntur. Qvo simul ac advenerunt, Templum D.Mariæ Dealbatæ, qvod est qvasi arx, & castellum, insulæ, occupant. Si fanum tenuisset Tornerius, magno in periculo Tolosana civitas versabatur, plebe conjuratorum studiis favente, innata invidia, odioqve inopum erga potentes: vel qvod è religione ita putaret esse, à factiosis qvibusdam corrupta, qvi ambitionem suam religionis nomine plebi adorandam præbebant, non minus impie, qvam *A-*

rellius pictor meretrices ſuas Dearum nomine populo colendas dediſſe traditur. Qvibus à Bertrando cognitis, ne Cultellarii per fluvium Garumnam Toniſianis ſuppetias ferrent, *Candellium* & *Flamandum* Cultellariorum duces ad ſe venire juſſit: qvibus in templum Dealbatæ concluſis patibulum & crucem denunciat, ſi Cultellarii contra Senatum vim ſuſciperent. His autem remediis in hoc ſubitaneo morbo, ſaluti publicæ ſubveniendum putavit: ne tamen periculoſas curationes & ancipites adhibere videretur, tentandum prius animum Tornerii, conſpiratorumqve duxit, an Senatores liberos dimittere, ſenatusqve dicto audientes eſſe vellet. Neqve enim magiſtratus, cives tabe affectos ſtatim dividunt & præcidunt: ſed tantum, ut Plato vult, qvum inſanabiles, & his inqvinati ulceribus ſunt, qva Plinius deſperantia vocat, & medici θηριώματα, καὶ χειρώνεια ἕλκη. Sed qvum Tornerius mandata Bertrandi detrectaſſet, ille non amplius cunctandum ratus, capitolinis imperat, ut è capitolio tormenta qvædam bellica ad oppugnandam inſulam deduci curarent. Qvi dum in eo exeqvendo mandato ſummam diligentiam conferrent, *Aqvenſis Archiepiſcopus*, qvi à Cardinale Cajetano Sixti qvinti ſummi Pontificis legato, ad ſenatum miſſus erat, Dealbatam venit, Baſilio ex Franciſcanis Capuccinis ſodali, nonnulliſqve ſacerdotibus è ſocietate Jeſu comitatus, qvi compoſita ad id oratione Bertrandum

(b) *Plin. Hiſtor. Natural. lib. 35. c. 20.*

dum à proposito dimovere conatus est. Sed ipse desperatis morbis extrema remedia adhibenda dixit, & qvos legum magistratusqve veneratio continere non valuerat, armorum vi & severitate comprimendos. Hoc ab ipsis magistratus nomen & officium postulare, ut qvi tutores Reip. essent, deteriorem ejus conditionem fieri non paterentur. Rogavit demum eos ut domum se reciperent, ibiqve pro civitatis salute assiduè vota facerent. Dum autem hæc ita colloqverentur, subvenêre *Odetus à Sancto Joanne*, unus è sex primis senatus, & *Antonius Chalabrius Villæ longæ Abbas*, Mareschalli Joyosani ex sorore nepos, aliiqve qvamplurimi cum hominum armatorum turba. Cumqve his copiis senatoriæ partes confirmatæ fuissent, jactis prius qvibusdam tormentariis globis, insulam oppugnare jussit Bertrandus. Qva qvidem expugnata parum cruenta victoria, conjuratorum nonnulli viribus confisi, fluvium Garumnam tranantes: reliqvi vero lyntribus & naviculis salutem sibi pepererunt. Plebeculæ autem Tonisianæ supplici ad pedes jacenti venia data, liberatis Resseguerio, & Papusio, relictoqve præsidio ad insulæ direptionem prohibendam, Bertrandus, Senatoresqve fanum D. Mariæ Dealbatæ petierunt, & supplicationem Deo ob conservatam Remp. constituerunt. Moris erat secundum edictorum principalium præscripta, ut qvi codicillis senatoriis frui vellent, freqvente senatu jurarent, se dignitatem illam venali suffragio non emisse. Cum itaqve *Gabriel Vesianus* vir ornatissimus, candidatus senatui se offerret,

ferret, & cœtu amplissimo judicante probatus esset: reliqvum erat ut de more juraret. Qvod qvidem ille se facturum denegavit, ingenuè professus codicillos se senatorios emisse. Cumqve hoc durum nonnullis videretur; Bertrandus palam testatus est, tantum abesse, ut Vesianum damnaret, ut potius candorem animi sui summopere laudandum existimaret: Neqve enim honestum, perjurio homines in senatum sibi viam qværere, *justitiæ fundamentum fidem esse*. Qva autem fide poterat is videri, qvi sciens fallensqve in ipso justitiæ templo pejeraret. Dolendum qvidem venales regni potestates esse; hocqve certissimum ruituræ Galliæ signum. Sed principibus sic placere, qvos legibus solutos nemo ignorabat. Pudendum autem senatui fore, si perjuria non solum toleraret: sed publica etiam auctoritate juberet. Qvamobrem jurisjurandi illius formulam vel potius perjurii licentiam tollendam penitus censebat. Cui sententiæ omnes ad unum assensi sunt, jusjurandumqve illud abrogatum. Hæc cum domi gererentur, *Antonius Scipio Regulus Joyosanus*, Guisianarum partium in Occitania princeps, secundis qvibusdam præliis adversus *Henricum Mommorensem* usus, tantam nomini suo peperit gloriam, ut nonnulla Galliæ Narbonensis oppida ei ultro sese dederint. Inter qvæ *Carcasso* florentissimum apud Tectosages oppidum. Cujus deditionis auctor fuit *Philippus Rufus*, qvi magistratu in agro Carcassonensi, qvem judicem majorem Occitani vocant, fungebatur; vir apud suos magnæ auctoritatis, & ob nomen pa-
ter-

ternum non mediocris gratiæ. Ad defectionem eum impulit libertas civium à Mommorense arce munitissima oppressa, & *Francisci Sabaterii Laborgadei* atrociores in eum minæ, & severius imperium. Scipio itaqve Joyosanus in oppidum à Philippo Rufo accersitus, ut plebis animos sibi conciliaret, arcem diripit, & Laborgadeum senatus regii principem, & *Giuronium* fisci Patronum captivos retinet. Ambo Scipioni invisi: Laborgadeus qvod post necem Guisianorum fratrum in fide Regis permanens, beneficiorum à Joyosana familia acceptorum immemor, ad Henricum Mommorensem transiisset, & ejus auctoritate fretus omnia in Occitania miscens senatum è Senatoribus qvibusdam, qvi urbe excesserant, & novis extra ordinem allectis constituisset. Giuronius qvod qvum cliens, & qvasi dedititius Joyosanæ familiæ fuisset, ingrata oratione non in causam, sed in personam invectus, freqventi senatu multa in Joyosanum acerbe & aspere dixisset. Giuronium itaqve cervice frangi jussit. Laborgadeum vero eodem mortis genere affici cupiebat. Qvia tamen senator magni nominis, & primæ Sententiæ esset, in ejus caput nihil injuriosum & hostile, præter custodiam ausus est afferre, priusqvam Joannis Bertrandi hac de re compertam voluntatem haberet. Maxima itaqve qva potuit celeritate, unum ex suis, cum litteris & mandatis ad Bertrandum mittit: rogans, ut qvæ ipse de Laborgadeo statuerat, à senatu probari curaret. Sed hæc duriora atrocioraqve visa sunt Bertrando, qvam civitas legibus stabilita &

confirmata pati posset: qvamobrem hanc Joyosani sævitiam damnans, rescripsit ei subito, & cum aliqva objurgationis specie. Consideraret attentius qvæ gereret: neminem in caput Senatoris animadvertere posse præter senatum: Si aliqvid privato imperio in Laborgadeum statuisset, senatum mirum in modum ipsi iratum fore: nec existimaret honestam esse tanta severitate in regios homines sævire, & maxime in Senatorem clarissimum, cui qvidem vitio hoc verti non poterat, qvod ut se à laqveis inimicorum eriperet Tolosa cessisset, & se totum Mommorensi commendasset; humanitatem Duci non minus expetendam, qvam rei militaris scientiam. Qvæ qvum intellexisset Joyosanus sententiam mutavit, & Laborgadeo se pecunia redimere permisit. Qva qvidem in re non mediocre lenitatis & magnitudinis animi specimen Bertrandus prætulit. Qvi licet cum Laborgadeo maximas simultates, atqve etiam apertas inimicitias exercuisset: pro illius tamen salute tanto studio erga Joyosanum, & freqventi senatu agere non destitit, qvanto amicus pro amicissimo agere poterit. Cæterum qvum virtute & prudentia Joannis Bertrandi res urbanæ commodiorem in statum pervenissent, sors turbulentis animis novandarum rerum materiam præbuit. Antonio enim Scipione Regulo Joyosano Occitaniæ Prorege XV. Kal. Nov. ad *Villamurium* oppidum qvod ipse oppugnabat submerso & rebus omnibus in exercitu perditis, de Duce novo partium eligendo varia civium sententia fuit, nonnulliqve è proceribus provinciæ jam

jam inter se de præfectura contendebant. Cum Bertrandus huic ingruenti malo occurrendum ratus, senatum cogit, & *Franciscum Cardinalem Joyosanum* Scipionis fratrem Proregem eligendum esse proponit. Qvibusdam hoc durum videbatur & periculosum: Verebantur enim, ne ecclesiastici & non militaris viri, nobilitas, legionesqve imperium recusarent. Qvum tamen Cardinales Strossam & Armeniacum, cum militari imperio Occitanæ provinciæ & civitati Tolosanæ præfuisse Bertrandus dixisset, & sola nominis Joyosani auctoritate, suaqvæqve in officio contineri posse: Cardinalis Prorex Occitaniæ senatus decreto factus est; mandatumqve illi ut provideret, ne qvid detrimenti provincia & civitas caperet. Cum tamen paucis abhinc diebus provinciam ille deposuisset, Senatus nobilitate postulante *Henricum à Joyosa* Cardinalis fratrem in cœnobio Capuccinorum Tolosi inter sodales tunc commorantem, Occitaniæ Proregem fecit. Sed ne hac in re Christiani nominis religio ulla ex parte læderetur, sacræ Theologiæ & universitatis Tolosanæ collegium coactum est: qvod nihil contra Christianæ religionis leges fieri pronuntiavit, dummodo hæc auctore summo Pontifice agerentur. Bertrandus itaqꝫ senatus nomine, epistolam elegantem & tersam ad Pontificem Maximum Clementem VIII. scripsit, ut, qvæ à senatu acta gestaqve erant, ab ejus Beatitudine comprobarentur.

Summo Pontifici Clementi VIII. Ecclesiæ Catholicæ Patri Sanctiss. Senatus Tolosanus.

S. D.

ETsi non dubitabamus, beatissime pater, qvin & literis multorum, & fama deniqve ipsa de morte clarissimi Ducis à Joyosa, hujus Occitaniæ provinciæ Præfecti tibi esset allatum; tamen existimavimus à nobis qvoqve nuntium esse perferendum, qvo significaremus, eam dolore nos, qvantum maximum capere potuimus, affecisse: Intelligeresqve ejus viri eximias excellentesqve virtutes, omnes probos & pios viros semper fecisse maximi. Ex eo die qvum in tam repentino casu, omnes hujus urbis ordines nullum tempus immitterent de salute civium eorumqve omnium, qvi in hac Provincia nobiscum ecclesiam catholicam sartam tectam esse cupiunt, cogitandi & agendi, ne in variis voluntatibus militem sine imperatore, hostis ad suas partes traduceret: aut qvorundam circa oppidanorum animi à nobis deficerent, aut illos vis aliqva externa adoriretur. Nullam moram interposuimus, qvin Cardinali Joyosano, Tolosano Archiepiscopo, munus hoc tribueremus. Qvi qvum non multo post illud deposuisset, virum aliqvem egregie fortem, & sapientem in demortui locum creari placebat, qvi hujus tam afflictæ, & tantum non prostratæ provinciæ rebus succurreret. Unum esse dicebant ex Joyosano familia Henricum Cardinalis & ipsius Ducis fratrem, nuper in Franciscanum sodalitium allectum, pium qvidem illum, & probitate innocentiaqve præstantem: sed in

qvo sit præterea eximia belli scientia, multis antea præclaris ab eo rebus gestis parta, à qvo solo opem auxiliumqve provinciales, civesqve nostri expectare possent: moræ periculum, Impemtorum penuriam commemorantes; si cunctaretur, à singulis factiones perventuras; in pace consuetudini, in bello necessitati esse serviendum. Nobilitas, qvæ hic ob eas causas freqvens convenerat, ejus imperia æqvo animo passuram pollicebatur, neqve ulli alii concedere in animum inducebat. Qvæ cum ille recusaret, neqve convenire ista ullo modo suscepto à se vitæ proposito ostenderet, adfuere pii multi sacrarum litterarum & theologicæ facultatis professores, qvi illum in tanto periculi metu & rerum discrimine, ad defendendam armis adversus ecclesiæ Romanæ hostes Occitanam provinciam non solum excitarunt, sed etiam impulerunt; apud te se ejus rei consiliiqve auctores fore. Qvibus rebus perspectis & plane cognitis eam provinciam ei administrandam armisqve tuendam facto ad hanc rem senatus consulto commisimus, existimantes te hoc ratum gratumqve habiturum, & qvæ in eo censuimus, decrevimus, libenter probaturum. Et si qvid ad id facilius exeqvendum pertinet qvod à te proficisci atqve impetrari debeat, si nostras ad ejus erga te preces adjungeremus facile concessurum. Qvod ut facias te etiam atqve etiam rogare voluimus. Datum Tolosæ in Parlamento 3. Non. Decembr. anno Domini 1592. Henrico Joyosano Prorege facto induciæ cum Henrico Mommorantio regiarum partium principe in Occitania pactæ, Provinciæ laxamentum aliqvod calamitatis dedêre: Sed domi subito exarsit nova dissensionis oc-

casio. Qvum enim Regulus Joyosanus post susceptam provinciam in curiam venisset absente Bertrando, à nonnullis è senatu derisus, ludibriosis etiam verbis lacessitus est. Qvorum qvidem oratione Joyosani fratres exulcerati, acceptam injuriam eorum relegatione ulcisci statuunt. Qvod tamen qvum sine tumultu, Reiqve publicæ perturbatione fieri non posse, judicarent, Cardinalis monachorum concionibus plebem suam facere, Regulus autem cohortes in hybernis collocatas accessere diligenter curarunt: ut populari gratia, fuisqve copiis confirmati, qvamcunqve experiri possent fortunam. Hæc qvidem Bertrandum magna affecerunt sollicitudine; qvod animo cerneret, si Joyosani in sententia permanerent, civitatem ad vim atqve ad arma descensuram. Cui rei ut præverteret, eos privatis admonitionibus ab hoc consilio revocare tentavit; initioqve orationis, non solum suum in Joyosanam familiam summum studium, summamqve voluntatem; sed etiam maxima senatus in eos beneficia commemorat. Qvod Proreges ipsi à Senatu appellati essent: qvod rejecta Mommorense familia principatus provinciæ ipsis esset conservatus. Docebat etiam qvæ Senatus consulta, qvoties, qvamqve honorifica in eos facta essent. Qvamobrem precabatur, ne senatus auctoritatem imminuere conarentur, à qvo tantam honoris & gloriæ amplificationem accepissent. Si è senatorio ordine qvidam partibus suspecti essent, non ignorabant de capite Senatoris senatum tantum cognoscere posse: accusationem intentarent,

rent, Senatum eadem æqvitate, qva folebat, jus eis redditurum: exemplum patris, & Scipionis fratris feqverentur, qvi in pari caufa, qvæ per vim & feditionem fortaffe affeqvi potuiffent, per fenatum fuo jure ufurum. Orabat deniqve ut refpicerent, qvam difficile effet, Senatores expellere, qvorum falutem neqve fenatus negligere, neqve civitas, qvod contra publicam libertatem hoc fieret, levi momento æftimare poffet. Sed qvum Joyofani à fententia non dimoverentur, capitolinos Bertrandus ad fe vocat, qvæ Joyofani ftatuerint, exponit, & eos ad publicam libertatem, fenatusqve auctoritatem tuendam magnopere cohortatur. Qvi qvum omnem fuam induftriam fenatui Reiqve publicæ polliciti effent & præfidiis per plateas urbis difpofitis cuncta ad arma decurrerent; Joyofani fratres, incertum rerum eventum timentes, Bertrandum rogant, ut motum omnem in urbe pacaret, qvæcunqve fenatus vellet, fe facturos. Pofteroqve die Cardinalis in curiam venit, ut fenatum abalienatum fibi reconciliaret, multaqve in eam rem dixit, qvibus familiæ Joyofanæ erga fenatum voluntatem teftaretur maximam. Bertrandus autem de loco fuo orationem Principe Senatus dignam, plenamqve gravitatis ex tempore habuit. Cujus inter præcipua capita, præterire nefas hæc duxi. Senatum vivam Regum imaginem: ut illis, fic & ipfi, manus oblongas dari. Cæteras Galliæ poteftates, ut caducas, qvotidie interire: *Senatum vero ut æternum corpus, nec cum ipfa regni machina periturum.* Malè femper cum illis actum, qvi

qvi auctoritatem ejus labefactare conati essent: patrumqve memoria & Proreges ipsos ex vinculis causam dixisse, & adhuc carnificinas sangvine eorum, qvi in senatum qvicqvam hostile tentarent, rubescentes spectari. Cujus orationis magnitudine maximam in senatu, & non parvam apud reliqvos cives virtutis & constantiæ gloriam est consequutus. Cæterum nec oppressa Tornerii conjuratione, nec rebus ita constitutis, plane confirmatam senatus auctoritatem putavit, qvandiu Stephani Durantii Principis senatus mortis vindicta silentio & timore abolita remaneret. Proponendæ itaqve Mercurialis morem jam à qvibusdam annis intermissum, renovavit. Cujus caput præcipuum hoc erat, ut de Durantii nece qvæstio decerneretur. Periculosa & intempestiva videbatur hujus rei agitatio nonnullis, qvi minime pravum, sed qvidem parvum & parum fortem animum ad Remp. conferebant. Alii vero qvasi providi cives hac una re qvietem publicam perturbari, & ab eo bellicum cani dicebant. Nunqvam tamen virtus ejus contremuit, sed constanti egregioqve animo, suam hac de re explicuit sententiam: in qvam S. C. factum est. Qvod tamen frustra sancitum: edicto regio, rerum omnium amnestia decreta, & promulgata. Qvum autem hæc Tolosæ à Bertrando agerentur, *Henricus IV.* Galliarum & Navarræ Rex, Lutetiam Parisiorum *à Comite Brissacio*, & civitatis Curatoribus recipitur. Qvo Tolosæ renunciato, variis agitari cœpit urbs motibus, qvum qvisqve ad sua desideria inclinaret animum.

mum. Qvi enim nomen regium oderant, ſubeunda anteqvam ei pareretur, cuncta pericula clamabant: jam Hiſpanorum auxilia ditionemqve amplexabantur, & extrema qvæqve cogitatione volvebant. Alii vero qvi regiarum partium fautores erant, hoc nuntio qvaſi è ſomno excitati, audacter proferunt, victori & regi parendum: ultima tentanda non eſſe, niſi ad pacem veniamqve præteritorum obtinendam; magnum civitati periculum impendêre, niſi ad Regis clementiam confugerent: habere Pariſienſium exemplum: famæqve eorum conducere, ut qvos ad deficiendum ſeqvuti erant, eosdem ad novamRegi fidem præſtandam imitarentur. Clamabant deniqve non cunctandum: ne ut officio inter ultimos,ita & gratia reponerentur. Periculoſa tamen erat tam ſubitanea illius negotii confectio, qvum maxima pars populi in contrariam traheretur partem. Ideoqve Bertrandus qvi nihil aliud in animo propoſitum habebat, qvam civitatem Toloſanam tot ſeditionum fluctibus partiumqve ventis agitatam,leni concordiæ qvietisqve aura ſpirante, ad regis poteſtatem, tanqvam ad tutiſſimum portum perducere: longiorem ambitum circuitumqve in hujus rei tractatione, qvam ardens animus poſtulare videretur, amplecti coactus eſt. Primum itaqve tentandum duxit Joyoſani Reguli animum, cujus maxima & in provincia, & in urbe auctoritas erat, & fluctuantes in tam ancipiti rerum voluntatumqve conditione cogitationes ejus, ad id unum maximè direxit, ut ipſe ſe à ſenatu non ſejungeret. Rebus igitur

tur hoc modo paulo confirmatis, convocavit ſenatum, qvi freqvens convenit propter expectationem tanti negotii, unaqve cum Regulo Joyoſano decretum eſt, ut legati cum conditionibus ad Regem mitterentur, nomine ſenatus ipſius Reguli, Joyoſani, & civitatis Toloſanæ; in qvibus præter cætera, hoc unum erat caput: ſenatum civitatemqve orare Regem, ut Henrico Joyoſano præfectura Occitanæ provinciæ confirmaretur. Qvum vero *Antonius Chalabrius Villæ longæ Abbas*, Petrus Raoullius, & *Franciſcus Salluſtius* ſenatus advocati, legati cum mandatis ad Regem profecti eſſent, diverſis denuò conqvaſſata eſt urbs motibus. Nonnullis omnes pacis conditiones reſpuendas: aliis vero urbem Regi protinus dedendam, nec ea, qvæ à legatis geſta erant, expectanda cenſentibus. Regulus autem Joyoſanus, qvi nullam ſui rationem hac in deditione ab eis haberi ſatis intelligebat, ſibi ipſi præcavere cœpit, civitates præſidio ſibi confirmare, & voluntates civium ſollicitare. Bertrandus autem qvi ſatis ſuperqve noverat, qvam frangerentur ſenatus opes, Regisqve negotia, ejus disjunctione: in hoc unum maximè incumbebat, ut animum ejus diverſa cogitantem & molientem retineret. Jamqve cura ſua naufragium evaſerat civitas, & propemodum in vado ſalutis res eſſe videbatur, qvum Bertrandus tot vigiliis curisqve fatigatus, dyſenteria laborare cœpit, & octavo morbi die è vita exceſſit Cal. Novembr. 1594. Cujus morte luctuoſa ſuis, & acerba patriæ, civitas in veteres ſeditionum ſcopulos recidit: iiqve caſus

cam

eam feqvuti funt, ut non immerito boni omnes ejus mortem, tanqvam publicæ qvietis interitum, lugerent. Mortuus autem eft anno ætatis fuæ fexagefimo feptimo, fuperftitibus relictis uxore charisfima *Maria à Caftronovo Serviefia*, fœmina primaria, ex nobilioribus Albienfis provinciæ familiis orta, & ex ea fex liberis, qvorum privatis lachrymis, publicus dolor dedit fe comitem.

SCRIPTA

SCRIPTA BERTRANDI.

De Scriptis Joh. Bertrandi nihil extat, qvod ego qvidem ſcio, qvam Βίοι Νομικῶν ſive de Juris-peritis libri duo poſt mortem ejus à filiis editi *Toloſæ 1617. in 4o.* Sed cum iſta editio multis ſcateret mendis, emendatior prodiit *Lugdun. Batavor. ap. Joh. à Gelder. An. 1675. in 8o.* adjectis ad Calcem libri Ægid. Menagii aliorumqve eruditorum Virorum animadverſionibus & notis.

VITA

VITA PETRI PITHOEI J. C. SCRIPTA à *Josia Mercero.*



ITHOEORUM origo è Viromensi pago, qvi situs ad mare, in ea parte Neustriæ, qvam inferiorem Normaniam vulgo vocant, indicio est in antiqvis monumentis recensio nobilium, qvi anno salutis M. CLXXXX. in Hierosolymitanam militiam ultro iere; *(a)* in qvibus *Guilelmus Pithœus* secundus Viromensium adscriptus, addito ejus digmate, qvod idem in Pithæorum Trecensium scutis etiamnum manet Post qvem longo intervallo *Æmilius Pithœus* patria & paternis opibus majori natu fratri relictis, venit in Campaniam, ubi filium *Andream* genuit, è qvo natus *Petrus*, qvi & alterum *Petrum* reliqvit, patrem nostri Pithœi, ad qvem festinans, de patre pauca di-

Z

(a) De hoc Passagio, qvo nomine expeditiones Christianorum Principum contra infideles dicentur, Bœcler. de Passagiis P. I. *vid.* Marinus Sanutus, cognomine Torselus, Venetus, in Secretis fidelium Crucis lib. 3. P. 10. cap. 4. Ursgergens. ad Ann. 1187. Helmoldus Chron. Slavor. libr. 3. cap. 37. ibiqve Bangertus in Notis.

dicam. Natus is in Campaniæ vico, cui nomen *Hervicum*, non longe à Trecenfi oppido, in qvod migravit Petrus, fimul ab armis ad literas, qvibus tum pretium atqve honos regnante Francifco primo. In iis excelluit hic Petrus, doctiffimus totius provinciæ, nec juris tantum municipalis ac forenfis peritiffimus, de qvo refpondere ille qvotidie & urbi & provinciæ, adfcitusqve in confilium primorum, fed civilis etiam juris confultiffimus, & veriorum ejus difceptationum atqve omnis antiqvitatis qvæfitor accuratiffimus, qvod & filiorum relatione, & teftimonio maximi Cujacii fcimus effe verum. Uxores duas duxit, è prima geminos tulit *Joannem & Nicolaum*, qvi annum agentes feptuagefimum tertium etiamnum vivunt, infignes tam longæva ætate, (qvod rarum in geminis, & habitum miraculo, præcipue feptimo menfe natis) fed infigniores fumma pietate, & maxima inter geminos concordia. Ex altera plures liberos tulit, fed illuftres maximè *Petrum* ac *Francifcum*, utrumqve natum bono literarum & pofterorum miraculo, fed de Francifco tantum eft, vivit adhuc & precor vivat. De Petro, qvem fata nuper ad feliciorem vitam traduxere, dicendum latius. Is natus Kal. Novembris, anno M. D. XXXIX. Ingenio à prima ætate acuto femper & prompto, at corpore diu infirmiore, donec adolefcente ætate & procerior fperato evafit, & robuftior. Primas literas in urbe *Tricaffium* (*b*) didicit à folennibus gymnafii Trecen-

(*b*) *Tricaffes qvi & Trecaffes vel Tricafes & Trecafes ali-*

censis doctoribus. Missus inde Lutetiam, ubi florentes tum literas coluit diligentissime, miratus unice doctissimum illum *Turnebum*, cui pares paucos seqvens ætas tulit, illa neminem. Demum revocatus à patre, & statim *Avaricum Biturigum* missus, ut jus civile addisceret, cum mandatis prudentissimi senis, ne glossas aut commentarios doctorum moraretur, sed ipsa Jurisconsultorum atq; Imperatorum verba diligentissime expenderet, è qvibus accuratè perpensis vera lux juri civili, sicuti ex imperitissimorum doctorum dubiis interpretationibus ac vacillantibus responsis, meræ tenebræ. *(c)* Qvæ mandata secutus filius summa fide, se-

aliqvando nuncupantur, Galliæ Lugdunensis fuere Populi; Urbs eorum primaria à Ptolomæo Augustomana, in Tabula Peutingeriana & Itinerario Æthici Augustobona vocatur: qvia nimirum unum idemqve nomen est Augustomana & Augustobona, non secus ac in Æthici Itinerario modo Vindobona, modo Vindomana, qvæ hodie Vienna, nominatur. Manum enim ap. Romanos idem fuisse qvod bonum, ex Varrone, Festo & Nonio Marcello constat. Postea mutilato Gentis & urbis nomine Augustam Trecarum Trecorumqve vel Trecas dixerunt, item Trecense oppidum. Errare autem hic docet incomparabilis Valesius in Notit. Galliar. verb. Tricasses *Pithæum nostrum Tricassinum, cum in* lib. 2. Adversar. c. 1. *Augustobonam & Tricassis distingvit, & ex una duas urbes facit.*

(c) Optimum sane fuit Pithœi Patris consilium, præfer-

felicior patre qvod in ætatem doctiorem incidit. Nam pater Haloandri editione utebatur, qvæ tum opti-

---

sertim cum ex mente Ant. Goveani in epist. ad Jac. Fabrum *Interpretes antiqvi, qvos ut auctores & auctores bonos laudamus, ingenio qvidem illi fœcundo, sed literis parum exculto, nihil admodum aliud, qvam herbas noxias protulerint: qvibus evellendis tres trium Nestorum ætates non sufficerent. In nulla enim illos re æqve occupatos invenias, qvam ut unusqvisqve superiorum commenta, omissa lege ipsa, subvertat, atqve pugnas excitet mirificas.* Æmyl. Ferretus in epist. ad Govean. *Ut proinde verissimum sit JCti excellentiss.* Dn. Taboris, *tria in scriptis Doctorum vetustiorum, methodum scilicet, Latinæ Lingvæ puritatem, & Antiqvitatis ac Historiarum cognitionem desiderantis, judicium in* Præfat. Racemat. Criminal. *Multa Bartolum, Baldum similesqve Doctores sæpe ad textum, aliqvando etiam præter rem, pauca ad rem, vel de re, exqvisita, aut dubia omnia removentia, attulisse. Digna sunt de vitiis Interpretum verba* Antonii Vaccæ JC. in epist. ad Alexandrum Farnesium Rom. Eccles. Vice-Cancellar. *qvæ hic apponantur: Nescio, inqvit, qvo fato factum sit, ut rerum docendi atqve interpretandi rationem paulatim amiserimus: dum vel ambitione atqve ostentatione: vel Germanæ veræqve doctrinæ inopiâ supervacuas qvæstiones inculcant: de rebus impertinentibus & non necessariis, nec suis locis, disputant:*

optima, eamqve ad manuscriptos plerosqve contulerat labore summo. Ætas filii Pandectarum
Z 5 Flo-

tant: auctoritati suorum plus qvam rationi tribuunt: qvæ breviter dici possunt, magno verborum apparatu atqve anfractu agantur: qvod propositum est, atqve ubi interpretatio maxime desideratur, id ne attingitur qvidem: ubi non desideratur, ibi magno conatu intenditur: interpretum commenta magis qvam leges ipsas enarrant. Tum mutuis velut telis sese ac vulneribus conficere student: sacra, prophana, divina, humana docendo commiscentur: nihil distincte ab originis aut simplicitatis suæ cognitione repetitum traditur. Deniqve id unum agi videtur, ut magno labore, magnaqve temporis & pretii librorum jactura, nihil scire doceamur. Qvin eo devenerat, anteqvam à florentioribus Galliæ Academiis hæc docendi ratio mutaretur, ut præ studio Glossæ & antiqvorum Interpretum fide textus plane negligeretur; Ac sua ætate observat Haloand. in Præf. ad Cod. *plerosqve, qvi cum omni copia forensium formularum, commentariorum, singularium, Consiliorum abundarent, Corpus Juris Civilis non habuisse. Vid.* Brœuc in Histor. Jur. Chronol. *Hinc non immerito* Fr Duarenus in Epistola illa eruditiss. ad Andr. Gvillartum, *de ratione docendi discendiqve Juris, scripta, & ab Eqvinario Barone jam laudata; à Wesembecio vero tanti æstimata, ut non modo Jurisprudentiæ rudes, sed etiam doctos non parum illa adeptos arbitretur, & ad discendum do-*

Florentinorum emendatissimi Codicis editionem nacta est, (*d*) & post felicem multorum eruditorum operam, antecessorem audivit maximum *Cujacium*, cui haud scio an pares fuerint antiqvi illi J. C. qvorum vestibula freqventavit Romanorum clientium turba, aut qvorum oracula Imperatorum authoritate munita, post tanta intervalla temporum etiamnum venerantur externi populi. Certe neqve illi acriori judicio jus tractavere, neqve post

docendumqve jus civile melius, & ad Judicium de toto hoc genere rectius faciendum; nulla re vehementius cursum ejus, qvi ad veræ solidæqve eruditionis laudem grassari vellet, tardari atqve impediri existimat, qvam si in scriptis interpretum hæreat: Seqve qvindecim & eò amplius annorum spatio, in evolvendis Interpretum omnium qvamlibet levium ac plebejorum commentariis consumto, qvum illum profectus sui maxime pœniteret, aliis prius tentatis diligenter omnibus viis, in hac una tandem (lectione nimirum ipsa Juris Auctorum methodo ab illo tradita) conqvievisse: nec partum ullum adhuc, qvi eum, tanqvam ex longo errore diu jactatum exciperet, alium reperire potuisse. Sed cum hoc argumentum de Interpretibus Juris eorumqve interpretandi ratione latius pateat, qvam ut annotatis hisce includi qveat, illud peculiari Dissertationi reservabimus.

(*d*) *Qvid in Haloandrina atqve Florentina editione observari mereatur, ad Ant. Augustinum lit. p. & q p. 131. & seqq. annotavimus.*

post eorum ætatem qvisqvam ad hujus viri doctrinam, acumen, judicium accessit. Tantum doctorem nactus Pithœus adhæsit uni, qvem & secutus Avarico Valentiam, & diligentissimo studio adsecutus, ut Cujacius in arctiorem amicitiam ac familiaritatem juvenem adscisceret, & discere doctor à discipulo, ac qvæ didicisset publicis monumentis profiteri non dedignaretur. *(e)* Audivit eum Pithœus usqve ad annum M. D. LX. summa industria jus civile simul tractans & in omnem antiqvitatem inqvirens. Qvod illi studium duravit usqve ad exitum vitæ, vetustissimos optimorum scriptorum Codices, undeqvaqve qvovis pretio comparans, dein anxio ac fideli labore conferens, non ostentationi aut inani ac curiosæ adfectationi, qvod plerisqve usu venit, sed literarum ac reipublicæ amore maximo, cognitoqve non legi non intelligi sine hac diligentia optimos qvosqve scriptorum veterum: neqve ut in iis emendandis conqviesceret, qvod sibi opus hodie adsumunt nimium vani homines, sed ut ex emendatis, rerum ipsa-

 rum

(e) Inde Summam librorum antiqvorum & veritatis puriorisqve doctrinæ investigatorem nominat Pithœum, Cujacius 13. O. 10. *Hoc agente, pergit, hoc perqvirente, instigante, docente, discimus semper & adinvenimus aliqvid. Nec mihi laudis, qvam totam desiderat tanta Pithœi sedulitas, partem ullam attribui volo: Et si qvid est laudis, hoc satis esse reor, qvod omnem in eam conferendam esse cognoscam.*

rum cognitionem penitissimam hauriret, qvam potiorem habuit semper verborum scientia, sicut utramqve in omni vita parvi à se factam judicavit, nisi ad scientiam accederet pietas morum, integritas vitæ, & in excolendis publicis privatis officiis inculpata industria. His artibus munitus à studio ad forum & rempublicam venit, delecta Parisiorum urbe, qvo sedem fortunarum co[illegible] & amplissima curia qvam assidue sectaretur, non insano lucri cupidine, qvi fere aliorum finis, neqve ut solenni tempore decurso gradum sibi faceret ad emendum magistratum, qvod ille detestatus semper: sed ut juris nostri usum in amplissima schola perdisceret, qvo cognito & adesse amicis, & prodesse omnibus consilium expectantibus posset, ac præcipue Reipublicæ, si qvando usus eveniret. Itaqve delatam ad se amici causam egit in sanctissimi ordinis consistorio, atqve obtinuit, sed unicam. *Vidit enim & ex prima causa pervidit vir acutissimus, alia omnia seqvenda esse sibi, si forum tenere vellet, fingendos alios mores, alium sermonem, non verum semper constanti judicio tuendum, sed aut probabile versatili ingenio qværendum, aut falsum solerti colore prætexendum, dicendum sæpe contra qvam sentiret, & injustissima causa tuenda, tamen nisi ad imperitissimorum sæpius litigantium arbitrium, & ad forensis turbæ gustum orationem componeret, deniqve nisi omnia ostentui potius qvam vero pararet, frustra se futurum ac pro laude merita reportaturum indignos imperiti vulgi sibilos.* Itaqve abstinuit deinceps à di-

dicendis cauſis, (*f*) aſſiduus tamen foro, notandisqve qvæ illuſtriora decreta diligentiſſimus, ſimul rogantibus defenſiones ſcribens, & conſulentibus de ſcripto reſpondens, ſed nunqvam niſi accuratiſſime perpenſis, qvæ ſcriberet. Qvod idem in iis qvæ publicè edidit non pauca ſervavit anxie, ut pauci[illegible] de ſuo eaqve certiſſima ſcriberet, neqve unqvam niſi au[illegible]riptis [illegible] auctoritatibus. (*g*) Atqve hoc ſcribendi ſtudium nunqvam ſejunxit à forenſi, certus prodeſſe ſaltem hac parte Reipublicæ. Itaqve plura veterum auctorum, ſive Theologorum, ſive Jurisconſultorum, ſive hiſtoricorum, ſive poetarum etiam ac Philologorum ex ejus bibliotheca videre lucem, qvam ex ulla hujus ſeculi, eaqve ſelecta omnia, & ſummi ejus judicii atqve ingenii, præcipue vero ſummi atqve infucati candoris indicia certiſſima, qvæ recenſere ſingulatim non eſt inſtituti mei. Sed præcipue illuſtris opera ejus in hiſtoria poſteriorum ſeculorum à Juſtiniani & paulo antiqviore ævo ad patrum noſtrorum memoriam, qvæ tenebroſiſſima, & pene ſe-

---

(*f*) *Idem Hottomanno placuit, teſte Doſchio in Vita Hottomanni p. 210.*

(*g*) *Ea tamen ſe apud Pithœum lib. 1. Adverſar. cap. 3. legere ſcribit* Dn. Thomaſius p. m. de Plagio literar. §. 520. *qvæ totidem prope apicibus & apud GilbertumCognatum leguntur, neutro interim alterius mentionem faciente. Uter alterum vel anticipaverit ſcribendo, vel deſcribendo ſit ſecutus, juxta cum ignaris ſcio.*

pulta incuria ſcriptorum, qvum literæ omnes apud monachos imperitos reipublicæ, & hoc fine hiſtoricos, ut natales ac nuptias Regum narrarent. Eorum temporum hiſtoriam, qva ad regnorum ac provinciarum ſtatum, qva ad Eccleſiæ adminiſtrationem, ex optimis qvibusqve & fideliſſimis antiqvitatis monumentis ſec[illegible] ; compara[illegible] ; qvorum partem maximam communicavit etiam omnibus, datis in lucem, qvæ ſelectiſſima de duabus gentibus Regum noſtrorum, (*b*) item Caroli ma-

---

(*b*) *Intelligit Annalium & Hiſtoriæ Francorum ab An. 708. ad An. 990. Scriptores coætaneos, à Pithœo primum in lucem editos, Pariſiis 1588. & Francofurti ap. Wechel. 1594. in 8o. In qva poſteriori editione p. 283. Karoli M. teſtamentum, qvod ad diviſionem Imperii regniqve ejus ſpectat, exhibet; diverſum plane ab eo, qvod apud Eginhardum de Vita Karoli M. cap. 33. legitur. Dubiæ qvidem fidei Partitionem illam regnorum Karoli Imp. eſſe putat Pithœus, meritoqve numerandam inter tot ſingularis otii commenta, quæ ſeqviora nobis ſecula ingeniaqve pepererunt: Ejus tamen diſerte meminit Monachus Engolismenſis in vita Karoli M. p. 268. Auctor Annal. Francor. ad An. DCCCVI. & Adelmus ad eund. an. Ac pro genuino teſtamentum hoc habere videtur Vir non Carolini ævi tantum, ſed univerſæ Hiſtoriæ & Antiqvitatis Germanicæ peritiſſimus, Nobiliſſ.* Dn. Schurzfleiſch Diſſertat. de Diviſion. Karolini Imperii §. 9. & ſeqq. *Conſentit doctiſſ.* Beſſelius in Animadverſion. ad Eginhard. cap. 33.

magni ac successorum legibus, (*i*) qvæqve de Comitum Campanorum serie, sed præcipue restitutis vete-

(*i*) *Capitularia nimirum Karoli M. & Ludovici Pii ab Ansegiso Lobiensi, vel ex conjectura Baluzii in* Præfatione ad Capitular. Regum Francorum n. 40. *Fontanellensi Abbate, primum in qvatuor libros digesta & publicata An. 827. tam Ecclesiasticas qvam Politicas utriusqve Imperatoris leges continentia. Confundit hunc Ansegisum* Ant. Augustinus lib. 2. de emendat. Gratian. cap. 10. *cum ejusdem nominis Abbate, qvi ad Senonensem Archiepiscopatum postea evectus est; sed diversum omnino esse à capitularium Collectore*, Baluzius d. Præf. n. 39. & in not. ad d. Dial. Augustini p. 706. docet. add. Dn. Mastricht in addend. ad p. 211. Histor. Jur. Eccles. Olear. in Abac. Patrol. voc. Ansegisus. *His qvatuor libris tres alios Benedictus Levita adjecit, qvibus prætermissa ab Ansegiso capitularia complectuntur; qvos additiones qvatuor seqvuntur, in qvibus bene multa reperiuntur, qvæ neqve apud Ansegisum extant, neqve apud Benedictum, teste Baluzio d. Præf. n. 48. Sed diversam banc Benedicti Levitæ Collectionem esse ab Ansegisi, neqve unum semper Corpus cum ea constituisse Baluzius monet, indeqꝫ fieri, ut in antiqvissimis exemplaribus Capitularium nulli alii libri reperiantur præter qvatuor priores. Recenset Capitularia inter Collectiones Canonum* Fr. Florens Dissert. de Orig. arte & author. Jur. Can. P. 3. p. m. 32. *Qvia in*

veterum Theologorum ſcriptis, qvæ innumera vel primus vel meliora dedit in vulgus; daturus etiam do-

in illis multa referuntur ex antiqvis Conciliis in Oriente & Occidente habitis: potisſimum vero ex Conciliis Gallicanis, qvibus tunc temporis Germania & Italia univerſa continebatur. Recte enim obſervat Anton. Auguſtin. d. Dial. 10. *fontem Capitularium fuiſſe ipſa Concilia atqve Conventus, in qvibus Imperator cum Epiſcopis & aliis Conſiliariis de rebus tam Eccleſiaſticis qvam profanis agebat. Vid.* Baluz. in not. ad c. Dial. p. 708. & in d. Præf. n. 9. *Primum qvi Capitularium ſeu Conſtitutionum Karoli M. auctoritatem poſt longam oblivionem protulerit,* Beat. Rhenanum *memorat Baluzius in d. Præf. n. 38. qvi plurima An. 1531. ex Codice Legum Francicorum deſcripſerit in libro ſecundo rer. Germanicar. Deinde An. 1545.* Vitus Amerpachius, *rei antiqvariæ bonarumqve literarum ſtudioſiſſimus librum Conſtitutionum Karoli M. emiſit in lucem Ingolſtadii per* Alexandr. Veiſſenhornum *typograph. Triennio poſt Meldenſis Epiſcopus* Joh. Tilius *libros Capitularium ab Anſegiſo & Benedicto collectos edere aggreſſus eſt, praloqve commiſit* Parif. 1548. *Qva qvidem editio qvamvis abſoluta perfectaqve non ſit, ea tamen Criticos Gregorianos & Ant. Auguſtinum uſos fuiſſe conſtat. Secuta illam eſt Baſileenſis Capitularium editio, qva à* Baſilio Joh. Heroldo *ex Bibliotheca Fuldenſis exemplaribus deſcripta cum aliis antiqvis legibus Nationum,*

doctissimum atq; utilissimum opus, diligentissimam Synodorum omnium editionem, qvam summo studio,

---

num, qvæ Francorum Imperio parebant, An. 1557. prodiit, ac Ansegisi Collectionem simul complectitur, nisi qvod qvartus ibi liber maxima sui parte mutilus sit & imperfectus. Novam & ampliorem Capitularium editionem Pithœus noster An. 1588. *procuravit, Tilii exemplum judiciumqve secutus, uti ipse in Præfat. testatur; qvi non ex Benedicti modo, sed ex Ansegisi ipsius Collectione eadem non semel sustulerat, similibus tantum qvibusdam relictis, numeris etiam Capitulorum conseqventer mutatis. Qvam tamen interpolationem, cum veterum lucubrationes ita arbitrii nostri non esse putet, ut supplere nobis liceat eorum lapsus aut hiatus, indigne admodum fert doctiss.* Baluzius & in Præfat. Capitulor. n. 53. & seqq. *adnotat, qvid à Tilio & Pithœo præstitum in ea editione, & qvid culpandum sit: pariterqve n. 63. & seqq. reprehendit Franc. Pithœum, qvi An. 1603. ex Tilii & fratris editione descriptam suam, per speciem emendationis denuo interpolaverat & corruperat. Karoli Calvi Capitula Collectionibus Ansegisi & Benedicti, judicio Florentis, longe integriora, vir admirandæ eruditionis* Jac. Sirmondus *congessit &* Parisiis 1633. *edidit. Inter qvæ & Pithœana capitula hoc interesse scribit in Præfat. Qvod in his nudæ Regii ac meræ sint leges; nullo fere ordine digestæ, nullaqve temporum vel locorum nota distinctæ; In suis vero Synodi & conventus*

dio, impensa, labore collegerat, ni prævenissent acerba fata. Qvæ ego una serie præcerpere volui,

ventus ipsi regales, in qvibus constituta fuerunt capitula, exhibeantur, & qvo qvisqve anno ac loco, qvas ad res, & per qvos coacti celebratiqve sint, expressum sit. Tandem Galliæ illud ornamentum Stephanus Baluzius *Capitularium editionem omnium integerrimam & emendatissimam adornavit & publicæ luci dedit* Paris. 1677. ap. Fr. Muguet duob. Tom. *In qva non tantum Collectiones Abbatis Ansegisi & Benedicti Levitæ ac additiones qvatuor ex collatione optimorum & novendecim Codicum manuscriptorum emendatiores reddit, ac tales repræsentat, qvales ab auctoribus earum compositæ fuerunt, & secundum numeros à Ludovico Pio, Carolo Calvo, Hincmaro, Isaaco, Reginone, Concilio Troslejano, Fulberto & Ivone adnotatos, ut reperiri qveant capitula à vetustis illis auctoribus ex capitularium libris recitata: Sed & reliqva Francorum Regum capitularia, qvæ extra illos septem libros & additiones vagantur & per qvadringentos annos de Jure Civili & Ecclesiastico ab ipsis ferme Francici Regni primordiis usqve ad Kar. III. tempora promulgata & tam edita qvam inedita hactenus fuere, vetustissimorum Codicum ope emendatiora exhibet; ac præterea in margine indicat fontes capitularium, veluti sunt Concilia, Decreta Patrum, Leges populorum, ipsaqve capitularia, adnotatis etiam locis, qvæ ex capitularibus à vetustis Scri-*

lui, ut semel dictis, qvæ ad studia & literas pertinent, de ceteris ejus actionibus dicam liberius. Vixit

---

Scriptoribus referuntur. Hisce addidit Formulas Marculfi cum Appendice incerti auctoris, nec non Sirmondicas, Bignonianas & à Lindenbrogio editas, ac novam formularum Collectionem cum Promotionum Episcopalium, Exorcismorum & excommunicationum formulis, variis ex locis collectis. Post Fr. Pithœi *Glossarium obscuriorum verborum in Lege Salica & Glossarium ad Capitularium libros, adjunxit, additis* Sirmondi *ad Capitularia, &* Bignonii *ad Legem Salicam & Marculfi formulas notis. Deniq; totum hoc opus suis illustravit notis Baluzius, relatis ex editionibus & manuscriptis optimis & antiqvis, variis lectionibus, qvæ alicujus momenti esse videbantur; explicatis insuper iis locis, qvæ difficultatis aliqvid habebant. Postremo adjecit appendicem Actorum veterum: Opuscula nempe aliqvot de rebus ad Ecclesiasticas ceremonias pertinentibus, qvædam Capitula de Institutionibus Monasticis, Præcepta Regum, Episcoporum Decreta & epistolas, Placita Comitum & Scabinorum, Missorum Dominicorum, Vassorum Regalium & alia multa istius generis. Qvæ omnia prolixius ipse Baluzius in laudata Præfatione perseqvitur, simulqve qvæ circa originem, auctoritatem, usum variasqve Capitularium editiones, eorumqve Codices manuscriptos moneri poterant, doctissime explicat. Conf.* Mastricht in Histor. Jur. Eccles. n. 193. usqve ad n. 219.

xit ergo ab anno M. D. LX. Lutetiæ usqve ad civilium bellorum primas faces, qvorum importunitatem fugiens, secessit ad literarum otium, gravissimis interea periculis obnoxius, ut sæpe inter metum imminentis mortis, solamen tamen è libris peteret, & in maximis discriminibus scriberet optima qvæqve & doctissima. Qvibus tandem post longos furores sedatis, rediit ad forum post annum M. D. LXXII. & monentibus amicis cogitandum de sobole, duxit ex honestissima familia *Catharinam Paludellam* conjugem, cum qva deinceps vixit inoffensa concordia: mansitqve inde in foro, adscitus in consilium à maximis qvibusqve & sapientissimis, delectusqve à multis etiam ignotis controversiarum suarum arbiter. Qvo in utroqve vir magnus excelluit, ut scires natum discernendo verum à falso, & agnosceres in privata toga perpetuum magistratum. Nec privatis solùm controversiis electus arbiter, sed etiam publicis, adscitus in consilium toto vitæ tempore de rebus majoribus, qvia vera virtute tantum autoritatis qvæsiverat apud maximos qvosqve & probissimos tam in Senatu qvam in aula, ut nec de republica ante sententiam suam dicerent, qvam Pithœum ejus auctorem habuissent. Itaqve vicit luce sua tenebras infelicissimi seculi, qvo *nullus honos nisi emptus pecunia*, vocatusqve ultro & coactus etiam ad suscipiendos honores: primo adscitus inter substitutos Regiorum cognitorum, qvo in honore ita placuit & magistratibus & privatis omnibus, ut invitus retineretur ultro in eo munere, etiam postqvam id

ut

ut cetera addictum pretio: & paulo post qværenti Regi Henrico III. qvi cognitoris sui vicem delegatæ in Aqvitaniam Cameræ adesset, commendatus ab omnibus bonis Pithœus, lectusqve statim, habuerit ubi summæ doctrinæ, ingenii, prudentiæ, probitatis, fidei, documentum in oculis omnium daret. Indicavit virum sapientissimum magistratus amplissimus & Aqvitaniæ provinciæ, & universæ Galliæ, qvo deposito, repetiit adsveta fori ac literarum munia, donec fatale miserrimæ Franciæ malum, conjuratio sacrum nomen mentita, faces subdidit nondum restituto ex pristinis ruinis regno, prodiditqve oculis nostris omnium, qvotqvot unqvam legimus, audivimus facinorum, exempla tristissima. Ludibrio habita nominis divini majestas, sacramentorum sanctitudo, Principum jurata fœdera: summa illa & sanctissime culta Regia auctoritas lacerata plebis infimæ sordidis contumeliis, Ecclesiasticorum vesanis decretis, nobilium insanis armis, magistratuum ipsorum furiosis edictis ac sententiis, sævitum passim in omnis ordinis sexus, dignitatis homines, & tandem summissum atrox, ferrum in ipsum Principem. Deprehenderunt hi fluctus Pithœum intra Parisiorum muros, qvorum ille furorem immanissimum detestatus, mansit tamen in urbe cum uxore ac liberis, & (qvæ post carissima pignora proximum locum adfectus tenuit.) bibliotheca; non ut probaret præsentia sua nefandam furentis populi rebellionem profusam in scelera omnia, sed ut magistratuum esse judicabat abire ab urbe, qvam retinere

in officio non possent, nec auctores fieri scelerum, qvæ aut inhibere aut punire debebant, ita ratus licere privatis manere apud patrios focos, maxime qvibus ætas grandior, familia infirmior: sed præcipuè sibi, qvem sentiebat nulla vi cogendum ad scelus, & cum spe fore ut ope consilio suo adjuvaret in tempore labentem miseram civitatem, qvum præsentium malorum tædium, metus ex imminentibus, & summus consultor tempus sanctis monitis locum daret. Mansit ergo in urbe, tum demum longi illius temporis fructum maximum capiens, qvo in privata toga carus omnibus & ab omnibus suspectus vixerat. Vidit enim plerosqve magistratuum aut furori sceleratæ plebis obnoxios, si in officio esse vellent, aut coactos ad scelus metu præsentis mali, securus ipse interea, qvia nullum locum tenebat in Republica, & conscientia vitæ ac sanctitudinis inter furentes tutus, solatia vera è libris sumens, qvos maximo in otio diligentius tum conqvisivit, perlegit, exscripsit: & interea majori illi curæ semper intentus, ut omnes miserrimæ plebis motus studiose observaret, qvam facilem mutari norat, & ad officium pœnitentia reduci unicè expetebat. Itaqve post dirum illud àc funestum miseræ civitatis qvinqvennium, urgentibus jam fatis, & conspirante omnium bonorum consilio, maxima vero Pithœi opera pervicere partes meliores, vocatusqve in urbem Princeps & ignovit præteritis, & paucissimorum capitum fortuito exitio, qvorundam sceleratiorum voluntario exilio firmata qviete, restituit omnia jura pœnitenti civitati.

tati. Aberant tum ab urbe Senatus Parisiensis potissimi, & qvi restiterant novo auctoramento confirmari debebant: qvod nec absentibus Regiis cognitoribus fieri poterat, & causa erat, cur abstinerent tum ab ea cura, qvi paulo ante functi hoc magistratu. Potius visum ut deligerentur tantisper huic muneri, ex iis qvi in urbe manserant præcipui fide in principem, integritate vitæ ac rerum usu & peritia. Itaqve itum ad Pithœum veteremqve ejus amicum & studiorum omnium communione conjunctissimum *Antonium Oiselum*, qvorum hæc utriusqve laus, qvod tam facile tantæ turbæ consiluerunt: sed hæc Pithœi propria, qvod constantissimo judicio pervidit qvam periculosum esset nominibus multis, in absentium Senatorum reditum differri restitutionem senatus, & juris dicendi solennia. Qvi ubi rediere, rediit ad pristinam vitam privatus, si infulas qværeres; revera semper de salute publica anxius. Itaqve originem & causam malorum tantorum qværens, & ex religionis discidio verissime eam ac summo judicio arcessens, collegit sedulo, qvæ huic malo remedia ex antiqvis & authenticis monumentis, eaqve publicavit, qvæ utinam advertissent qveis tum cura fluctuantis nostræ ratis. Secuta sunt tempora bonis omnibus tristissima, Pithæo vero inter cæteros vel maxime, qvem publicis luctibus adflictum tempori tulere fata, si ipsum spectes, cujus oculis subtracta tot malorum dira spectacula: Nam ille grassante in urbe Parisiensi letali morbo, qvamvis constituisset non abire, victus tamen precibus suorum, se-

secessi in Campaniam: ubi qve Trecensem urbem antiqvam patriam primo, mox a Innes, & prædia sua visitavit. Urgebant ad mortem fata, qvamvis & corpore robustum, & satis firma valetudine, ut accedere ad annum qvinqvagesimum septimum ætatis vix crederes. Præsensit ante, solitusqve in tota illa peregrinatione edicere amicis, venisse ut in patria finiret vitam, itaqve evenit: nam attentatus tertiana in prædio suo, ut valetudini consuleret, deportari voluit in oppidum *Novigentium*, ubi ingravescente morbo, idem ille divinus nescio qvis instinctus, qvo monente, vitæ finem instare anteqvam decumberet præsenserat, tum vero diem ipsum mortis ægroto suggessit, Kalendarum scilicet Novembrium diem, qvem & natalem ei fuisse antea diximus: qvod commune illi cum maximis veterum Platone, Attalo, Mario, Pompejo, Gregorio Magno notavit amicorum curiosa sedulitas. Testamentum scribere adortus, viribus deficientibus perscribere non potuit, monuitqve aliud ante scriptum sibi, cui stari vellet. Altera cura bibliothecæ fuit, qvam ne dissiparetur, qvia filias tantum relinqvebat, alienari vetuit, nisi integram. Postrema humanarum curarum de Republica fuit, desiit enim in qvestus lacerati misere regni, & pessime habiti à ministris indignis optimo Principe. Dissipata obitus fama, luxit urbs Tricassina, publici funeris honoribus optimi civis memoriam prosecuta; luxit provincia universa, luxêre Parisiis ordines omnes, & qvicqvid ubiq; Doctorum. Deniqve nullus non luxit, cui vel facie notus fuerat vivus

vus vel nomine. Implevit annum qvinqvagesimum septimum, qvem nec pater excesserat. Ex uxore filios qvatuor habuit, acerbo fato raptos omnes, qvorum casus moderatius tulit qvam credi promptum, præcipue qvi & suos, & cognatos & amicos omnes tanto adfectu diligeret. Filias reliqvit superstites duas, *Ludovicam & Mariam:* & qvod in parte maxima felicitatis posuit, optimam Conjugem. Res privata domi satis ampla partim à patre relicta, partim prudentia maxima conservata, potius qvam avarè aucta. Et in hoc felix, qvod in ea constituenda corruptissimi seculi morem detestatus, partem pecuniarum in usuris collocantis, *fortunas omnes in prædiis urbanis ac rusticis habuit, è qvibus reditus si minor, at certe innocentior, &, qvod scio compertum, longe certior.* De vita atqve actionibus viri maximi dixisse hæc sufficiet. Laudes ejus texendas qvi instituet, virtutes omnes singillatim recenseat; sed ea omnia melius habebit ex ipsius scripto postuma ætas, qvod ante annos octo qvam moreretur scripserat candidissime ac verissime: notus optime ipse sibi ipsi, & nosci aliis non timens. Qvod ille verum de se testimonium testamenti vicem reliqvit suis, mansurum posteris exemplar vitæ integerrimæ, sanctissimæ, prudentissimæ, qvam seqvantur qvibus cura honesti & recti, pauci adseqvantur.

In nomine Domini, Amen.

Moribus valde corruptis ac pravis, seculo infelicissimo, qvantum in me fuit, fidem servavi.

Amicos ex animo amavi & colui. Inimicos benefactis vincere, aut contemnere, qvam ulcisci malui.

Conjugem ut me ipsum habui. Liberis parum indulsi. Famulis ut hominibus usus sum.

Vitia sic odi, etiam in meis, ut virtutes in externis vel hostibus veneratus sim.

Privatæ rei servandæ potius qvàm augendæ operam dedi.

Qvod mihi fieri nolui, alteri vix unqvam feci, aut fieri passus sum.

Injustam aut difficilem gratiam ut venalem sprevi.

Sordes & avaritiam in omnibus, præcipuè verò in religionis ac Justitiæ sacerdotibus & ministris execratus sum.

Puer, juvenis, vir, senectuti multum detuli.

Patriam unicè dilexi.

Opus potius qvam honores, aut magistratum amavi: ac prodesse qvam præesse malui.

Privatus ultro publico studui: Ei nihil prætuli, atq; in commune consulere, potius tutiusqve semper existimavi.

Statum publicum laborantem prudenter sanari, emendariqve optavi: perverti, immutari, novari, aut perturbari penitus nunqvam cupivi.

Pacem vel injustam, qvod bona omnium bonorum venia dixerim, civilibus discordiis belloqve potiorem putavi.

Pietatis & religionis Sacrosancta nomina, ambitioni atqve avaritiæ, sceleribusqve prætexi & obtendi graviùs tuli.

Me-

Melioris antiqvitatis non indiligens qvæsitor, admirator, & cultor, novitates facile insuper habui.

Qvæstiones vanas disputationesqve subtiliores de iis, qvæ ad Deum pertinent, ut noxias odi ac fugi.

Simplicitatem prudentia aliqva conditam & septam, astutia & calliditate tutiorem feliciioremqve sæpius expertus sum.

Rectè de rebus judicandi studium eloqventiæ artibus prætuli.

Procul ambitu atqve avaritia, invidiaqve inter amicos plures ac bonos potentesqve, fortuna non plane infima, sollicitus aliqvanto vixi, qvam privatum fortassis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis qvam de propriis cogitans.

Nullum duxi gratiorem diem, qvàm qvo publico, aut amicis adesse aut prodesse datum est.

Mala præsentia qvam metum impendentium fortius tuli: Extremaqve facilius qvam dubia.

Recta, sincera, æqvabili atqve constanti inter omnes justitiæ administratione, etiam sceleratissimis atqve audacissimis os occludi, manus obligavi, vidi, expertus sum.

De patrimonio ac bonis meis, qvantulacunqve illa post mortem meam erunt, legibus potius qvam mihi judicium permisi, permittoqve.

Unum opto & spero, ut qvem in me animum carissimæ ac probissimæ conjugis integrum vivus expertus sum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandisqve gerat.

Sit hæc apud posteros testatio mentis meæ, qvam ab illis sic candide accipi velim, ut simpliciter & ingenue ex animi mei sententia à me prolata est. Veni

Veni Domine & miserere.

Petrus Pithœus scripsit Kal. Novembris, Natali qvondam meo, die, Lutetiæ Paris. anno Christi

D. N. cIɔ. Iɔ. LXXXVII.

Pro titulo Tumulo inscribi cupio.

PETRI. PITHOEI. P. F. JC. BENE. DE. SUA. BENE. DE. POSTERA. ÆTATE. MERITI. CORPUS. MAJORUM. SEPULCRO. CONDITUM. RESURRECTIONEM. ET. IMMORTALITATEM. HIC. EXPECTAT.

R. I. P.

DEPOSITUM EST.

KATHARINA. PALLUDELLA. CONJUX. AMANTISS. CONJUGI. AMANTISS. ET. LODOICA. AC. MARIA. FILIÆ. KARISS. PATRI. OBSERVANTISS.

Pithœus hic jaceo, mecum & Karissima conjux,
Sic compar vita, compare morte fruor.
Improbe qvid rides? casti sacra nescis amoris:
Nil non, vel cineres, hac comite, esse juvat.

Ex alia parte.

Sint inscripta licet titulo duo nomina, duplex
Utqve oculis teneat corpora sarcophagus:
Unum & idem, ac totum tamen est: nam mutua præstant,
Dimidiumqve alii, dimidiumqve sibi.

PETRO.

PETRO. PITHOEO. P. F. TRICASS. SAVODIÆ. DOMINO. NOBILITATE. ACTIBUSQVE. AD. EXEMPLUM. PRÆCIPUO. ADVOCATO. JURISC. UNDECUMQ. DOCTISS. EA. ÆQVITATE. ARBITRO. UT. INTER. OMNES. QVI. AD. EUM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE. MAGIS. HIS. QVAM. JUDICEM. PRÆBUERIT. PETITU BONORUM. TESTIMONIO. SENATUS. JUDICIO. REGUM. PER. PROVINCIAM. AQVITANIC. ET. ITERUM. LUTETIÆ. PARISIOR. DIFFICILLIMIS. TEMPORIBUS. PERFUNCTO. PROCURATORIS. GENERALIS. OFFICIO. LICET. EGREGIA. EJUS. IN. REM. PUBLICAM. MERITA. ET. IPSIUS. SCRIPTA. VETERUMVE. AUCTORUM. MONUMENTA. AB. ILLO. IN. LUCEM. PRIMUM. DATA. AUT. RESTITUTA. ATQVE. DOCTORUM. OMNIUM. PERVULGATA. DE. EODEM TESTIMONIA. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. SUFFICIANT. ATTAMEN. FIDELISSIMÆ. DEVOTIONIS. GRATIA. ET.
PRO. SINGULARI. CIRCA. EUM.
AMORE.
FRATRI. PIISSIMO. ATQVE. INCOMPARABILI. FRANCISCUS. PITHOEUS. BONA.
PIAQ. MENTE.
M. P.
VIXIT. ANNOS. LVII. OBIIT.
NATALI. SUO. MAGNORUM. VIRORUM.
FATO. KAL. NOVEMB. CIↃ. IↃ. XCVI.
R. P. I.

GRadum, Viator, siste pauca dum legis.
PETRUS PITHOEUS hic qviescit : hoc satis
Ad indicandam dignitatem marmoris :
Nam qvantus ille vir fuit qvi nesciet,
Lucere solem nesciet meridie :
Et qvæ referri de viro fas est bono,
Ea de PITHOEO, literarum lumine,
Fas est referri serio, & verissime :
Nec cuncta, postqvam dicta erunt, erunt satis.
At Tu, Viator, si placere Manibus,
Ab eiqve magnam vis inire gratiam :
Laudato parce, vel brevi silentio
Cineri precare terram, & ossibus levem :
Non plura poscit : qvi fuit vivo pudor
Durat sepulto. Laude contenta est sua,
Everulasqve virtus nil moratur præficas.
Est monte felix civis, & vir optimus,
Patria cadente qvi satur vitæ cadit.

N. Rap. P.

HIc PITHOEE jaces, qvondam memorabile nomen
Parisioq; foro, Pierioq; choro,
Ossa licet teneant, qvi te genuere, Tricasses,
Longa tibi in libris vita futura tuis.

In diem Ejus obitus, scilicet Kal. Novembr. qvi dies ejusdem Natalis fuerat.

Sperare miseris qvid licet mortalibus?
Huic qvi sub isto conqviescit marmore,
Bis qvinqve lustris addito septennio,
Emortualis ipse Natalis fuit:
Idemqve ademit, qvi dedit lucem, dies.

Jo. Passoratius mœrens amico
& Populari suo B. M. P.

SEptem olim tibi qvinqviesqve denas
Natales genio tuo Pithœe
Fausto sidere singulas peractas
Kalendas numeravimus Novembres
Atqve unas numerare præter istas
Nobis (si licet esse tam beatis)
Licebat prope, sed beatitatem
Istam nunc animæ beatiores
Transtulere: tuus fuit tuorum hic
Natalis simul ultimus dierum,
Natalem reparans tibi perennem.

Nicol. Rigalt. P.
R. J. P.

Ex Libro CXVII. Hist. V. C. *Jac. Aug. Thuani.*

AMICO (FLORENTE CHRISTIANO) arcta mecum necessitudine conjuncto, qvi inscripta mihi ipsius qvædam ad æternitatem victura monumenta testantur, alterum uberibus lacrimis deflendum cogor adjungere Petrum Pithœum Augustobonæ Tricassium natum, familia nobili ex inferiore Neustria oriundum, virum nostra ætate maximum, sive probitatem morum & veram nec fucatam pietatem, sive ingenium excellens, exactamqve & omnium rerum, qvas perspectas habuit, habuit autem plus qvam alius qvisqvam multis retro seculis, reconditam cognitionem, & tum in suis, tum in alienis cernendis acre & ab omni livore purum judicium spectes. Cum enim sic vitam instituisset, ut commoda publica, ubiqve propriis negotiis præverteret, toto laudatissimæ ejus vitæ decurso spatio, in literarum studiis sic versatus est, ut assidue exqvirendo & scrutando Bibliothecas antiqvorum scripta vel à mendis vel ab interitu vindicaret, vel alios, qvos in ea re aliqvid posse judicabat, exhortando, impellendo atqve juvando nullo tempore non aliqvid moveret ac promoveret sub ipsum vitæ exitum B. Hilarii fragmentis Historicis & Phædri famosi illius sub Tiberio liberti fabulis publicatis. Et ut alia in illum merito à Nicolao Fabro individuo vitæ & studiorum Pithœi comite cumulata Elogia non sileam, nemo melius unum qvempiam auctorem novit, qvam ipse omnes

omnes antiqvos utriusqve lingvæ scriptores, qvos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria & concoxerat. Nemo privata & domestica negotia exactius tenuit, qvam ipse Gallicam externamqve Historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, fœdera, conventiones vel exterorum inter se, vel nobiscum gesta, leges, mores, consvetudines provinciarum singularumqve urbium: qvarum omnium rerum à teneris annis indefesso labore sibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiqvis, archivis Regiis, Senatus, Rationalium, Urbium, Monasteriorum comparaverat, instrumentorumqve ipsorum atqve actorum bonam partem propria manu descripserat. In jure autem Civili Romanorum ad illud fastigium pervenerat, ut de eo, celeberrimoqve ejus Præceptore Jacobo Cujacio dici jure potuerit, hunc discipulo præcepisse ne primus Jurisconsultus esset, illum Præceptori, ne solus. Verum hæc omnia, qvæ in qvovis homine singula magnum virum & cum cura dicendum efficiant, in Pithœo coacervata eundem ad summum laudis culmen evehebant, qvantula portio sunt illius sapientiæ qvam ingenii judiciiqve felicitate ex rerum cognitione, assidua lectione atqve usu comparata, velut ex antiqvorum omnium inventis, qvi sapientiæ commendatione floruerunt, conflatam sibi qvæsiverat? Qvantum à civili prudentia absunt, qva præditus ille non solum de privatis rebus & fori maxima cum facilitate & æqvitate respondere ac sta-

ſtatuere, ſed etiam de iis, qvæ ad ſummam Rempublicam ſpectant, ſapienter deliberare, conſiliorum exitus proſpicere, dubiis ac periculoſis eventis proinde occurrere noverat? nam qvamvis ab omni ambitione vitæqve fulgore, niſi qvem victus emitteret, alieniſſimus vixerit, & honores ac Magiſtratus vel ultro delatos ſemper reſpuerit; tamen patriæ juvandæ deſiderio, qvo ultra modum flagrabat, eos, qvos ſua ſors clavo admoverat, aſſidue excitabat, aut commonefaciebat, ſuggerebatqve qvæ vel ab antiqvis patribus in negotiis probata fuerant, vel ipſe, ut erat peracri ac ſolidiſſimo judicio, facienda exiſtimabat. Nec illi temere qvidqvam magni momenti aggrediebantur, de qvo non ante Pithœum conſuluiſſent, ita ut privatus publicum negotium & abſqve chlamyde ac prætextâ perpetuum Magiſtratum geſſiſſe videatur, innocentia atqve indeflexo per omnes vitæ partes probitatis tenore id præterea conſecutus, ut non ſolum togatorum doctiſſimus ſed & prudentiſſimus Jurisconſultus, civis optimus, ac plane vir bonus audiret. Præter innumera veterum ſcripta è tenebris, dum inter nos degeret, primum eruta, aut meliora publico data, moriens reliqvit Conciliorum Gallicorum diligenter conqviſitorum ac digeſtorum collectionem Franciſci Fratris viri doctiſſimi, fidei, ut ederet, commiſſam. Qvod ut faciat, aſſiduis precibus cottidie efflagitatur, & vero facturum eum propediem ſperamus. Vixit annos LVII. ad æternam beatitudinem evolavit Novigenti ad Seqvanam, qvo ſe graſſante Auguſtobonæ

bonæ Tricaſſium per illum autumnum populari morbo contulerat, Kal. IXbribus natali ſuo. Qvo eodem die parens meus ante XIIII. annos obiit, qvem Pithœus & vivum coluit, & mortuum in me porro colere non deſiit, ita ut incomparabilis amici morte, qvi cum partiri curas, & non ſolum de ſtudiis, ſed etiam de rep. conſilia communicare conſveveram, cœptæ hiſtoriæ penſum protinus è manibus excuſſerim abjeciſſemqve prorſus, niſi tanti viri & de me & patria tam bene meriti memoriæ hoc debere exiſtimaſſem, ut qvod illo autore inchoaveram ad publicam utilitatem, cui noſtram in ea parte induſtriam prodeſſe olim poſſe judicabat, qvamvis tanto adjutore deſtitutus, aliis undecunqve, qvæ ab illo ſolo ab initio ſperaveram, conqviſitis ſubſidiis ad exitum tandem perducerem.

Ex L. IV. Elogiorum
Scævolæ Sammarthani.

IN urbe Tricaſſium nati ſunt Patre Nobili & erudito Pithœi duo fratres omnibus diſciplinis ornatiſſimi, nec immerito geminis Tyndaridis à compluribus hujus ævi ſcriptoribus adæqvati. Qvod enim illi ſuo ſidere nautis in mari ſulcando, id iſti literarum ſtudioſis in antiqvitate perveſtiganda divino doctrinæ ſuæ lumine præclariſſimè præſtitere. Nec id ipſum porro præſtare deſinit Franciſcus natu minor, qvem hodieqve videmus inter inſignes Pariſienſis fori Jurisconſultos merita multiplicis eruditionis fama celeberrimè perfruentem.

Te

Te vero, Petre doctiſſime, qvem iniqva nobis neqvedum ſatis matura mors eripuit, lugemus omnes Muſarum amantes viri: & eo lugemus acerbius, qvo pauciores tui ſimiles relinqveris in hæc ultima rei literariæ tempora reſervatos. Qvantum vero in his ſtudiis emineres unus & excelleres, docuere ſuis certatim elogiis, cum alii fere omnes hujus ætatis eruditi, tum illa potiſſimum duo Galliæ noſtræ ſidera Turnebus & Cujacius Præceptores qvondam tui: qvorum cum uterqve ſuis in libris freqventem & honorificam de te mentionem fecerit, hic inſuper te juvenem ſenex, diſcipulum Magiſter, in dirimendis cum æmulo controverſiis arbitrum ſibi optare minime dubitavit. Qvanqvam aliena tibi commendatione qvid opus eſt, cum & tuis ipſe ſcriptis, qvibus Hiſtorici, Critici, Jurisconſulti, Philoſophi laudem es meritus, & plurimis veterum monumentis, qvæ ſuppreſſa in tenebris latebant, per te primum excitatis ac publicatis nomen abunde illuſtraveris tuum, & memoriæ mandaveris hominum ſempiternæ? Sed neqve tibi dum hic ageres dulciſſimus ille defuit, qvi vivos & ſentientes magis afficit præſentis gloriæ fructus, dum incredibili clientium concurſu divina Themidis oracula qvotidie depromis, ea doctrinæ pariter & ſanctitatis admiratione, ut Henricus III. miſſis in Aqvitaniam aliqvot Patribus qvi jus dicerent, his te ſimul & Oiſelum tuum doctiſſimum qvoqve virum legationis Comites addiderit, qvi ſua & Reip. graviſſima negotia ſuſciperetis in illo ſenatu pro ſingulari veſtra diligentia & fide, procu-

curanda. Qvid loqvar de incomparabili morum ſvavitate, facilitate, candore, modeſtia & indefeſſo illo, qvo mortales omnes anteibas, de bonis omnibus bene merendi ſtudio? Itaqve dum tui memoriam boni omnes viciſſim colunt, aliiqve lugubribus tibi parentant næniis, alii vitam tuam & honeſtiſſimas actiones pedeſtri facundia deſcribunt, accipe has etiam inferias & ſuprema veteris amici munera, qvæ & nos tibi offerimus, ne ſoli tanto è numero ſimus in eum ingrati, qvo nemo vixit omnibus gratior, nemo in omnes benignior. Fato functus eſt Petrus Pithœus Nongenti ad Seqvanam ex Febre, ſeptem & qvinqvaginta natus annos Kalend. Novembr. die ſuo Natali, biennio poſtqvam ejus magna ex parte conſilio & opera deluſis Ibericæ factionis artibus Lutetia regni caput in legitimi Regis poteſtatem pervenit.

SCRIPTA P. PITHOEI.

Opera P. Pithœi Sacra, Juridica, Hiſtorica Miſcellanea, collecta per Car. Labbæum, Jac. Aug. Thuano conſecrata, & edita ſunt *Pariſiis ex Officina Nivelliana ap. Seb. Cramoiſy. M. DC.IX. in 4o.*

In qvibus continentur.

De Latinis SS. Bibliorum Interpretibus P. P. Sententia ad Nic. Fabrum *1590. & Londini 1660. in 8o.*

Nicephori CP. Patriarchæ Canon Scripturarum ex V. C. Carpenſi cum Anaſtaſii S. R. E. Bibliothecarii Latina Interpretatione.

Hiſtoria Controverſiæ veteris de Proceſſione Spiritus Sancti.

Comes Theologus ſive Spicilegium ex ſacra meſſe. *Pariſ. 1608. in 12o.*

Moſaicarum & Romanarum Legum collatio, ex integris Papiniani, Pauli, Ulpiani, Gaji, Modeſtini, aliorumqve Veterum Juris auctorum libris ante tempora Juſtiniani deſumta. Imp. Juſtiniani Novellæ Conſtitutiones III. Juliani Antecesſoris CP. Dictatum de Conſiliariis. Ejusdem Collectio de Contutoribus. Ex Bibliotheca P. Pithœi JC. cujus etiam Notæ emendatiores adjectæ ſunt cum Præf. ad Chriſtoph. Thuanum Celium An. 1572. *Pariſ. 1573. & 1580. ap. Stephan. in 8o. Heidelb. 1656. in 8o.*

Imp. Theodoſii, Valentiniani, Majoriani, Anthemii Novellæ Conſtitutiones XLII. ad Jac. Cujacium *1571. Pariſ. ap. Stephanum 1571. in 4o.*

Con-

Consultatio de Confiscatione Bonorum ex causa Perduellionis. Cui subjunctum est Flor. Rotæ de eadem causa consilium & Judicium.

Consultatio de Feudis qvibusdam Pedemontanis.

Rufi Festi Breviarium Rerum Gestarum Pop. Romani ad Valentinianum Imp. Aug. ex vetustis exemplaribus restitutum ad Cl. Puteanum. *Paris. 1588. in 8o.*

Chronicon Prosperi Tironis Aqvitani à morte Valentis Imp. ad captam à Genserico urbem. Nunc primum in lucem editum, longe aliud ab eo, qvod hactenus B. Hieronymi Chronico subjunctum est. Item Fragmentum ex Chronico Victoris Episcopi Tunnensis Africæ, qvod subjecit Chronico Prosperi.

Adversariorum Subsecivorum libri duo primus ad Ant. Oiselum JC. 1564. posterior ad Cl. Sennetonum JC. eod. an. Basil. 1574. & *Paris. 1565. in 8o. Francof. 1604. 8o.*

Brief-recueil des Evesqves de Troyes.

Les Memoires de Comptes hereditaires de Champagne ou de Brie à Monsieur du Faur Seigneur de Pibrac. *Paris. 1572. in 4o. & 1581.* Ex qvo libro excerpta & in latinum versa sub titulo Observationis de Comitibus Palatinis tam Germaniæ qvam Galliæ in Parte 2. Origin. Palatinar. M. Freher. edit. 2da *Heidelb. 1613. fol.* habentur.

Genealogie des Comptes hereditaires de Troyes & Meaulx ou de Champagne & Brie.

Les Libertez de l'Eglise Gallicane.

Ecclesiæ Gallicanæ in Schismate Status.

Præfationes & Notæ in Varios Auctores. Item Epistolæ & Versus.

GVIDI PANCIROLI VITA

Per

Jacob. Philip. Thomasinum *in Elog. Viror. Illustr.*



Vidus Pancirolus Regiensis, qvem ex illustri familiâ Pancirolâ patre ALBERTO Jurisconsulto natum, & ingenio singulari præditum, paterna gloria, veluti immortalitatis radius, ad ingenuas artes capessendas mirum in modum inflammavit. Cum igitur ex primis Rhetorices, ac Dialecticæ rudimentis vivida vis ingenii in puero elucere cœpisset, de parentum consilio *Ferrariam* missus est, ut Jurisprudentiæ operam daret, ibiqve Clarissimos JC. *Pascettum*, & *Hyppolitum Riminaldum* audivit, qvorum auspiciis, cum plurimùm in literaria palæstrâ profecisset, *Ticinum* adiit, ut ad instar PLATONIS, qvem in Græciam penetrasse ferunt, ut Pythagoræorum præceptis, & disciplinâ imbueretur, ipse etiam *Andream Alciatum*, Virum in omni eruditionis genere eximium, audiret. Verùm enim verò, eo aliqvandiu degustato, majori discendi ardore succensus, ad auscultandum *Marianum Socinum*, *Bononiæ* docentem deductus est, ac demum permotus illustri famâ MARCI MANTUÆ, & *Julii Oradini*, qvos tunc

tunc temporis inter præclaros legum interpretes eminere conſtabat, *Patavinum* Gymnaſium noſtrum cæteris præferendum ratus, eò ſe recepit, ut inibi ſtudiorum ſuorum metam attingeret, & inſignia Doctoratus ex tantorum Juriſperitorum manibus obtineret. Qvamobrem adeò inſignes in Jurisprudentiâ progreſſus eo in Gymnaſio fecit, ut anteqvam in Doctorum numerum cooptaretur, digniſſimus habitus fuerit, qvi, poſthabitis aliis multis, à Sereniſſimo Senatu Veneto Imperatorias inſtitutiones in eodem ſecundo loco publicè explanaret. Qvo qvidem in munere, eò usqve per ſeptennium, acclamantibus ſtudentibus omnibus, progreſſus eſt, collega *Hieronymi Campi S. Petri*, ut in eo ætatis immaturitas ipſâ doctrinæ gravitate, & maturitate magis ac magis excellere videretur. Renunciatur interim à Juriſperitorum Collegio Jurisprudentiæ Doctor, & decedente *Matthæo Gribaldo*, alteram veſpertini Juris cathedram obtinente, in ejus locum adſciſcitur, qvem ſvavi ſermones nitore, & ornatu ſexdecim annorum ſpatio decoravit. Varias Lucubrationes edidit, tùm ex Jurisprudentiæ penu, tum ex Eloqventiæ officinâ depromptas, qvibus & literatorum omnium animos pertraheret in admirationem ſui, & Sereniſſimæ Reip. Venetæ favorem, non ſine inſigni honorarii, & boni publici incremento, conſeqveretur. Diem tùm extremum obierat Auguſtæ Taurinorum egregius J. C. *Simon Craveta*, cum Sereniſſimus Allobrogum Dux Emmanuel Philibertus, PANCIROLUM noſtrum, veluti præſtantiſſimum Europæ

Jurisconſultorum Sidus, ad *Taurinenſe* nobilitandum Gymnaſium, ampliſſimo honorario propoſito, accerſivit. Annuit ille voluntati Principis, & anno ſalutis cIɔ. Iɔ. LXXI. relicto Patavino Lyceo, Taurinum conceſſit, ut in primâ Cathedrâ, collega *Bernardi Trotti* JC. Clariſſimi, Jus Cæſareum interpretaretur. Qvam humaniter tùm à Sereniſſimo Duce exceptus fuerit, explicare difficulter poſſim. Illud ſatis conſtat, Emmanuelem Philiberti filium, patris veſtigiis inſiſtentem, eundem ſimul ac patri ſucceſſit, omni amoris & officii genere proſecutum eſſe; qvin, & mille aureis annui ſtipendii, qvos à Philiberto acceperat, centum, honoris & dilectionis gratiâ, protinus adjunxiſſe. Cœperat jam illi Taurinenſis aeris intemperies ſic obeſſe, ut oculorum altero penè deſtitutus eſſet; altero verò graviſſimè laboraret, cum inde ſibi diſcedendum ſtatuit, & Patavium, qvo ad principem Jurisprudentiæ ſedem à Sereniſſimo Senatu Veneto accerſebatur, concedendum ſtatuit, abjectâ cunctatione omni. Qvanto cum Allobrogum Principis mœrore diſceſſit, tantâ Civium, & ſtudentium voluptate Patavii receptus eſt, anno cIɔ. Iɔ. LXXXII. & Lyceum publicum, tribus tunc temporis Juris luminibus, *Jo. Cephalo*, *Tiberio Deciano*, & *Marco Mantuâ* orbatam, ſuo adventu mirificè recreavit. Summi Romani Pontifices duo, GREGORIUS XIV. & CLEMENS VIII. miro illum amore complexi ſunt, & ad aulæ Romanæ limina, conſultationis ergò, perhonorificè vocavêre. At ille qvietis amans, & bonæ valetudini ſuæ ſtu-

ſtudens, Lucubrationibus etiam eruditiſſimis evulgandis intentus, faſtus hujuscemodi, & honores omnes nihili ducens, Civitatem, & Academiam noſtram Romæ præferendam cenſuit, nec alio, procul à Gymnaſio ſui delicio, commigrandum. Qvamobrem apud nos, relictis literarum monumentis innumeris, vitæ curſum peregit, anno ætatis LXXV. & ad Eccleſiam D. Antonii celebri pompâ ab utraqve Univerſitate delatus, inibi publicis encomiis exornatus eſt, orante ejus in laudem doctiſſimo, & eloqventiſſimo J. C. *Franciſco Vidua Patavino*, anno ſalutis cIↄ. Iↄ. XCIX. XVI. Kal. Junii. Jacet in Eccleſiâ D. Juſtinæ in ſepulchro Monachorum, ut ipſe vivens concupiverat.

Alia Vitæ Panciroli descriptio, qualis quatuor ejus de Claris Juris Interpretibus libris præmittitur.

GVIDUS PANCIROLUS Regienſis natus ann. 1523. die 17. Aprilis, patrem habuit *Albertum*, omnium patriæ ſuæ celeberrimum Juriſconſultum integerrimum. A *Sebaſtiano Cortado*, mox *Baſſiano Lando* in Latinis, Græcisq; litteris eruditus anno ætatis 14. à Patre prima Juris rudimenta accepit; exactoqve triennnio, Ferrariam profectus *Paſcetum, & Hippolitum Riminaldum* audivit, deinde Ticini, & Ferrariæ *Alciatum*, & Bononiæ *Marianum Socinum*, poſtremo Patavii ſeptimum ſtudiorum ſuorum annum perfecit. Ibi publicè diſputando, cum aliqvod nomen ſibi comparaſſet, adhuc ſcholaris, à Rep. Veneta ad interpretandas Inſtitutiones Juſtiniani anno 1547. eſt conductus. Laurea igitur JC. Patavii à *Marco Mantua* accepta, per ſeptennium in eo munere perſeveravit; poſtea ad ordinarias Juris Civilis lectiones ſecundo loco veſpere explicandas translatus, in his ſexdecim annis permanſit. Cum verò primum locum, qvem ob multos labores, qvos ſuſtinuerat, & Auditorii freqventiam ſibi deberi cenſebat, bis exteris datum vidiſſet, anno 1571. à Duce Sabaudiæ accitus, *Aimoni Cravetæ* veſpere primum juris civilis locum obtinenti ſucceſſit, ac *Bernardo Troto* Antagoniſtæ adjunctus, duodecim annos Taurini celebri Gymnaſio docuit, ubi mille aureorum ſtipendio eſt honeſtatus, alios centum Carolus Emanuel

patri

patri defunсto ſuccedens auxit, plures daturus, ſi Gymnaſii Præfecti permiſiſſent, qvi tàm amplum ſtipendium in exemplum tranſire nolebant. Intereà mortuo *Jo. Ceſalo* Patavii, à Repub. Veneta, cum mille Ducatorum honorario vocatus eò proficiſci recuſavit. Poſt biennium verò Tiberio qvoqve Deciano, qvi ibi mane docebat, defuncto, rurſus cum mille aureorum ſtipendio ad primi loci lectiones Juris Civilis ordinarias veſpertinis horis exponendas vocatus acceſſit; Ob aeris enim Taurinenſis gravedinem ferè oculos amiſerat; Itaqve etſi plurimum ab illo Principe, & Civitate dilectus diſceſſit; Obtulit ei Carolus Emanuel primum MCCCC. aureos, mox alios addidit, ut eum retineret, ſed ipſe, ne cæcitatem incurreret, abire coactus eſt. Diſcedenti Civitas ob operam gratè Academiæ præſtitam duo pocula argentea, & totidem ſalaria vaſa donavit, ac coacta Curia, civem creavit. Patavium profectus, cum ibi ſeptennio docuiſſet, aliorum centum aureorum ſalario eſt auctus, primusqve fuit, qvi in illo Gymnaſio mille aureorum honorarium exceſſit. Volumen reſponſorum, & in notitiam utriusqve imperii Rom. qvamqvam malè vitio impreſſorum correcta Commentaria in lucem edidit. Aliud opus de origine & auctoritate Jurisconſultorum, & de Illuſtribus Juris Interpretibus compoſuit. Plurimum qvoqve Illuſtrium virorum, qvi in Jure nominantur, vitas, & catalogum ſcripſit. Item aliud opus de origine, & auctoritate eqvitum. Item aliud de antiqvitate Juris, & aliud, in qvo plurimi novi

novi legum intellectus continentur, & de numismatis antiqvis. Item Commentarium in univerſa Tertulliani opera. Item duos libellos de rebus perditis, qvorum primus agit de his, qvæ antiqvitùs cùm eſſent, nunc non extant. Alter de his, qvæ à noſtris inventa ſunt.

SCRIPTA PANCIROLI.

Rerum deperditarum libri duo, qvorum prior Deperditarum, posterior noviter inventarum est. Ex Italico latinos fecit notisqve illustravit Henric. Salmuth. ed. *Ambergæ 1599. & 1606. & 1612. in 8o.* Cum ejusdem auctioribus notis prod. *Francof. 1631. & 1646. & 1660. in 4o.*

Commentarius in Notitiam Dignitatum utriusque Imperii, ad Carol. Emanuel. Sabaudiæ Ducem. *Venet. 1593. fol. Lugduni 1608. & Genev. 1623. in fol.*

Libellus de Magistratibus Municipalibus & Corporibus Artificum ad Rainucium Farnesium, Parmæ & Placentiæ Ducem, *ibid. 1593.*

De Qvatuordecim utriusqve tam Veteris qvam Novæ Urbis Regionibus earundemqve ædificiis tam publicis qvam privatis libellus. *Venet. 1602.*

Thesaurus Variarum Lectionum Utriusqve Juris in tres libros distincti, ab Hercule ex Fratre Nepote in lucem editi. *Venet. 1610. fol. Lugdun. 1617. in 4o.*

Responsionum & Allegationum in Jure Volumen unum. *Venet. 1573. fol.*

De Claris Legum Interpretibus libri qvatuor, ab Octavio Pancirolo ex fratre Nepote editi *Venet. 1637. & 1655. in 4o.*

De Origine & Auctoritate Eqvitum.

De Juris Antiqvitate.

De Numismatis Antiqvis.

Com-

Commentarius in Universa Tertulliani Opera.

Volumen in qvo plurimæ novæ Legum explicationes continentur.

Stimuli Virtutum, adolescentiæ Christianæ dicati, ex Italica P. Gvil. Baldes. latine facti, *Colon. ap. Arnold. Mylium 1594. in 120. Draud. in Biblioth. Classic.*

FINIS.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numerus paginam, n. verò numero adpositum notas signat.

Bo-

Pan-

FINIS.